UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum

Heinrich <VIII., England, König>

Parisiis, 1562

urn:nbn:de:hbz:466:1-30233

Visual Library

Th. 1951.

F I
18

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# ASSERTIO SEPTEM SACRAMENTORUM Aduersus Mart. Lutherum, *HENRICO VIII.* Angliæ Rege auctore.

*CVI SVBNEXA EST*

*Eiusdem Regis epistola, Assertionis ipsius contra eundem defensoria.*

*ACCEDIT quoque R. P. D. Iohan. Roffen. Episcopi contra Lutheri Captiuitatem Babylonicam, Assertionis Regiæ defensio.*

Ex donat. Soc. Iesu Paderbornæ
Sti D. Sebastiani Scholæ. a. 1598

PARISIIS

*Apud Gulielmum Desboys sub Sole Aureo, via Iacobæa.*

1562.

ASSERTIO

SEPTEM SACRA-

mentorum Adversus Mart. Lutho-

rum, HENRICO VIII.

Angliæ Rege auctore.

CUI SUBNEXA EST

Ejusdem Regis epistola, Apostolicæ Sedis

contra eosdem defensoria.

ACCEDIT quoque R. T. D. Fohan. Roffen.

Episcopi contra Lutheranæ Captivitatis Babylonicam, Assertionem Regiæ defensio.

PARISIIS

Apud Guidonem Mercatorem, sub Scuto

Almo Puteo Lacobæo.

1561.

# SANCTISSIMO Domino nostro, Domino Leoni. X. Ponti. Max. Henricus Dei gratia Rex Angliæ, ac dominus Hyberniæ, perpetuam fœlicitatem.

*QVum partim bellicis, partim aliis longe diuersis studiis, reipublicæ causa adolescẽtiam nostram insueuerimus, miraturum te beatissime Pater non dubitamus, quòd eius nunc hominis partes nobis sumpserimus, qui omnem potius ætatem consumpsisset in literis, vt grauem scilicet hæresim pullulantem comprimamus. Sed desinet, opinor, tua sanctitudo mirari, postquam causas expenderit, quæ nos subegerunt vt hoc scribendi onus, quanquam non ignari quàm simus impares, subierimus. Vidimus siquidem in messem domini iacta zizaniæ semina, pullulare sectas, hæreses in fide succrescere, & tantam per orbem totum Christianum seminatam discordiæ materiam, vt nemo qui syncera mente Christianus sit, hac tanta mala tam late serpentia fere diutius possit, quin & studium cogatur, & vires qualescunque possit,*

opponere. Mirum igitur videri non debet, si nos quoque, tametsi potestate non maximi, fide tamen ac voluntate nemini secundi, in opus tam pium, tam vtile, tam necessarium, vt à nemine ferme possit absque piaculo prætermitti, & nostram erga tuam sanctitatem obseruantiam, & erga religionem Christi, studium, & erga dei cultum, obsequium nostrum declarare constituimus, maxime fidetes, etsi eruditio nostra sit tam exigua, vt propemodum nulla, gratiam tamen dei sic cooperaturam nobiscum, vt quod doctrina nequiuimus perficere, id ipse pro sua benignitate, summáque potentia plenius absoluat, ac nostram in literis imbecillitatem, suo vigore suppleat. Quanquam in literis quoque, præsertim sacris, etsi certò sciamus, nusquam non esse multos qui hoc scribendi munus & obire commodius, & præstare potuissent vberius, tamen non vsqueadeo rudes sumus, vt in communi causa dedeceat, nos quoque pro nostra virili, calamo quid possemus, quãtulum id cúnque fuerit, experiri. Postquam enim in administranda republica maximam semper vim, maximumque momẽtum, religionem habere multo vsu aduertimus, vt primum maturiores annos attigimus, cœpimus eius contemplationi nõnihil studii impẽdere. Plurimum profecto, postquam cœpimus,

*In eo delectati, consecuti tamen non nos latet quàm exiguum: tantum tamen, vt speramus, quantum adiuuantibus præsertim, vel potius instigantibus iis quæ vel admodum rudem abunde reddere instructum possent, pietate scilicet, & læsæ religionis dolore, ad Lutheranæ hæresis fraudes rationibus detegendas, sit satis. Itaque etiam hac fiducia rem tentauimus, & quæ in ea meditati sumus, sanctitati tuæ dedicauimus, vt sub tuo nomine, qui Christi vicem in terris geris, publicum iudicium subeant. Sic enim nobis persuasimus, quum ea hæresis aliquandiu inter Christianos grassata, grauissimæ saluberrimæque sententiæ tuæ vi è manibus hominum sit excussa, si quid eius in pectoribus vel captione aliqua deceptis, vel blandis pollicitationibus inescatis, adhuc resedit, id esse iustis rationibus eximendum. Sic enim futurum, vt quum duci quàm trahi se ingenia libentius patiantur, non desit his mitioris quoque remedii ratio. In qua promouerimúsne nos quicquam, an non, beatitudinis tuæ iudicium erit: cuius etiam arbitrio, si quid est à nobis erratũ, corrigẽdum offerimus.*

Ad lectores.

MOtus quidē fidelitate ac pietate, quanquam mihi nec eloquentia sit, nec scientiæ copia, cogor tamen, ne ingratitudine maculer, matrem meam Christi sponsam, vtinam tanta facultate quanta cum voluntate, defendere. Quod licet alij præstare possint vberius ac copiosius, mei tamen officij esse duxi, vt ipse quoque, quantūuis tenuiter eruditus, quibus rationibus possem ecclesiā tuerer, méque aduersus venenata iacula hostis eam oppugnantis obiicerem. Quod vt faciam, tempus ipsum, & præsens rerum status efflagitat. Nam antea quū nemo oppugnaret, nemini propugnare necesse erat. At quū iam hostis exortus sit, quo nullus potuit exoriri malignior, qui dæmonis instinctu, charitatem prætexens, ira atque odio stimulatus, & contra ecclesiam, & cōtra catholicam fidem vipereū virus euomuit, necesse est aduersus hostem communē Christianę fidei, omnis Christi seruus, omnis ætas, omnis sexus, omnis ordo consurgat: vt qui viribus nō valent, officium saltem alacri testentur affectu. Nunc ita-

*Lutherus matrem oppugnat.*

que conuenit, vt duplici armatura muniamur, cœlesti scilicet, ac terresti. Cœlesti, vt qui ficta charitate & alios perdit, & perit ipse, vera charitate lucrifactus, alios lucrifaciat: & qui falsa doctrina depugnat, doctrina vera vincatur. Terrestri vero, vt si tam obstinatæ malitiæ sit, vt consilia sancta spernat, & correptionem piam contẽnat, merito coërceatur supplicio: vt qui benefacere non vult, desinat malefacere: & qui nocuit verbo malitiæ, supplicij pœsit exẽplo. Quæ pestis vnquam tam pernicioſa inuasit gregem Christi? Quis serpẽs vnquam tam venenatus irrepsit, quàm is qui de Babylonica captiuitate Ecclesiæ scripsit, qui scripturam sacram ex suo sensu contra Christi sacramenta detorquet, traditos ab antiquis patribus Ecclesiasticos ritus eludit, sanctissimos viros, vetustissimos sacrarum literarum interpretes, nisi quatenus ipsius sensui conueniunt & consentiunt, nihili pendit, sacrosanctã sedem Romanam Babylonẽ appellat, summum pontificium vocat tyrannidẽ, totius Ecclesiæ decreta saluberrima captiuitatẽ censet, sanctissimi põtificis nomen in Antichristum conuertit? O detestabilis arro-

gantiæ, contumeliæ, ac schismatis buccinator. Quantus inferorum lupus est iste, qui Christi gregem dispergere quærit? Quantum diaboli membrũ, qui Christianos Christi membra quærit à capite suo decerpere? Quàm putris hui⁹ animus, quã execrabile propositum, qui & sepulta resuscitat schismata, & vetustis adiicit noua, & hæreses æternis abdendas tenebris, velut Cerberum ex inferis producit in lucẽ, dignumque ducit se, cuius vnius verbo, posthabitis antiquis omnib⁹, vniuersa regatur, immo subuertatur Ecclesia? De cuius ego malitia quid dicam nescio, quam tantã censeo, quãtam neque lingua cuiusquam, neque calamus exprimere possit. Quamobrẽ vos omnes Christifideles hortor, oro, & per Christi nomen, quod professi sumus, obtestor: vt qui Lutheri opera, si modò is Babylonicæ captiuitatis sit author, omnino velint inspicere, caute illud, & cum iudicio faciant, vt quemadmodum Vergilius aurum se colligere dixit è stercore Ennij, sic è mediis malis colligãt bona. Nec ita, si quid arridet ipsis, afficiantur, vt cum melle simul imbibant venenũ. Multo enim satius fuerit vtroque carere,

*Lutheri superbia.*

*Lutherus caute legendus.*

quàm vtrũque glutire. Quod ne accidat, vtinam author aliquãdo reſipiſcat, vt conuertatur & viuat: ac ſuos libros omni malitia refertos, exemplo Auguſtini, cuius regulam profitetur, retractet, erroreſque reuocet. Quod ſi recuſet Lutherus, breui certe fiet, ſi Chriſtiani principes ſuum officium fecerint, vt errores eius, eumq; ipſum, ſi in errore perſtiterit, ignis exurat. Interea nobis viſum eſt, in captiuitate Babylonica quædam loca commonſtrare lectoribus, in quibus præcipuum latet venenum. Ex quibus aperte ſatis conſtabit, quàm exulcerato animo aggreſſus ſit op⁹, qui quum publicum bonum prætendat, nihil præter malitiam ad ſcribendũ afferat.

Vt hæc doceamus quæ diximus, haud longe nobis petendæ probationes ſunt. Nam ne quis ob eam rem ſurſum deorſum curſitet, Lutherus vltro ſeſe, atque animum ſuum primo ſtatim principio prodit. Quis enim dubitet quò tendat, quò ſe proripiat is, cuius vel hunc vnum verſum legerit?

# INDVLGENTIÆ sunt adulatorum Romanorum nequitiæ.

QVemadmodum animal omne potissimum ex facie dinoscitur, ita ex hac quoque prima propositione clarescit, quàm suppuratũ ac putridũ is habeat cor, cuius os amaritudine plenum, tali exundat sanie. Nam quæ de indulgentiis olim differait, ea plerisque multum videbantur adimere non modo de potestate pontificis, verumetiam de bona spe ac sancta consolatione fidelium, hominesque vehementer animare, vt in pœnitentiæ suæ confisi diuitiis, Ecclesiæ thesaurum & vltroneã dei benignitatem contemnerent. Et tamẽ ea quæ tum scripsit omnia, idcirco mitius accepta sunt, quia pleraq; differebat duntaxat, non asserebat, subinde etiã petẽs doceri, seseque pollicens meliora docenti pariturum. Verùm istud quàm simplice scripsit animo, homo sanctulus, & omnia referens ad spiritum, qui fictum effugit,

*Lutheri fictio.*

*Spiritus ã-*

hinc facilè deprehenditur, quòd simul atque à quoquam salubriter est admonitus, ilicet pro benefacto regessit maledictum, conuiciis & cõtumeliis insaniens: quibus operæpretium est videre, quò vesaniæ tandem prouectus est. Ante fassus est indulgẽtias hactenus saltem valere, vt præter culpam etiam à pœnis absoluerent, quascunque videlicet vel Ecclesia statuerat, vel suus cuique sacerdos iniunxerat. Nũc vero non eruditione, vt ipse inquit, sed malitia tantum profecit, vt sibiipsi cõtrarius, indulgentias in vniuersum condemnet, ac nihil aliud eas dicat esse, quàm meras impostoras, ad nihil omnino valere præterquam ad perdẽdam hominum pecuniam, ac dei fidem. Qua in re quàm non scelerate modo, verumetiam furiose bacchatur, nemo est qui non videt. Nam si nihil omnino valent indulgentiæ, sed meræ sunt, vt Lutherus ait, impostoræ, tunc necesse est impostores fuerint, non hic tantum Pontifex Leo decimus, cuius innocens & inculpata vita, moresque sanctissimi ab ineunte ætate per orbem totum satis explorati sunt, quemadmodũ in epistola quadam ad pontificem Lutherus

*Ethus effugiũ fictum. Sapien. 1.*

*Lutherus sibiipsi contrarius.*

*Leo decimus.*

etiam ipse fatetur, verumetiam tot retrò seculis omnes Romani pontifices, qui, quod Lutherus ipse commemorat, indulgere solebant, alius remissionem annuam, alius triennem, quidam aliquot condonare quadrageſimas, nonnulli certam totius pœnitentiæ partem, tertiam puta, vel dimidiam: aliqui demum remissionem indulserunt & pœnæ & culpæ plenariam. Omnes ergo, si vera dicit Lutherus, fuerunt impostores. At quãta magis cum ratione creditur, hunc vnum fraterculum, morbidam esse ouẽ, quàm tot olim pontifices perfidos fuisse pastores? Nam Lutherus, vt dixi, cuiusmodi vir sit, quàm nihil omnino charitatis habeat, euidentissime declarat, quum non vereatur tot summis, tot sanctis pontificibus tantum crimẽ impingere. Si deus in Leuitico dicit omnibus: Non eris criminator, nec susurro in populis: quid de Luthero censendum est, qui tam immane crimen non in vnum aliquem hominem, sed in tam multos, tã venerandos spargit antistites, idémque non in vna quapiam vrbe susurrat, sed per totũ buccinat orbẽ? Si maledictus in Deuteronomio dicitur, qui clã percusserit pro-

*Leuit. 19.*

*Deut. 27.*

ximum, quanta maledictione percutitur, qui palã tantis opprobriis insultat in præpositos? Deniq; si homicida est, vt ait Euãgelista, nec vitam habet æternã, qui odit fratrem: an non hic æterna dignus morte parricida est, qui odio prosequitur patrẽ? Qui quum eousque progreditur, vt neget indulgentias quicquam valere in terris, frustra cum eo disputem, quantum valeãt in purgatorio. 1. Ioan. 3.

Præterea, quid profuerit cum illo loqui, quibus subsidiis liberemur à purgatorio, qui totum ferme tollit purgatorium? Vnde quum pati non possit vt pontifex quenquam eximat, ipse sibi tantum sumit, vt neminẽ ibi relinquat. Quid attinet cũ eo pugnare, qui pugnat ipse secum? quid argumẽtis promoueam si cũ eo agã vt donet quod ante negauit, qui nunc id ipsum negat, quod ante donauerat? Verũ quantumuis disputẽtur indulgentiæ pontificis, necesse est inconcussa maneãt verba Christi, quibus Petro claues cõmisit ecclesiæ, quũ dixit: Quicquid ligaueris super terrã, erit ligatum & in cœlo: & quicquid solueris super terrã, erit solutum & in cœlo. Item quorũ remiseritis peccata, remitten- Luther⁹ de purgatorio. Matt. 16.

tur: & quorũ retinueritis peccata, retinebũtur. Quibus verbis si satis cõstat sacerdotẽ quẽlibet habere potestatẽ à mortalibus absoluẽdi criminibus, & æternitatem pœnæ tollẽdi, cui nõ videatur absurdum, sacerdotũ omniũ principem nihil habere iuris in pœnã temporariã? Verùm aliquis fortasse dicet, Lutherus ista nõ admittet, sacerdotẽ, vllũ quicquã ligare vel soluere, aut pontificẽ summũ plus habere potestatis, quàm alium quemuis episcopũ, immo quàm quẽlibet sacerdotẽ. At quid id mea, quid admittat, aut quid nõ admittat is, qui quorũ nihil admittat nunc, eorum pleraq; paulo prius admisit, quiq; omnia nunc reiicit solus, quæ tota tot seculis admisit ecclesia? Nã vt cætera taceã, quæ nouus iste Momus reprehendit, certe indulgẽtias si põtifices peccauere qui cõcesserũt, immunis à peccato nõ erat tota congregatio fideliũ, qui eas tam diu tãto cõsensu susceperũt. Quorum ego iudicio, & obseruatæ sanctorũ consuetudini nõ dubito potius acquiescendum, quàm Luthero soli, qui totã ecclesiã tam furiosè condemnat: cuius non modo summum pontificẽ conuiciis insanis incessit, verumetiã

proclamare nõ veretur, Pontificiũ ipsum inane prorsus nomen esse, nec re quicquam aliud esse censendum, quàm regnũ Babylonis, & potentiam Nembroth robusti venatoris: eoque lectores orat, orat librarios, vt oĩb⁹ quæ prius de papatu scripsit, exustis, hãc vnã propositionẽ teneãt:

*Lutherus libros suos denouet igni.*

PAPATVS EST ROBVSTA venatio Romani pontificis.

ILlud hercle non absurdũ votum est, quod quæ antè scripsit, flammis optat absumi. Erant enim pleraq; flammis digna, sed multo tamen ista propositio dignior, quam exustis illis iubet velut dignam æternitate substitui. Quanquã quis non hic quoque, nisi qui malitiam norit, miretur inconstantiam? Nam prius papatũ negauerat esse diuini iuris, sed humani iuris esse cõcesserat. Nũc verò secum dissidens, neutrius iuris esse cõfirmat, sed põtificẽ sibi mera vi sumpsisse atq; vsurpasse tyrãnidẽ. Sẽtiebat ergo pridẽ, humano sãnẽ cõsensu propter bonũ publicũ Ro-

*Lutherus sibi cõtrarius.*

mano pontifici super ecclesiam catholicã delatam esse potestatem. Idq; vsqueadeo sentiebat, vt Bohemorum quoq; schisma detestaretur, quòd se ab obedientia Romanæ sedis abscinderent, pronunciãs eos peccare damnabiliter, quicunque papæ non obtemperarent. Hæc quum haud ita pridem scripserit, nunc in idem, quod tũ detestabatur, incidit. Quin istud quoque simile est constantiæ, quòd quum in concione quadam ad populum, excommunicationem doceat esse medicinam, & obedienter patienterque ferẽdam, paulo post excommunicatus ipse, idque meritissimo iure, sententiam tamen tam impotẽter tulit, vt rabie quadã furibundus, in cõtumelias, cõuicia, blasphemias, supra quàm vllę possint aures ferre, proruperit, sic vt suo furore plane perspicuũ fecerit, eos qui pelluntur gremio matris ecclesiæ, statim furiis corripi, atq; agitari dæmonibus. Sed istud rogo, qui illa tã nuper vidit, vnde nũc subito videt nihil se tunc vidisse? Quos nouũs oculos induit? An acutiore cernit obtutu, postquã ad superbiã solitã ira quoq; supæruenit & odiũ, & lõgius videlicet perspicit, vsus tam præclaris conspiciliis?

*Lutherus nuper Bohemos detestabatur.*

*Lutherus contrà facit, ac docet.*

*Lutheri cõspicilia.*

Non

Non tam iniurius ero Põtifici, vt anxie ac ſolicite de eius iure diſceptem, tãquam res haberetur pro dubia. Satis eſt ad præſens negotium, quòd inimicus eius ita furore prouehitur, vt ſibi fidẽ deroget ipſe, ac dilucide ſe oſtendat præ malitia neque conſtare ſecum, neque videre quid dicat. Nã negare nõ poteſt, quin omnis eccleſia fidelium, ſacroſanctam ſedem Romanam velut matrẽ primatémq; recognoſcat ac veneretur, quæcunq; ſaltẽ neq; locorum diſtãtia, neq; periculis interiacẽtibus prohibetur acceſſu. Quãquã, ſi vera dicũt qui ex India quoq; veniũt huc, Indi etiã ipſi, tot terrarũ, tot mariũ, tot ſolitudinũ plagis diſiuncti, Romano tamen ſe pontifici ſubmittũt. Ergo ſi tantã ac tam late fuſam poteſtatẽ, neq; dei iuſſu põtifex, neq; hominũ voluntate cõſecutus eſt, ſed ſua ſibi vi vẽdicauit, dicat velim Lutherus, quãdo in tãtæ ditionis irrupit poſſeſſionẽ: Non poteſt obſcurum initium eſſe tam immẽſę potentiæ, præſertim ſi intra memoriam hominũ nata ſit. Quod ſi rem dixerit vnã fortaſsis aut duas ætates ſuperare, in memoriam nobis rem redigat ex hiſtoriis.

*Amplitudo papat.*

*Antiquitas papat.*

Alioqui ſi tam vetuſta ſit, vt rei etiam

tantæ obliterata sit origo: legibus omnibus cautũ esse cognoscit, vt cuius ius omnem hominũ memoriã ira supergreditur, vt sciri nõ possit cuiusmodi habuerit initiũ, censeatur habuisse legitimũ: vetitunq; esse constat, omniũ consensu gentium, ne, quæ diu mãserũt immota, moueãtur. Certe si quis rerum gestarũ monumẽta reuoluat, inueniet iam olim protinus post pacatũ orbem pleraſq; omnes Christiani orbis ecclesias obtẽperasse Romanæ. Quin Græciam ipsam, quanquam ad ipsos commigrasset imperium, reperiemus tamen, quod ad ecclesię primatũ pertinebat, prętercquã dum schismate laborabat, ecclesiæ Romanæ cessisse. Beatus vero Hieronymus quantũ Romanæ sedi censeat deferendũ, vel inde luculenter ostendit, quòd quum Romanus ipse nõ esset, tamẽ aperte fatetur sibi satis esse, si suã fidem, quibuscuis improbantibus aliis, cõprobaret papa Romanus. Cui quũ Lutherus tã impudẽter pronũciet, idq; cõtra suã pridẽ sententiã, nihil omnino iuris in ecclesiã catholicã ne humano quidẽ iure competere, sed Papã mera vi merã occupasse tyrannidẽ, vehemẽter admiror, qp aut tam faciles, aut

*Græcia Romano paret põtifici.*

*Diuus Hieronymus.*

tam ſtupidos ſperet eſſe lectores, vt ſacerdotẽ credãt inermẽ, ſolũ, nullo ſeptũ ſatellitio, qualẽ fuiſſe eũ neceſſe eſt priuſquã eo potiretur quod eũ Luther⁹ ait inuaſiſſe, vel in ſpẽ venire vnquã potuiſſe, vt nullo iure fultus, nullo fretus titulo, in tot vbiq; pares epiſcopos, apud tã diuerſas, tã procul diſiectas gẽtes, tantũ obtineret imperiũ: nedum vt credat quiſquã populos omnes, vrbes, regna, puincias, ſuarum rerum, iuris, libertatis fuiſſe tam prodigos, vt externo ſacerdoti, cui nihil deberẽt, tantum in ſeſe poteſtatis darẽt, quãtum ipſe vix eſſet auſus optare. Sed quid refert quid in hac re Lutherus ſentiat? qui præ ira atque inuidia non ſentit ipſe quid ſentiat, ſed bene declarat obfuſcatã ſcientiã ſuã, & cor ipſius inſipiẽs obſcuratũ, traditũq; in reprobũ ſenſum, vt faciat ac dicat ea quę nõ cõueniũt. Quàm verũ eſt illud apoſtoli, Si habuero prophetiã, & nouerim omnia myſteria, & omnem ſcientiã, & ſi habuero omnem fidem, ita vt mõtes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. A qua quàm longe abeſt iſte, non illud tantùm oſtendit, quòd præ furore perit ipſe, ſed iſtud multo magis, q. 1. Cor. 13.

vniuersos secũ trahere conatur in perditionẽ, dũ omnes ab obediẽtia summi pontificis laborat auertere, cui ipse triplici vinculo tenetur astrict⁹, vtpote Christianus, sacerdos, & postremò fraterculus: tripliciter à deo vicissim puniẽd⁹. Neq; me-
1. Reg. 15. minit quicquã, quãto melior est obedien-
Deut. 14. tia, q̃ victimæ. Neq; cõsiderat, si in Deuteronomio cauetur, vt qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio qui pro tẽpore ministrat domino deo suo, & decreto iudicis, moriatur: q̃ atroci sit supplicio dignus is qui sacerdoti omnium summo, eidémq; supremo in terris iudici, non paruerit. Nã & quũ vocaretur ad põtificẽ
*Modestia fraterculi.* oblatis expẽsis, & data fide, venire tamen fraterculus, nisi munitus præsidio, cõtempsit, & iã, quoad potest, totã perturbat ecclesiã, corpusq; totũ solicitat ad rebellãdũ
1. Reg. 15. capiti, cui quasi peccatũ hariolãdi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Quãobrẽ quũ Lutherus odio prouectus, se præcipitet in pernicie, & legi dei recuset esse subiectus, suã nimirum quærés cõstituere, nos vicissim Christido-
Rom. 10. læ caueamus, ne, quod Apostolus ait, per inobediẽtiam vnius hominis, peccatores

constituti simus multi: sed illius iniquitatem perosi, domino cum propheta canamus: Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi. *Psal. 118.*

At ista duo capita de tollendis prorsus indulgentiis, & auferenda potestate summi pontificis, de quibus quid nobis videtur exposuimus, quantumuis impia sint, Lutheri tamen non nisi præludia sunt ad sacramenta perimenda, quod toto agit libro. Quem librum totum fatetur præludium ad operis opinor quippiam, in quo decreuit seriò moliri totius expugnationem fidei. Quanquã vehemẽter admiror, si quicquam edet vnquam tam serium, vt plꝰ tumere veneno queat, quàm totũ hoc turget præludium. In quo protinus ex sacramentis septem tantũ relinquit tria, nec ea tamen nisi pro tempore, nimirũ significans, illa etiam ipsa propediem sese sublaturum. Nam è tribus vnum aufert paulo post eodẽ libro, quo plane declaret, quid proponet in reliquis.

*Lutherus vnum tantum sacramentũ admittit.*

Quam in rẽ, viã etiá videtur præstruere, quum ait se, si scripturarũ more loqui velit, non nisi vnum sacramentum, & tria signa sacramentalia positurum.

Quòd siquis diligẽter inspiciat, quo pacto tractet hæc tria sacramenta, quæ seu tria, seu tribus sub signis vnum ponit pro tempore, videbit ea sic ab illo tractata, vt nemini relinquat dubium, id illum in animo moliri, vt omnia tria possit suo rursus tempore prorsus amoliri. Quas colubri istius astutias quò facilius lector possis deprehendere, obserua diligenter singula vestigia eius, & suspende gressus tuos, neque nimium securus, inter vepres ac tribulos, latebras & spelumcas eius obambula, ne ex occulto insidiatus calcaneo tuo, exitiale virus instillet. Deprehensus enim torpebit ignauus, & suo ipse veneno tabescet.

*Lutherus quò tendat.*

*Luth. vt coluber cauẽdus.*

*De sacramento altaris.*

INcipiamus ergo vnde ipse incepit, a venerabili sacramẽto corporis Christi, cuius primo quòd nomen mutet, ac vocari velit sacramentum panis, indicat hominem non valde bene ferre, quòd ipso sacramenti nomine admoneamur corporis Christi: & sicubi reperire colorem potuisset, quo nomen dare potuisset deterius, libenter fuisse daturum. Cuius ab

*Lutherus vocat sacramẽtũ panis*

animo perquam longe disidet ac dissentit beatus Ambrosius, quũ dicit: Licet figura panis & vini in altari videatur, nihil tamen aliud quàm caro & sanguis Christi credenda est. Ex quibus verbis euidẽtissimè clarescit, Ambrosium fateri nullam aliam substantiam cum Christi corpore manere permixtam, quum dicat nihil aliud esse quàm corpus & sanguinẽ Christi, id quod figura panis videtur & vini. Si tantum dixisset Ambrosius, caro & sanguis, potuisset fortasse Lutherus dicere, quòd Ambrosius fatẽdo esse carnem & sanguinem, non negaret tamen panem simul esse ac vinum, quemadmodum Lutherus ipse dicit carnis substantiam cum pane, & sanguinis vnà cum vino subsistere. Sed quum Ambrosius dicat nihil esse aliud quàm carnem & sanguinem, aperte contradicit Luthero, qui simul cum carne dicit esse panem, & simul cum sanguine vinum. Quanquam si id quod Lutherus dicit, tam verum esset quàm falsum est, panem cum Christi carne simul manere permixtum, tamen ne sic quidem necesse fuit Luthero delere nomen corporis Christi ex sacramento in quo fatetur *Ambrosius.*

verum Christi corpus esse. Nam si panis etiam substantia simul cum Christi corpore adesset, quemadmodum iste contendit, non est tamen ratio cur inferior substantia nomen præripiat digniori. Nam etsi rudibus adhuc populis, ad auditorum captum se demittés apostolus, panem vocauit, nunc tamen tam diu stabilita fide, nomen tam venerabile, quod rem sacramenti repræsentet audientibus, in id nomen quod auditorum animos a corpore in panem auerteret, nõ oportebat immutari. Nec immutasset haud dubie Lutherus, nisi secum statuisset, populum paulatim à Christi corpore, à quo ipse iam præcisus est, in panis venerationem traducere. qua de re paulo post dicemus vberius.

*Lutheri propositum.*

Interim vero libet excutere quàm fraudulenter per speciem fauoris in laicos, conetur eorum odium concitare in sacerdotes. Nam quum decreuisset ecclesiæ fidem suspectam reddere, ne quid ponderis, eius haberet authoritas, atque ita facta via, præcipua quæque Christianæ religionis euertere, ab ea re sumpsit initium, cui populum sperabat alaciter applausu-

rum. Tetigit enim vetus vlcus, quo pridem vlcerata est Bohemia, quòd laici sub vtraque specie nō recipiant eucharistiam. Eam rē quum prius ita tractasset, vt duntaxat diceret, recte facturum pontificem, si curaret communi concilio statuendum vt sub vtraque specie laici communicarent: post vbi nescio quis illud ei negauit, non contentus in eo manere quod dixerat, sic profecit in peius, vt totū clerum condemnet impietatis, quòd istud non faciant non expectato concilio. Ego de primo non disputo. Cæterum etiam si causas non viderem, cur non decernat ecclesia vt vtraque species ministretur laicis, tamen dubitare non possem, quin sint idoneæ, quę & olim fecerunt vt id omitteretur, & nunc quoque faciant ne redintegretur. Nec planè assentior totum clerum per tot secula fuisse tam stolidum, vt se obstrinxerit æterno supplicio propter eā rem vnde nihil reportaret commodi temporalis: immo vero, quàm nihil sit talis periculi, vel hoc euidenter ostendit, quòd eos qui non tantum istud fecerunt, verum etiam qui scripserunt esse faciēdum, deus non modo suscepit in cœlum, ve-

*Lutherus sibi cōtrarius.*

*Miraculis clarẽt quos Luther⁹ dã nat.*

rumetiam voluit esse venerandos in terris, & ab hominibus honorari, a quibus honoratur ipse. Inter quos fuit, vt de aliis interim taceam, vir eruditissimus, & idem sanctissim⁹ diuus Thomas Aquinas: quem ideo libentius commemoro, quoniã eius viri sanctitatem, Lutheri ferre nõ potest impietas, sed quem omnes Christiani venerantur, pollutis labiis vbique blasphemat. Quanquam sunt permulti, qui etiam si pro sanctis recepti non sunt, tamen siue doctrina, siue pietate spectẽtur, tales sunt, vt Lutherus eis comparari nõ possit, qui hac in re cõtrariũ Luthero sentiunt: inter quos sunt Magister sententiarum, & Nicolaus de Lyra, & complures alij, quorũ cuilibet magis expedit Christianos omnes, quàm Luthero credere. At vide quæso, quàm vacillat, ac sibi repugnat Lutherus. Vno loco dicit, Christum in cœna

*Lutherus sibi repugnans,*

omnibus omnino fidelibus non permittendo sed præcipiendo dixisse: Bibite ex eo omnes. Postea vero timens ne laicos quibus in sacerdotum odium adulatur, offenderet, hæc verba subiungit: Non

*Lutheri verba.*

quòd peccent in Christum, qui vna specie vtuntur, quum Christus non præce-

perit vlla vti, sed arbitrio cuiuslibet reliquerit, dicens: Quotiescunque hęc feceritis, in mei memoriam facietis: sed quòd illi peccãt, qui hoc arbitrio volentibus vti, prohibent vtranque dari. Culpa non est in laicis, sed in sacerdotibus. Videtis aperte, quòd primo dixit esse preceptum, hic dicit non esse præceptum, sed cuiuslibet arbitrio relictum. Quid opus est ergo nos illi contradicere, qui sibi toties contradicit ipse? Et tamen quum dixit omnia, laicos non satis defendit, si quis rem vrgeret: & in sacerdotibus quos tam atrociter accusat, nihil probat esse peccati. Nam in eo dicit totũ esse peccatum, quòd sacerdotes alteri⁹ speciei laicis inuitis adimerent libertatẽ. Hic igitur si quis eum percontetur, quî sciat istum ritum inoleuisse renitente populo, non potest, opinor, docere. Cur ergo totum condemnat clerum, quòd laicis inuitis ademerit suum ius, quum id inuitis esse factum, nullo possit documẽto probari? Quanto fuit æquius, si nisi volentibus illis recte nequiuit institui, pronunciare, pro tot seculorum consuetudine plebis interueniisse consensum? Ego certe qui video quas res

a plebe clerus obtinere non potest, ne tantum quidem, quin ferme sub ipso altari suorum condant cadauera, non facilè credo populum fuisse passurum, vt inuiti per contumeliam in tanta re ab vlla iuris sui parte pellerentur, sed causis aliquot idoneis è laicorum quoque voluntate constitutum. At istud miror, tam vehementer indignari Lutherum, laicis ademptam alteram, quum nihil eum permoueat, quòd vtraque species adimatur infantibus. nam illos olim communicasse, nec ipse negare potest. Qui mos si recte fuit omissus, quanquam Christus dicat, Bibite ex hoc omnes: nec quisquam dubitat, quin causę fuerint magnę, etiã si nunc earum nemo meminisset, cur non etiam cogitemus bonis iustisque rationibus, quantumuis nunc ignoratis, abolitam esse consuetudinem, qua laici olim, nec id fortasse diu, sub vtraque specie solebant recipere sacramentum? Præterea si eam rem ad exactam euangelicæ narrationis formam reuocat, neque quicquam prorsus permittit ecclesiæ, cur eucharistiam non iubet semper in cœna recipi, imò verò post cœnam? Denique non

*Infantes olim ad cõmunionem admittebãtur.*

minus incommodi fuerit, in hoc ſacramento facere ſi quid feciſſe non debeas, quàm ſi quid non facias quod feciſſe debueras. Ergo ſi totius eccleſiæ conſuetudo rectum non facit, vt in laicis omittatur ſpecies vini, qua ratione aquam in vinum audet Lutherus infundere? Neque enim tam audacem puto, vt ſine aqua conſecret, quàm tamen vt admiſceret, neque exemplum habet ex cœna dominica, neque ex apoſtoli traditione compertum, ſed ſola eccleſię conſuetudine didicit: cui ſi putat hac in parte parendum, cur eam in altera tam arroganter oppugnat? Qua de re quicquid Lutherus obgannit, ego certe tutius opinor credere, laicos recte ſub altera tantum ſpecie communicates, quàm per tot ſecula totum clerum, quod iſte diſputat, hac vna de cauſa fuiſſe damnatum. Nam omnes appellat impios, & tales, vt in crimẽ inciderint læſæ maieſtatis euangelicæ. Quòd ſi vtri ſint (inquit) hęretici & ſchiſmatici nominandi: non Bohemi, non Græci, quia euangeliis nituntur, ſed vos Romani eſtis hæretici & impij ſchiſmatici, qui ſolo veſtro figmẽto præſumitis contra euidentes dei ſcri-

*Lutheri verba cõtumelioſa in totũ clerũ.*

pturas. Si Lutherus nihil admittit aliud, quàm euidentes dei scripturas, cur non iubet eucharistiam, vti dixi, sumi a cœnãtibus? Nam sic factum à Christo scriptura commemorat. Quanto melius crederet Lutherus, non humano figmento, sed eodẽ authore deo factũ in ecclesia ne laici sub vtraque specie reciperent eucharistiam, quo authore factum est vt reciperetur a ieiunis? Placuit enim, vt ait beatus Augustinus, spiritui sancto, vt corpus domini quod post alios cibos ab apostolis in cœna receptum est, ante alios cibos a ieiunis reciperetur in ecclesia. Videtur ergo verisimile, quòd spiritus sanctus, qui Christi regit ecclesiam, sicut eucharistiæ sacramentum mutauit a cœnantibus ad ieiunos, ita laicos ab vtraque specie deduxit in alteram. Nam qui alterum mutare potuit, cur non alterare potuerit & alterum? Hoc loco planè se ostendit Luthe rus, quid agitet in animo, quum Bohemos (quorum perfidiam pridem execrabatur) nunc tam blande vicissim demulceat. neque enim quisquam eorum quos ille papistas appellat, & adulatores pontificis, ita Romano blãditur antistiti, quo-

*Augustin*

modo Lutherus etiam fæci Bohemicæ plebis adulatur. Nec id tamen ab re. Videt enim breui fore, vt Germani, quibus pridem per speciem ouinæ simplicitatis imposuit, agnitum tandem lupum sint eiecturi: atque ideo Bohemis antè se insinuat, ac sibi quoad potest, amicos facit de mãmona iniquitatis, vt in quorũ ĩmigrauit errores, aliquando sua extorris, illorũ immigrare sinatur in patriam. Ad quos vt ob facinus aliquod insigne veniat commendatior, conatur interim ecclesiasticæ consuetudinis omnem vim atque authoritatem extinguere: post, si id, quod omen auertant superi, fœliciter ei cesserit, concussurus omnia. Longius enim destinat, quàm quò putatur, tendere. Atque ita caussam agit laicorum, vt longe meditetur aliud, quàm prę se fert: quibus quantumuis blande porrigat altera manu panem, altera tamen gestat scorpionem. Nam multis primum verbis agit, vt laici permittantur vtranque speciem sumere. Et quis nũc nõ credat hoc eum conari, vt laicorum cultũ erga sacramẽtũ adaugeat? Verum paulisper obserua quò tendat. Nam tandem sic rem totam claudit, vt id

*Lutherus fingam meditatur ad Bohemos.*

*Lutheri dolus deprehensus.*

quoque permitti postulet, ne laici communicare cogantur in paschate, neve vllum eis sumendæ eucharistiæ tempus indicatur, sed liber quisque suo relinquatur arbitrio, immô vero vt ne sæpius in tota vita quisquã sumat quàm semel, idque nõ ante extremum vitæ diem, qui & incertus est, & quum ad eum ventum est, sumere plerique non sustinent. Ita qui videbatur id agere, vt laici recipere sinerẽtur vtranque, id obliquè procurat, vt impune liceat ne speciem vnquam quisquam sumat vllam: & hanc præclaram libertatem ducit, vt populus in toto à suscipiẽdo sacramẽto liberetur. Quamobrem vtcũque serpẽs amico blandiatur aspectu, certe venenata ista cauda spiculũ quęrit infigere, facitque perspicuũ, hoc magis illũ torquere, quòd populus alteram speciem recipiat, quàm quòd altera abstineat. Nam quemadmodum serpens antiquus eiectus e celo, inuidit homini paradisum, ita Lutherus quoque postquam sua culpa sic in excommunicationis incidit laqueum, vt vtriusque speciei salubri communione priuetur, reliquos omnes eodem laqueo cupit implicare, vt vtriusque recipiendæ vinculo

*Speciosa Lutheri libertas Aegyptiaca seruitute detetior.*

*Lutheri hypocrisis.*

vinculo soluti, neutram paulatim assuescant recipere. Quod illius execrandum propositum, quo magis in libello progrederis, eo magis magisque pellucet. Nam secundam captiuitatem facit, quòd quisquam vetetur credere verum panem, verũque vinũ restare post consecrationẽ. Qua in re cõtra quàm tot' iã credit Christianus orbis, ac multis retro seculis credidit, persuadere conatur Lutherus in eucharistia sic esse Christi corpus & sanguinem, vt tamen substantia veri panis, verique vini remaneat. posthac opinor, quum libebit, corporis aliquando substantiam sanguinisque negaturus, tanquam post in melius mutata sententia, quemadmodum ter antè iam fecit, nẽpe in indulgentiis, in potestate pontificis, & communione laicorum. Interea se fingit ista docere, motũ videlicet misericordia captiuitatis qua populus Israeliticus seruiat Babyloni. Ita totam ecclesiam appellat Babylonem, ecclesiæ fidem vocat seruitutem, & homo misericors offert libertatem omnibus qui velint ab ecclesia separari, & istius putridi & abscisi membri contagione corrumpi. At quibus modis inuitat in hanc plus

*Lutheri insignis misericordia.*

quàm seruilem libertatem, operæpretium est cognoscere.

*Lutheri argumẽtum.*

Magnam censet ac primariã rationem, quòd verbis diuinis non est vlla facienda vis, neque per hominem, neque per angelum, sed quantum fieri potest, inquit, in simplicissima significatione seruãda sunt, & nisi manifesta circunstantia cogat, extra grammaticam, & propriam, accipienda nõ sunt, ne detur aduersariis occasio vniuersam scripturam eludendi. At vis (inquit) fit verbis diuinis, si quod Christus ipse vocat panem, hoc nos dicamus intelligi panis accidentia: & quod ille vinum vocat, hoc nos dicamus esse tantùm vini speciem. Omnibus ergo modis verus panis, ac verum vinũ restat in altari, ne verbis Christi fiat vis, si species sumatur pro substantia. Nam quum Euangelistæ clare scribant (inquit) Christũ accepisse panem ac benedixisse, & Actuum liber, & Paulus panem deinceps appellent, verum oportet intelligi panem, verumque vinum, sicut verum calicem. Non enim calicem transsubstãtiari etiam ipsi dicunt.

*Lutheri argumentum diluitur.*

Hæc est ergo magna, &, quemadmodũ ipse ait, primaria Lutheri ratio, quam

ego me spero facturum vt omnes quam primum intelligant nihil magni habere momenti. Nam primũ id quod ait, Euangelistas clare dicere, quantumuis clare dicant, pro Luthero tamen nihil clare probat. contra vero, quod pro illo probaret, hoc nusquam dicunt. An non scribunt (inquit) accepisse panem, & benedixisse? Quid tum postea? Accepisse panem & benedixisse, etiam nos fatemur. Panem vero dedisse discipulis, postquam inde suum corpus confecerat, hoc & nos instanter negamus, & euangelistæ non dicunt. Quæ res quò fiat apertior & tergiuersandi minus pateat locus, euangelistas ipsos audiamus. Matthæus ergo sic narrat. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marci verò verba sunt ista: Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens fre-

*Matth. 26.*

*Marci. 14.*

git, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Lucas denique narrat hoc pacto: Et accepto pane gratias egit ac fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Ex omnibus his euangelistarum verbis nullum video locum in quo post consecrationem sacramentum vocetur panis aut vinum, sed tantùm corpus & sanguis. Dicunt in manus Christum sumpsisse panem, id quod etiam nunc fatemur omnes: at quum reciperent apostoli, non panis nominatur, sed corpus. At Lutherus euangelistæ verba in suam partem conatur interpretatione torquere. Accipite, manducate: hoc, id est hic panis, inquit is, quem acceperat & fregerat, est corpus meum. Sed hæc est interpretatio Lutheri, non

*Luc. 22.*

*Argutula Lutheri interpretatio.*

verba Christi, neque verborum sensus. Si panem quem accepit, quemadmodum accepit, sic tradidisset discipulis, nec antè conuertisset in carnem, ac porrigendo dixisset, Accipite & manducate, recte diceretur porrexisse quod in manus acceperat: nihil enim fuisset aliud quod porrigeretur. At quum priusquam daret apostolis manducandum, panem conuertit in carnem, non iam accipiunt panem, quem ille susceperat, sed corpus eius in quod panem conuerterat. Quemadmodum si quis quum semen accepisset, alij daret inde natum florem, non id dedisset, quod acceperat, quanquam naturæ communis ordo alterũ fecisset ex altero: ita multo minus porrexit apostolis id quod in manus acceperat Christus, quum panem susceptum in suam ipse carnem tanto vertisset miraculo: nisi quis contendat, quoniam Aaron virgam sumpsit in manum, & virgam proiecit è manu, ideo cum colubro quoque, virgæ restitisse substantiam, aut colubri denuo cũ recepta virgula. Quod si cum colubro virga restare non potuit, quanto minus restare potest panis cum carne Christi, tam incõparabili substan-

*Cõparatio elegans.*

*Cõparatio efficax.*

*Lutheri nugax argutia eluditur.*

tia? Nam quod argutatur, imò nugatur Lutherus, pro suæ simplicitate fidei facere, quum de vino dicat Christus, non, hoc est sanguis meus, sed, hic est sanguis meus: miror quid homini venerit in mentem, quum istud scriberet. Quis enim non videt, quàm nihil omnino facit pro eo, imò contra? videretur magis pro eo feciſſe, si dixisset Christus, Hoc est sanguis meus.

*Luth. argumẽtum de articulo retortum.*

Habuisset enim ansam saltem Lutherus, qua demonstrandi articulum referret ad vinum. Nunc vero quum vinum sit neutri generis, Christus ait, non hoc, sed hic est sanguis meus. & quum panis sit generis masculi, ait tamẽ: Hoc est corpus meũ, non hic: vt vterque ostendat articulus, Christum neque panẽ propinare, neque vinum, sed suũ ipsius corpus & sanguinẽ. Nam quod videri vult Lutherus, pronomen hoc, ad corpus referri, non Christi proposito, sed occasione linguarũ, nempe Latinæ & Græcæ, ac proinde nos remittit ad Hebraicam, an non ridiculum est? Nam Hebræa lingua si neutrum genus non habet, non potest tam aperte declarare, ad vtrum Christus retulit articulum, quàm latina vel græca. Nam in He-

bræa lingua si articulus fuisset masculus, tanquam diceret, hic est corpus meum, tamen res relinqueretur ambigua, quia potuisset ea locutio videri coacta, necessitate linguæ non habentis neutrũ. Sed quum apud Latinos panis & corpus sint diuersi generis, is qui transtulit e græca, articulũ coniunxisset eũ pane, nisi apud euangelistam reperisset demonstrationẽ factam de corpore. Præterea quũ Lutherus fateatur idem generis discrimẽ esse & græcis, facile potuisset cognoscere euangelistas, qui scripserunt græce, articulũ fuisse posituros qui referretur ad panẽ, nisi quòd conscij mentis dominicę voluerũt admonere Christianos articulo corporis, Christũ nõ panẽ cõmunicasse discipulis, sed corpus. Quamobrem quod Lutherus interpretatur in suam partẽ verba Christi, Accipite & manducate, hoc est corpus meũ, id est hic panis, quẽ acceperat: non ego, sed ipse Christus contra docet sua verba intelligi, nẽpe, hoc quod eis porrigebat, non esse quod ipsis videbatur, panem, sed suũ ipsius corpus, si recte Christi verba recensent euangelistæ. Nam alioqui poterat dicere, non hoc, quod exponeretur id

est hic, sed aperte potius, hic panis est corpus meum: quo sermone docerentur discipuli id quod nunc Lutherus docet ecclesiã, nẽpe in eucharistia pariter & Christi esse corpus & panem. Nunc vero sic locutus est vt ostenderet manifeste, corpus duntaxat esse, non panem.

Iam quod tam magnifice transfert ad se Lutherus, quòd Christus etiam loquitur de calice, quem nemo dicat esse transsubstantiatum, miror hominẽ nõ pudere tam intemperantis ineptiæ. Quum dicit Christus, Hic calix noui testaměti in meo sanguine, quid facit pro Luthero? Quid enim significat aliud, quàm id quod discipulis propinabat in calice, suum esse sanguinem? An ex his Christi verbis ostendet nobis Lutherus, manere vini substantiã, quia Christ⁹ loquitur de sanguine? aut vinũ in sanguinem nõ posse mutari, quia adhuc restat calix? Vtinã pludiũ delegisset sibi Luther⁹ ex alia materia, in qua minore periculo potuisset ludere. Nã quum Bohemos & Græcos sic excuset ab hæresi, vt hæreticos clamet omnes esse Romanos, multo magis ostendit se Lutherus hæreticũ, qui non solum fidẽ abnegat, quam

*Argumentum Lutheri ineptissimum.*

tota credit ecclesia, sed etiã deteriora credi suadet, quàm aut crediderũt Græci, aut vnquam credidere Bohemi. Hactenus ista disserui, duntaxat vt ostenderem, ex ipsius Christi verbis & euangelistarũ ostẽdi nõ posse, quod iste se iactat ostẽdere, imò cõtra liquere perspicue, in eucharistia panẽ non esse. Quod in actis apostolorũ ait eucharistiam appellari panem, vellẽ protulisset locũ: ego nullũ reperio qui non sit ambiguus, & potius videatur de cõmuni conuiuio dicere, quàm sacramento. Apostolus tamen, fateor, panem non semel ap 1. Cor. 2.
pellat, vel scripturæ secutus in sermone morem, quæ solet interdum vocare quippiam non id quod est, sed quod antè fuerat, vt quũ ait, Virga Aarõ deuorauit vir- Exod. 7.
gas magorũ, quæ tamẽ tũc virgæ nõ erãt, sed serpentes: vel cõtentus fortasse vocare quod specie præ se ferebat, quũ satis haberet, rudẽ adhuc in fide populũ lacte pascere, nec primũ aliud exigere, quã vt quocũque modo crederẽt in sacramẽto esse corpus Christi, postea paulatim solidiore cibo pasturus, postquã adoleuissent in domino. Idẽ potuit & in apostolorũ actis cõtingere, vbi nec beatus Petrus alloquens

populum,& illis Christi fidem insinuans, ausus est adhuc aperte quicquã de eius diuinitate dicere.ita abdita &populis dubia mysteria nõ temere proferebant. At Christus apostolos suos, quos tandiu sua doctrina formauerat, ipso sacramenti instituendi principio docere nõ dubitauit, panis vinique nõ amplius restare substantiã, sed manente vtriusque specie, vtrunque tamen & panem & vinũ in corpus & sanguinem suum esse conuersum. Quod tam aperte docuit,vt plane mirandũ sit, exortum quenquam postea, qui rem tã claram rursus vocaret in dubiũ. Quomodo enim potuisset apertius dicere,nihil illic remanere panis,quàm quũ dixit, Hoc est corpus meũ? Non enim dixit, In hoc est corpus meum,aut cum hoc quod videtis, est corpus meum:tanquam in pane aut simul cum pane consisteret,sed hoc est, inquit, corpus meum : nimirum declarans manifeste ( vt os cuiusque gannientis obstrueret)hoc totũ quod porrigebat,ipsius corpus esse. Quod ita porrectum apostolis, etiãsi(quod nõ fecit) nomine panis appellasset,tamen quũ simul admoneret audientes, idipsum quod vocaret panem, nihil

*Contra Lutherum ex ipsis Christi verbis.*

aliud esse quàm suum corpus, in quod totus fuerat ipso mutante conuersus: nemo potuisset dubitare, quid Christ⁹ vellet panis appellatione significari, eoq; circũstantia ipsa (nam circunstantiã Lutherus admittit) declarat euidenter, vocabulum panis, quũ panis mutatur in carnem, absque vllaviolentia facta verbo diuino, panis significare speciẽ, non substantiã: nisi Lutherus adeo inhæreat proprietati verborum, vt Christum credat in cœlis quoque fuisse panẽ triticeũ, aut hordeaceum, propterea quòd ipse dicit de se, Ego sum panis qui de cœlo descendi. aut veris vuis onustam vitẽ, quia dixit ipse, Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. aut electos denique remunerandos in cœlo voluptate corporea, propterea quòd Christus ait: Ego dispono vobis, sicut mihi disposuit pater meus regnũ, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.

*Contra Lutherum ex circunstantia.*

*Lutheri farceta illusio.*

*Luc. 22.*

Lutherus multus est in destruendis neotericorum argumentis, quibus defendere nituntur & probare transsubstantiationem, rationibus petitis ex Aristotelica schola. Qua in re videtur plus laboris insumere quàm res exigat.

*Neotericorum cõtra Lutherum defensio.*

Neque enim ideo credit Ecclesia, quia sic illi disputant: sed quia sic Ecclesia iam inde ab initio credidit, & ne quis vacillet, ita credendum esse decreuit: ideo illi rationibus etiam philosophicis exercent ingenium, quibus vtcunque docere possint, quòd ex tali fide nihil sequatur absurdũ, aut conuersio panis in substãtiam nouam necessario tollat ac non relinquat priorẽ.

Nam quod Lutherus ait hanc fidẽ transsubstãtiationis iam intra trecentos annos proximos esse natam, quum prius à Christo plus annis mille ducentis ecclesia rectè crediderit, nec interim de transsubstãtiatione tam portentoso (vt ait ille) vocabulo, mentio vnquam vlla sit facta: si de vocabulo tantum litiget, nemo erit, opinor, illi molestus, vt credat transsubstantiationem, modò credat panem sic esse conuersum in carnem, & vinum in sanguinem, vt nihil neque panis remaneat neque vini, præter speciẽ, quod ipsum vno verbo volunt quicunque ponunt transsubstantiationem. At istud postquam ecclesia verum esse decreuit, etiam si nunc primum decerneret, tamen si veteres non credidere cõtrarium, quãquam de ea re nunquam ante

quisquam cogitasset, cur non obtemperaret Lutherus ecclesiæ totius præsenti decreto persuasus, id nũc tandẽ reuelatũ ecclesiæ, qđ ante latuisset? Spiritus enim sicut vbi vult spirat, ita spirat & quando vult. *Ioan. 3.*

Nunc vero non est istud tam nouum, quàm fingit Lutherus, qui quũ hanc transsubstantiationis fidem natam esse dicat ab annis hinc trecẽtis, ne grauetur quæso cõcedere saltem quadringentos. Totidem enim opinor effluxisse post editũ ab Hugone de sancto Victore librum de sacramentis, in quo transsubstantiationis etsi non verbum, rem certe & sententiam reperias. Ait enim hoc pacto: Iam quũ vnũ sit sacramentum, tria ibi discreta proponũtur, species videlicet visibilis, & veritas corporis, & virtus gratiæ spiritualis. Vides vt speciẽ ponat panis, nõ veritatẽ: veritatẽ corporis, non speciẽ? Et paulo post apertius. Quod enim videmus, species est panis & vini: quod autem sub specie illa credimus, verum corpus Christi est, & verus sanguis Iesu Christi, quod pepẽdit in cruce, & qui fluxit de latere. Item alio loco multo adhuc manifestius, quũ ait: Verbo sanctificationis, vera panis & vera vini

substantia, in verum corpus & sanguinem Christi conuertitur, sola specie panis & vini remanente, & substantia in substantiam transeunte. Clarum est igitur, hanc transsubstantiationis fidem antiquiorem esse aliquanto, quàm fingit Lutherus. At vt eum astringamus fortius, ostendemus, quod ille natum videri vult intra annos trecentos, fidem fuisse sanctissimorum patrũ ab annis hinc plus mille. Cõstat enim ante annos plus mille sic credidisse fideles, vt faterentur totam panis viniq; substantiam in Christi corpus & sanguinem veraciter esse conuersam. Quo magis miror non pudere Lutherum, quum dicat hanc fidem transsubstantiationis intra annos natam esse trecentos. Eusebium Emissenum quis nescit ante annos plus sexcentos esse defunctum? qui quasi veritus olim fore qui talia molirentur, tot annis iam præteritis clamauit: Recedat (inquit) omne infidelitatis ambiguum, quoniam quidem qui author est muneris, ipse est etiam testis veritatis. Iã inuisibilis sacerdos, visibiles creaturas, in substãtiam corporis & sanguinis sui secreta potestate conuertit, ita dicens: Accipite & comedite: hoc est

*Eusebius Emissenus.*

corp⁹ meũ. & repetita benedictione, Accipite & bibite: hic est sanguis meus. Nõne hic vir sanctissimus aperte dicit, panis ac vini substantias in substantias corporis & sanguinis esse conuersas? Quid beatus Augustinus quum ait? Nos autem in specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est carnem & sanguinem honoramus. Quid potest apertius dici? Non enim dicit in pane & vino, sed in specie panis & vini. Lutherus negat panem appellandum esse, quod tãtùm sit species panis, & putat Augustinum fuisse vocaturũ speciem panis, id quod esset panis vera substantia? Gregorius item Nyssenus, Panis, inquit, est ante consecrationem, sed vbi cõsecratur mysterio, fit & dicitur corpus Christi. Quod ait esse ante consecrationem, hoc designat post cõsecrationẽ non esse. Quin Theophilus quoque declarans hæc verba, Hoc est corpus meum, hoc, inquit, quod nunc do, & quod nũc sumitis. Non autem panis figura tantùm est corporis Christi, sed in propriũ Christi corpus transmutatur. & paulo post ait: Si carnem & sanguinẽ cerneremus, sumere non sustineremus. Propter hoc dominus nostræ

*Augustin⁹*

*Gregorius. Nyssenus.*

*Theophil⁹.*

infirmitati condescendés, species panis & vini conseruat, sed panem & vinum in veritatem conuertit carnis & sanguinis. Hic vir piissimus, idemq; doctissimus, bis premit Lutherum. Nam primùm illum articulum, hoc, docet non quomodo Lutherus docet exponendum, Hoc, id est hic panis, sed hoc, id est id quod nunc ego do, & quod vos sumitis. deinde dicit aperte, panis & vini non nisi species esse conseruatas, substantias ipsas in corpus & sanguinem esse conuersas. At quid aliud volunt qui ponunt transsubstantiationem, quàm quod hic ait Theophilus, non intra trecentos hos annos proximos, quippe qui defunctus est aliquot annorum centenariis priusquam transsubstantiationis vocabulum nasceretur? Quid beatum Cyrillum commemorem, qui non tantum dicit idē, sed ferme etiā eodē modo? Ait enim, Ne horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendés deus fragilitatib' nostris, infundit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis. Præterea ne quis dicat antiquos patres credidisse sic in Eucharistia corpus esse Christi, vt tamen remaneat panis, non

*Cyrillus*

ista tan-

ista tantum obstant quæ diximus (quæ tamen obstant apertissime) sed illud præterea, quod supra diximus ex Ambrosio, quum ait: Licet figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud quàm caro Christi & sanguis post consecrationem credendũ est. Videtis vt beatissimus pater dicat nõ tantum corpus esse & sanguinẽ, sed etiam nihil esse præterea, licet panis & vinum esse videatur? Et istud qui dicit, non intra trecentos annos proximos hoc dixit, intra quos hanc trãsmutationis fidem exortam esse fingit Lutherus, sed dixit ante annos plus mille. Nec ego certe veterũ ferè sanctorum patrum quenquã puto fuisse probaturum concinnam istam Lutheri similitudinem ferri cum igne coniuncti. Nam nemo vnquã dixit, ferrum sic in ignem cõuerti, vt tantum ferri species relinquatur, substantia ferri in ignis mutata substantiam: quod de pane & Christi carne veteres senserũt omnes. Aut si quis vnus forte sensit aliter, tamen neque vna hirundo facit ver, & ille quisquis fuerit, potius excusandus est quòd in re tum non satis excussa parum peruiderit, quàm contra cæterorum omnium, contra totius Ecclesiæ,

*Ambros⁹.*

*Cõparatio Lutheri eluditur.*

contra tot ætatū fidem sequēdus, in quam ipse quoque quisquis fuerit, modo bonus fuerit, si nūc viueret, dubio procul fuerat conceſſurus. Nam quisquis beatiſsimum Christi corpus sic vt debet existimat, facilius assentietur quascunque duas substantias simul manere coniunctas, quàm vllum corpus aliud manere commixtum cum venerando corpore Christi. Neque enim vlla substātia digna est, quæ cum ea misceatur substantia, quæ substantias omnes condidit. Præterea olim patribus opinor multo adhuc minus fuisse placitura illam Lutheri collationem, qua sic vult panem simul restare cū carne, sicut restabat in vna Christi persona deus cum homine. Nam vt passim veterum quisque patrum doctissimus atque sanctiſsimus fatetur panē mutari in carnem, ita nemo tam impius erat, aut inscius, vt humanitatem conuerti senserit in diuinitatem, nisi forte nouam nobis personam fingat Lutherus, vt quomodo deus assumpsit hominē, ita deus & homo assumant panem & vinum. quod si credat, habebitur opinor hæreticus apud omnes qui non sunt hæretici. Quamobrē vt aliquando finē de transsubstantiatione

faciam, ex ipsis Christi verbis & sanctorũ virorũ sententiis, euidẽter liquet hãc quã nunc tenet ecclesia, verã esse fidẽ, qua creditur panis aut vini substantiã in eucharistia nõ manere: ex qua & illud sequitur, hoc Lutheri dogma, quod contra docet, falsum esse prorsus & hæreticum. Quo ex dogmate miror quid fructus populo spõdeat. An, quod ait ipse, ne quis propterea semet credat hęreticũ, quòd fors ita cũ Luthero sentiat? At Lutherus ipse fatetur nihil esse periculi, si quis hac in re sentiat quod tota iã sentit ecclesia. At cõtrà tota ecclesia cẽset hæreticũ esse cũ, qui sentiat cũ Luthero. Nõ debet ergo Lutherus animare quenquã cui bene cupit, vt secũ sentiat, cui⁹ sentẽtiã tota cõdẽnat ecclesia, sed debet his suadere quos amat, vt accedãt illis quos ipse quoq; indicat in nullo versari periculo. Falsa est ergo ista Lutheri via, cõtra publicã fidẽ nõ hui⁹ modo tẽporis, sed etiã ætatũ oĩm: nec liberat captiuitate credẽtes ei, sed educẽs è libertate fidei, hoc est è loco tuto, qđ Lutherus ipse fatet, captiuat in errorẽ, ducẽs in ẽpitiũ, & vias inuias, incertas, dubias, eoq; plenas periculi: & qui amat periculum, perit in illo.

*Lutheri verba.*

*Exitus credentiũ Luthero.*

*Tertia Lutheri captiuitas excutitur.*

Postquam duas illas, quas ipse sibi fingit captiuitates, homo in malũ liber, euasit, ne mentem in dei captiuet obsequium, expugnat, vt simulat, captiuitatẽ tertiam, & libertatem proponit, qua totam captiuet ecclesiam: vtpote cuius lucidissimam nubem dispergere, columnam ignis extinguere, arcam violare fœderis, summum atque vnicum sacrificium dei propitiatorium, quod assidue pro populi peccatis offertur, homo plusquam sacrilegus, conatur auferre. Nam missam, omni fructu qui ex ea promanat in populum, pro sua virili despoliat, quum missam negat bonum opus esse, aut populo quicquam prodesse. Qua in re nescio, magísne impietatem hominis admirer, an stultissimam spem, vel potius insanam superbiam, qui quum tam multas ipse commemoret sibi obiectas obices, nihil affert secum, quo reuellat vllam, sed perinde agit, ac si rupes foret arundine perfossurus. Videt enim & fatetur obstare sibi sanctorum patrum sententias, missæ canonem, totam denique totius ecclesiæ consuetudinem, tot seculorum vsu, tot populorum consensu corroboratam. Quid ergo præsidij aduersus tot acies tá

*Quæ sibi Lutherus obiicit, ipse non diluit.*

validas, tam inuictas opponit? Vsitata via grassatur, laborat seminare discordiam, & ferere seditiones, plebem in patres excitare: & quo vulgus ad defectionem prouocet, stultissima solertia, & facillime coarguenda, mentitur, totius exercitus ducem Christum in suis sese castris habere, & euãgelij tubã pro se simulat canere. Quo stratagemate nullum vnquam fuit excogitatum stultius. Nam quis vsquam viuit aut tam impius, aut tam omnino stupidus, qui ecclesiam corpus Christi mysticum sic laceratam censeat, vt vbi membrorum omnium compago sit, illinc caput putet esse diuulsum? vt is qui carnẽ quam sumpsit, nunquam deseruit, ecclesiã, propter quam sumpsit carnem, deseruerit: & cum qua se promisit ad finem vsque seculi permansurum, ab ea prorsus tot iam seculis abfuerit, atque ad Lutherum tandem coniuratissimum eius hostem transfugerit?

*Argumentum validũ ex Christi promissione.*

Verùm videamus obsecro, quid afferat præstigij, quo faciat verum videri, quòd dicit Christum pro se stare. Post longas ambages definit missam, deinde separat à missa missæ cæremonias, excutit cœnã dominicam, & verba Christi trutinat quibus

vsus est quum instituere missæ sacramentum. Ibi quum testamenti verbum, rem videlicet tam abstrusam reperisset, iam tanquam profligatis hostibus, cœpit ingeminare victoriam: verbis adornat inuentum, vt iactat, suum, & tanquam mysterium hactenus inauditum, magno supercilio docet quid sit testamentum.

*Verba Lutheri testamentũ definientis.*

Notandum esse clamat, ac memoria tenendum, testamentum esse morituri promissionem, qua nuncupat hæreditatem, & instituit hæredes. Hoc igitur sacramentũ, inquit, missæ, nihil est aliud quàm testamentum Christi. testamentum verò nihil aliud est, quàm promissio hæreditatis æternæ nobis Christianis, quos suos hæredes instituit, corpus & sanguinem suũ velut signum ratæ promissionis adiiciẽs. Hoc igitur decies repetit, inculcat, infigit, vtpote quod haberi vult immobile fundamentum, super quod ædificet ligna, fœnum, stipulam. Nam hoc fundamento iacto, quòd missa Christi sit testamentum,

*Sacrosancta Lutheri dogmata.*

omnem sese iactat impietatẽ euersurum, quam impij, vt ait, homines inuexerunt in hoc sacramentum, & se dilucide probaturum, ad communionem recipiendam sola

ſide veniendum eſſe: de operibus cuiuſmodi ſint, non admodum eſſe curandum: conſcientia quanto magis erronea ſit, ac peccatorum vel morſu vel titillatione moueatur, tanto ſanctius accedi: quanto ſerenior, purior, & errore purgatior, tanto ſumi deterius. Ad hæc, Miſſam, bonũ opus non eſſe. Miſſam non eſſe ſacrificium. Miſſam ſacerdoti tantùm, non autem populo prodeſſe. Nihil prodeſſe defunctis, nihil cuiquam viuentium. Impium eſſe erroré ſi miſſa canatur pro peccatis, ſi pro cuiuſquam neceſsitate, ſi pro mortuis. Inanem eſſe rem & impiam fraternitates, & annuas defunctorum memorias: abolendam eſſe talem omnem ſacerdotum, monachorum, canonicorum, fratrum, religioſorum denique, quos vocamus, omnium alimoniam. Hæc igitur tot & tam immenſa bona ſe reperiſſe gloriatur in eo ſolo quòd hoc ſacroſanctum ſacramentum comperit eſſe Chriſti teſtamentum. Iamque in Sententiarios protinus, quos vocat, doctores inuehitur. Exclamat in omnes qui declamant apud populum, quòd quum illi tam multa ſcribant, hi tam multa loquantur & prædicent de Euchariſtiæ ſacramẽto, neu-

*Et tu Luthere ex illis.*

tri tamen attingant quicquam de testamẽto, sed impie celẽt populum, bonum illud incomparabile, quod tamen iam olim scis se profuisset: ex Missa nihil vnquam boni laicos neque viuos neque defunctos esse consecuturos. Ob cuius rei ignorantiam denunciat vniuersos hodie sacerdotes & monachos cum episcopis & omnibus suis maioribus idololatras esse, atque in statu periculosissimo versari. Igitur istud Lutheri mysterium, è quo tantas efflat glorias, quòd definitionem testamenti tam accurate ad sacramentum applicat, quàm verùm sit non excutio, sed interim certe non video cur hoc inuentum tanquam nouum tam magnifice iactet pro suo. Nescio quos illic concionantes audiat, hic certe non semel audiuimus eam similitudinem ad tædium vsque tractantes fraterculos, vt qui non ea duntaxat afferrent, quæ nunc pro nouis & exquisitis affert Lutherus, Christum esse testatorem, testamentum in cœna condidisse, hæreditatem promisisse, eandem nuncupasse regnũ cœlorum, hæredes instituisse fidelium cœtum, sacramentum hoc sacrum esse signũ, quod sit adhibitum pro sigillo: non hæc

inquam tantùm, sed & testium numerum, & syngrapham, & alios testamentorum ritus, ex intimis vtriusque iuris erutos penetralibus explicarent, atque ad amussim omnia applicarent ad sacramentum. Hoc aliquanto concinnius, ac verius quoque quàm Lutherus, quòd ad idem testamentum referebant non tantum quę Christus fecit in cœna, sed etiam quæ passus est in cruce. Hoc vno tantùm impares Luthero, quod mirabiles, & hactenus inauditos Missæ fructus non inuenerunt, quibus & clerus præsentis vitæ fructum omnem, & populus futuræ perderet. Neque enim sacerdotibus quicquam laici tẽporalis boni conferrent ob Missam, è qua persuaderentur nihil se spiritualis boni referre. Sed operæpretium est videre, qua ex arbore tam salubres fructus colligat Lutherus. Postquam ergo sæpius inculcauit, Eucharistiæ sacramentum, signum esse testamenti, testamentum vero nihil esse aliud quàm promissionem hæreditatis, inde continuò censet consequi, vt Missa neque bonum opus esse possit, neque sacrificium. quod quisquis ei concesserit, iã illi statim admittendus erit totus ille pe-

*Quod missa non sit opus, argumentũ Lutheri primum.*

stium catalogus, quo totam ecclesiæ faciē confundit. At quisquis negauerit illi, iam tam magno molimine nihil egerit. Nam argumenta quibus ea docere præ se fert, pudet propemodum recensere: ita sunt in re tantæ maiestatis nugacia prorsus ac friuola. Sic enim colligit, (nam ipsius verba recitabo) Audisti, missam nihil aliud esse, quàm promissionem diuinam, seu testamentum Christi, sacramento corporis & sanguinis sui commendatum. Quod si verum est, intelligis eam non posse opus esse vllo modo, nec alio studio à quoquam tractari, quàm sola fide. fides autem non est opus, sed magistra & vita operum.

*Verba Lucheri.*

Mirū est, quanto nixu parturiens, quàm nihil peperit, nisi merum ventum, quem quum ipse tam validum velit videri, vt montes posset euertere, mihi profecto videtur tam languidus, vt agitare non possit arundinem. Nam si verborum tollas inuolucra, quibus rem absurdam velut simiam purpura vestit, si tollas exclamationes illas quibus iā velut re dilucide probata, toties in totam debacchatur ecclesiā, & nondum collata manu tanquam ferox victor insultat, nihil aliud restare vide-

bis, quàm nudum & miserum sophisma. Quid enim aliud dicit tanto verborum ambitu, quàm, missa est promissio, ergo non potest esse opus? Quem non misereat hominis, si tam stupidus sit, vt ineptiam suam non sentiat? aut quis non indignetur, si sibi conscius, tam stupidos tamen omnes existimet Christianos, vt tam manifestas insanias nequeant deprehendere? Non contendam cum eo de testamento & promissione, & tota illa definitione & applicatione testamenti ad sacramentum. Non ero tam molestus ei, quàm alios fortassis inueniet, si qui bonã ei partẽ istius fundamenti subruerint, qui & testamentũ nouum dicant promissionem esse legis Euangelicæ, quemadmodum vetus fuit Mosaicæ, & testamentum istud negent à Luthero satis scite tractari. neque enim testatori nuncupandum esse nominatim quid relinquat hæredi quem ex asse instituat: neque remissionem peccatorũ quam pro hæreditate nũcupatam Lutherus ait, idem esse quod regnum cœlorum, sed viã potius ad cœlum. Quas res atque alias itẽ aliquot, quisquis vrgere volet ac premere, posset fortassis fundamenti Lutheria-

*Lutherus adulterat Christi testamentũ.*

ni structuram machinis alicunde concutere. Verùm istud eis permittam, qui volent. Ego istud ei fundamentum, quod immobile postulat esse, non mouebo: tantùm ostendam, ædificium quod superstruxit, facilè per se corruere. Quod quo liquidius appareat, consideremus paulisper originem rei, missámque ad primum eius exemplar examinemus. Christus igitur in illa cœna sanctissima, qua sacramentum illud instituit, corpus suum & sanguinem ex pane & vino confecit, ac tradidit manducandum bibendúmque discipulis, tunc intra paucas horas idem corpus, eundem sanguinem in ara crucis obtulit in sacrificium patri pro peccatis populi: quo sacrificio peracto, testamentum consummatũ est. In cœna iam morti proximus, quemadmodum solent morientes, testamento quodam testatus est mentem suam, quid se defuncto fieret in memoriam sui. Instituens igitur sacrãmentum, quum suum corpus ac sanguinem exhibuisset discipulis, ait illis, Hoc facite in meam commemorationem. Hoc si quis expendat diligenter, videbit Christum sacerdotem æternum loco sacrificiorum omnium quæ

*Cœna dominica pulchre expẽditur.*

temporarium Mosaicæ legis sacerdotium offerebat, quorum etiam pleraque sacrosancti huius sacrificij typum gerebãt, vnũ sacrificium, omnium summum, omnium plenitudinem, & quandam veluti summam instituisse, quod & offerretur deo, & in cibum daretur populo. Qua in re vt Christus sacerdos erat, ita discipuli eotenus repræsentabant populum, qui non consecrabant ipsi, sed cõsecratum de manu sacerdotis sui sumebant, sed eos statim deus in sacerdotes elegit atque instituit, vt ipsi idem sacramentum facerent in cõmemorationem eius. Quod quid aliud est, quàm vt consecrarent, nec sibi tantùm sumerent, sed & exhiberent populo, & offerrent deo? Nam si ibi nobis instet Lutherus, sacerdotem offerre nõ posse, quia Christus in cœna non obtulit: recordetur eorum quæ dixit ipse, testamentum inuoluere mortem testatoris, nec antè vires & robur sumere, & tota perfectione compleri, quàm eo moriente qui testatus est. Quamobrem non ea solum pertinent ad testamentum, quæ prius fecit in cœna, sed etiam oblatio eius in cruce. nam in cruce consummauit sacrificium, quod in-

choauit in cœna: eóque totius rei commemoratio, nempe consecrationis in cœna, & oblationis in cruce, vno celebratur ac repræsentatur sacramento Missæ, atque adeo verius mors repręsentatur quàm cœna. Apostolus enim quum Corinthiis scriberet, Quotiescunque panem hunc comederitis, & calicem biberitis, adiecit, non cœnam domini, sed mortem domini annunciabitis.

*Respondetur argumentis Lutheri.*

Veniamus ergo nunc ad præclaras istas Lutheri rationes, quibus probat missam neque bonum opus esse, neque sacrificiũ. & quanquam præstaret prius tractare de sacrificio, tamen quoniàm ille primam quæstionem fecit de opere, sequemur illum. Quum igitur ita colligit, missa est promissio, ergo nõ est bonum opus, quia nulla promissio est opus: dicemus Missam, quam sacerdos celebrat, non verius esse promissionem, quàm fuit consecratio Christi: & simul quæremus ab eo, an non aliquod opus tum fecerit Christus. quod si neget, mirabimur profecto, si quum is opus faciat qui imaginem facit ex ligno, Christus nullum prorsus opus fecerit quũ carnem suam fecerit ex pane. Quòd si vl-

*Confutatio efficax argumenti Lutheri.*

*Confirmatio confutationis.*

lum opus fecerit, quin id bonum fuerit, nemo opinor dubitabit. nam si bonũ opus fecit mulier quæ caput eius perfudit vnguento, quis potest ambigere an bonum opus fecerit Christus, quum corpus proprium & in cibum exhiberet hominibus, & in sacrificiũ offerret deo? Quòd si negari non potest, nisi ab eo qui in re maxime seria valde velit nugari, bonum opus feciſſe Christum, nec istud etiam negari potest, in missa bonum opus facere sacerdotem, quippe qui non aliud facit in Missa, quàm Christus in cœna fecit, & cruce. Hoc enim declarant verba Christi: Hoc facite in meam commemorationem. Quibus verbis quid aliud volebat vt in Missa repræsentarent ac facerent, quàm quod ipse faciebat in cœna & cruce? Instituebat enim, & inchoabat in cœna sacramentum quod in cruce perfecit. Nam hac ratione potissimum nata esse videtur occasio vt aqua ex ecclesiæ ritu vino misceretur in calice, quia aqua cum sanguine de latere morientis effluxit in cruce. Quum ergo negari non possit, quin bonum opus & in cœna & in cruce fecerit Christus, neque etiam quòd sacerdos eadem repræsentat

*Marci. 14.*

*Alia confirmatio eiusdem.*

*Aquæ miscendæ in calice, occasio.*

ac facit in Missa, quomodo tamẽ fingi potest Missam bonum opus non esse? Quãobrem etiam quum Lutherus ita rem tractet, vt quia laici communio alteri non prodest laico, ideo nec sacerdotis missa prosit populo: vehementer ipse cæcutit, dum tenebras aliis conatur offundere, quũ non videat hoc interesse, quòd laicus nũc recipit tantum è manu sacerdotis, sicut primo receperunt apostoli è manu Christi, sacerdos verò facit quod tum fecit Christus. Nam idem corpus offert deo, quod obtulit Christus. Qua ex re & illud patet, quàm frigidum argumẽtum sit, quo Missam comparat cum sacramento baptismi, aut coniugij, contendens efficere, vt quoniam laicus baptizari nõ potest pro alio, aut pro alio vxorem ducere, ideo nec sacerdos Missam pro alio possit celebrare. Nam coniugium planè sustulit è sacramentis, & tecte etiam baptismum, quum dicit non esse vere nisi vnum sacramentum. Cur ergo nunc baptismum comparat & coniugium cum sacramento Missæ, si illa non habet pro sacramentis? Quanquam etiam si vtrunque fateretur esse sacramentum, (quod re vera sunt) tamen

*Aliud Lutheri argumentum.*

neutrum

neutrum erat sic comparandum huic sacramento Missæ,quin hoc sacramentum, quod est proprium corpus ipsius qui dominus est sacramentorum omnium,sacramenta reliqua posit,quę fecit ipse,singulari aliqua prærogatiua præcellere,quum clare constet, quòd quemadmodum in omnibus aliis sacramentis sacerdos prodest ministrando singulis,sic in hoc sacramento dum offert in Missa,prodest & bonum communicat vniuersis. Alioqui si tam seuere Lutherus exigat vt omnia sacramenta sint inter se similia, & in Eucharistiæ sacramento nihilo potior sit sacerdotis conditio,quàm laicorum, quare non cogit vt sacerdos alterius manu semper cõmunicet,nec sinatur sibi sacramentum sumere,quanquam potest conficere, quemadmodum licet claues habeat pœnitentiæ,semet non potest absoluere?Nã quod affert de fide, quam à singulis eẽsse oportere præstari, & suam cuique fidem prodesse,non sacerdotis,quemadmodum nec Abraham,vt ait,pro omnibus Iudæis credidit:istuc quidem verũ dicit, at nihil tamen magis id probat ,quod proponit. Nam neque Christus ipse à semet oblatus

*Confutatio eiusdem.*

*Aliud Lutheri argumentum.*

*Elegãs eiusdem confutatio.*

in cruce, sine sua cuiusq; fide seruauit populum: ne quis id missam putet cuiusque sacerdotis efficere, quæ tamẽ missa cuiuslibet sacerdotis illis prodest ad salutem, quorũ propria fides meruit, vt boni quod tã immẽsum missa cõmunicat multis, possint esse participes. Quanquã potest & ad hoc valere nonnunquam, vt incredulo quoque fidem procuret infundi, quemadmodum Christi mors & passio procurauit vt gratia daretur gentibus, qua per auditum verbi venirẽt in fidem Christi. Sed Luther⁹ satis sẽtit ipse facilè destrui quicquid adstruxerat, si Missa posset esse sacrificiũ, aut oblatio quæ offeratur deo. Hanc igitur obicem se pollicetur amoturum: quod quò fidelius facere videatur & efficacius, obiicit sibi ipse prius quædam, quæ sibi sentit obstare. Iam & alterum (inquit) scandalum amouendum est, quod multo grãdius est, & speciosissimum, id est, quòd Missa creditur passim esse sacrificiũ quod offertur deo. In quam opinionem & verba canonis sonare videntur, vbi dicitur, Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia. & infra, Hanc oblationem. Item clarissime postulatur, vt acceptum sit sacrifi-

*Quòd Missa non sit sacrificium: Lutheri verba.*

cium, sicut sacrificiũ Abel &c. Inde Christus hostia altaris dicitur. Accedũt his dicta sanctorum patrum, tot exempla, tantusque vsus per orbẽ cõstãter obseruatus.

Audisti lector quas obices ipse sibi sentit obiectas. Audi nũc vicissim quàm Herculeis viribus aggreditur amouere. His omnibus, inquit, oportet constantissime opponere verbum & exemplum Christi. At quæ sunt igitur illa verba Christi, quæ tot olim sanctis patribus, ac toti Christi ecclesiæ tot ignorata seculis, velut nouus Esdras nobis Lutherus inuenit? Hoc declarat ipse, quum dicit. Nisi enim Missam obtinuerimus esse promissionem seu testamentum, vt verba clare sonant, totum Euangelium, & vniuersum solatium amittimus. Verba nũc audiuimus, restat vt videamus exemplũ. Exemplum ergo subiũgit. Christus (inquit) in cœna nouissima quum institueret hoc sacramentũ, & condidit testamentum, nõ obtulit ipsum deo patri, aut vt opus bonum pro aliis perfecit, sed in mensa sedens singulis idem testamentum proposuit, & signum exhibuit. Ista sunt ergo verba Christi, istud est exemplum: è quibus nunc demum Lu-

*Lutherus nouus Esdras.*

*Argumentũ Lutherĩ ab exẽplo, vt ipse putat, Christi.*

therus vnus perspicue videt Missam non esse sacrificium, nec oblationem. Mirum est igitur, ex tot sanctis patribus, ex tot oculis, quot in ecclesia tam multis seculis idem legerunt Euangelium, nullum fuisse vnquam tam perspicacem, vt rem tam apertam deprehenderet, immo omnes etiamnũ tam cæcos esse, vt ne adhuc quidem queant id quod cernere se Lutherus iactat, quanquam ipso monstrante perspicere. An non Lutherus hallucinatur potius, & aliquid se videre putat quod non videt, & digito conatur ostendere, quod nusquam est? Nam obsecro, qualis est ista probatio, quum docere nititur Missam non esse sacrificium, ex eo quòd sit promissio? quasi promissio & sacrificium ita sibi mutuò pugnarent, quemadmodum frigus & calor. Quæ Lutheri ratio adeo prorsus friget, vt nec responso digna videatur. Nam legis Mosaicæ tam multa sacrificia, quanquam essent figuræ omnia futurarum rerum, tamen promissiones erant & ipsa. Promittebant enim ea propter quæ fiebant, non modo futura quondam illa quorum erant figuræ, sed etiam liberationes, expiationes, purgationes,

*Responsio.*

*Promissiones sacrificiorum veteris testamenti.*

purificationes populi tunc præsentis, pro quo more solenni quotannis offerebantur. Quæ res quum tam aperta sit, vt nemo prorsus eam possit ignorare, ridicula planè dissimulatio est ista Lutheri, quum nunc argumentetur fieri id non posse, quod non ipse tantum, sed populus quoque nouit tam sæpe factum. Nunc veniamus ad exemplum Christi, quo nos arbitratur Lutherus vehemẽter opprimi, propterea quòd Christus in cœna sacramento non vsus est pro sacrificio, nec obtulit patri, ex quo probare conatur quòd Missa quæ respondere debet exemplo Christi, quo fuit instituta, non potest esse sacrificium, nec oblatio.

*Respondetur argumento Lutheri ab exemplo.*

Si Lutherus tam rigide nos reuocet ad exemplum cœnæ dominicæ, vt nihil sacerdotes permittat facere, quod ibi Christus fecisse non legitur, sacramentũ quod consecrant, nunquam ipsi recipiẽt. Suum enim corpus Christus in Euangelio non legitur, vbi cœna scribitur, ipse recepisse. Nam quod doctores aliquot eum recepisse tradunt, & quod idem canit ecclesia, nihil potest pro Luthero facere, quum illi neque doctores omnes, neque totius

*Præcipuũ Lutheri fũdamentum subuertitur.*

ecclesiæ fides vllam faciat fidem, nequè credendum censeat quicquam, (nam ita scribit in sacramento ordinis) nisi firmatum scripturis, & iisdem etiam claris: cuiusmodi certe scripturis, non, opinor, inueniet quòd suum corpus in cœna receperit Christus: ex quo sequitur, vt dixi, nec sacerdotes debere quod consecrant ipsi, recipere, si tam rigide nos obstringit Lutherus ad exemplum cœnæ dominicæ. Quòd si ideo concedat recipiendum sacerdotibus, quia receperunt apostoli, & eos contendat id iussos facere, quod tunc apostoli fecerunt, non quod Christus: hac ratione nunquam consecrabunt sacerdotes. Consecrabat enim Christus, non apostoli. Res ergo docet non id solum sacerdotes in hoc sacramento facere, quod Christus fecit in cœna: sed etiam quod postea fecit in cruce, quædam etiam tradentibus apostolis, quæ Christus aut nusquam fecit, aut certe non legitur vsquam feciſſe: cuiusmodi sunt gestus & signa quibus vtuntur dum cõsecrant: quorum ego nonnulla credo ab ipsis promanasse apostolis. Præterea, quòd in canone Missæ quædam verba velut à Chri-

*Missa passionem repræsentat, vedum cœnam.*

sto prolata recensent, quæ nusquam in scriptura sacra leguntur, & tamen non dubitatur quin dixerit. Multa enim dicta sunt & facta per Christum, quæ nullus Euangelistarum complectitur, sed quædam recente memoria eorum qui interfuerunt, velut per manus deinceps tradita, ab ipso apostolorum tempore ad nos vsque peruenerunt. Lutherus non dubitat Christum in cœna dixisse: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis: atque hæc vsqueadeo pro comperto habet Christi verba fuisse, vt inde sumat argumentum, neminem cogi ad recipiendum sacramentum, sed rem cuiusque relictam arbitrio: tantùm ad hoc adstringi, vt quoties facimus, faciamus in memoriam Christi. Hæc ergo verba non legit apud Euangelistas in cœna domini. Nam illic nihil aliud legitur, quàm, Hoc facite in mei commemorationem. Vbi ergo legit illa verba, Hæc quotienscunque feceritis, an non in Missa? Opinor certe, non alibi. Nam apud apostolum alia sunt. Igitur qui tantum fidit & vtitur illis verbis, quia reperit in canone:

cur non pari fide suscipit eiusdem verba canonis, quibus Missa oblatio dicitur & sacrificium? Quamobrem si sacerdotes in Missa fatetur recte recipere quod consecrant, quanquam nulla scriptura clara, cuiusmodi solam recipit Lutherus, Christū testetur illud nec in cœna feciſſe, nec vsquam, non debet mirum videri Luthero, si sacerdos offerat Christum patri, quod non vno loco (clara testante scriptura) Christus ipse fecit in cruce. Nam crucem etiam ad testamentū in cœna factum pertinere, Lutheri quoque ratio demonstrat, quum testamentum dicit mortem testatoris inuoluere, vtpote qua sola perficitur. Præterea non aliunde (quod dixi) videtur & id institutum, vt aqua vino misceretur in sacramento: quæ res non in cœna legitur esse facta, sed cruce. Desinat ergo Lutherus argumentum nugax opponere, vt quia Christus in cœna sese non obtulit, ideo sacerdos nō offerre credatur in Missa, in qua non solum repræsentat quod in cœna fecit Christus, sed etiam quod in cruce, in qua cōsummauit Christus quod inchoauit in cœna.

*Postremū* At postremum argumentum Lutheri,

quo velut anchora sacra sustinetur nauis, omnium est nugacissimum. Quomodo (inquit) fieri potest vt sacerdos offerat deo, quod ipse sumit? Repugnat (inquit) Missam esse sacrificium, quum illam recipiamus. Idem simul recipi & offerri non potest, nec ab eodem simul dari & accipi. Deterret nos vbique Lutherus à rationibus philosophicis, quum ipse in re tam sacra se firmet in meracissimo sophismate. Nam quod vnquam fuit sacrificium in lege Mosaica, quod non sumebant qui offerebant? An quod deo offerebatur, ipse comedebat? Nunquid ego manducabo carnes taurorum, aut sanguinem, inquit deus, hircorum potabo? Præterea si Christus & sacerdos fuit & sacrificium, cur nõ potuit Christus instituere vt sacerdos qui idem sacrificium repræsentaret, victimam & offerret & sumeret? Sed hac in re, ne Lutherum videar imitari, qui nihil habet pro se, nisi quod è suo fingit capite, afferemus quod dicit beatus Ambrosius de Missa. Quanta, inquit, cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate, atque animi puritate, istud diuinũ

*argumenta Lutheri.*

*Anchora sacra Lutheri præciditur.*

*Insignis insscitia Lutheri.*

*Argumẽtum satis probabile.*

*Psal. 49.*

*Ambrosius.*

& cœleste mysterium est celebrandum domine deus, vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summis ima, humanis diuina iunguntur: vbi adest sanctorum præsentia, & angelorum: vbi tu es sacerdos & sacrificium, mirabiliter & ineffabiliter? Quis digne hoc potest celebrare mysterium, nisi tu deus omnipotens offerentem feceris dignum? Videtis vt hic beatissimus pater & oblationem appellet Missam, & in eadē Christum ipsum dicat & sacerdotem esse & sacrificium, quemadmodum fuit in cruce. Cuius authoritati quantum Lutherus tribuat, viderit ipse: quātum vero tribuerit beat⁹ Gregorius, facilè declarauit, quū illum imitatus ita scriberet: Quis fidelium dubitare possit, in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cœlos aperiri in illo Christi mysterio, angelorum choros adesse, summis ima sociari, terram cœlestibus iungi, vnum quid ex visibilibus & inuisibilibus fieri? Et alibi: Hæc nanque singularis victima ab æterno interitu animas soluit, quæ illam nobis mortem vnigeniti reparat. Nec minus aperte, quum dicit: Hinc ergo pensemus, quale sit pro

*Gregorius.*

pro nobis istud sacrificium, quod vnigeniti filij passionem semper imitatur. Videmus vt non solum diuus Ambrosius, sed & beatus Gregorius immolationem appellat missam & sacrificium, ac fatetur in ea non vltimam tantùm Christi cœnã, quod Lutherus ait, sed & passionem eius repræsentari. Nec tamen istud soli censuerunt illi: nam & Augustinus non semel idem fatetur. Ait enim de Missa: Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus sit. Quia quotidie labimur, Christus pro nobis quotidie immolatur. Item: Eucharistia est oblatio benedicta, per quam benedicimur. ascripta, per quam omnes in cœlum ascribimur. rata, per quã in visceribus Christi censemur.

*Augustinus.*

Quum igitur viri tam eruditi, tam sancti, Missam dicant oblationem & sacrificium, quum per eam, non cœnam tantum sentiant, sed etiam passionem Christi commemorari, quum inde tam immensa bona prouenire fateantur, quum iisdem consentiens eadem in Missa tota decantet ecclesia, vehementer admiror, qua fronte Lutherus audeat clamare contrarium, Missam non esse sacrificium, non

*Epilogus.*

esse oblationẽ, non prodesse populo, eludens authoritatem tot sanctorũ patrum, immo totius ecclesiæ, vanissimo figmẽto suo, quasi omnia quæ de oblatione & sacrificio fiunt & dicuntur in missa, intelligerẽtur de reliquiis Iudaici ritus, quo leuasse dicit sacerdotẽ ea quæ offerebantur a populo. Quod Lutheri commentũ tam ineptũ visum est, & tam absurdum etiam ipsi Luthero, vt dubitauerit, an sanctorũ patrũ sentẽtias, & ecclesię totius consuetudinẽ tã futili ratiõe defenderet, an potius ex professo contemneret. Nam quid dicemus (inquit) ad canones & authoritates patrum? Respondeo (inquit) si nihil habetur quod dicatur, tutius est omnia negare, quàm missam concedere opus aut sacrificium esse, ne verbum Christi negemus, simul cum missa pessundantes. tamẽ quò seruemus & eos, dicemus illa omnia reliquias esse ritus Iudaici. Ergo ne nihil dicatur, homo ciuilis, & honori sanctorum patrum parcens, & honori totius ecclesiæ, tanquam officij gratia, ne stulte loqui viderẽtur, præclarũ illud figmẽtum suum de reliquiis Iudaici ritus, pro velamento dignatus est eorũ pudendis prę-

*Verba Lutheri.*

*O benignitatem Lutheri.*

xere: quod si quis amoueat, illorum periculo fecerit. Nam Lutherus ingenuè non veretur, si quis eum stringat arctius, quicquid vnquã fuit sanctorũ patrũ, quicquid vnquam in ecclesia moris fuit, exufflare potius videlicet, quàm concedat missam bonum opus esse, vel sacrificium, hoc est, potius, quàm concedat verum esse, quod verũ est. Nam quod ait eos negare verbum Christi, ac fidem simul cum missa pessundare, quicunque dicunt missam esse sacrificiũ, nemo est, opinor, qui credet hac in parte Luthero, nisi primum doceat aut aliud euangeliũ legisse se, quàm sancti illi patres legerunt, aut illud idem vel legisse diligẽtius, vel intellexisse melius, aut sibi denique maiorẽ esse curã fidei, quàm vlli vnquã hactenus mortaliũ fuerit. At euangeliũ credo nõ proferet nobis aliud, neq; si proferet, audietur, etiã si angelus cũ eo de cœlo descẽderit. Illud vero quod profert, neque diligẽtius excussit, neq; perspicit acutius quàm olim & excussum est & perspectũ ab illis quorũ nemo se reperisse dixit illic, qđ nũc iste iactat reperisse sese, missam bonũ op⁹ nõ esse, nõ esse oblationem, nõ esse sacrificiũ. Denique fidei cura

*Luther⁹ vel doctrina vel stultitia singularis.*

cuiusmodi fuit vtriusque, non potest cuiquã esse obscurũ, qui quid vtrinq; scriptũ sit, nõ oscitãter expẽderit. Veteres illi viri sanctissimi viderũt, sicut sacramentorum omniũ hoc esse summũ, quod ipsũ sacramentorũ dominũ cõplectatur, ita sacrificiorũ omniũ hoc esse vnicũ, quod solũ in loco tot olim sacrificiorũ restiterit: postremò, operũ omniũ quæ pro salute populi fieri possunt, lõge lateque saluberrimum. Nã quũ cætera sacramẽta prosint singulis solũ, hoc in missa prodest vniuersis: & quũ omnes oratiões, quibus alius pro alio intercedit apud deũ, nõ impediri tantũ, sed & frustra fieri possint, hominũ vitio: misericors dei clementia missam instituit pro salute fideliũ, in qua suũ ipsius corpus offerretur, tã salubre sacrificiũ, vt eius fructum, nullius ministri quantauis iniquitas à populo suo vel auertere possit, vel imminuere. Hęc patres illi sanctissimi quum vidissent, summam habuerunt curam, summam adhibuere diligentiam, vt propitiatoriũ hoc sacramentũ, & fide quàm maxima posset, haberetur, & honore quàm posset maximo coleretur: eoque cum alia multa, tum hoc quoque sedulò tradide-

*Excellẽtia missæ.*

sunt, panem & vinum in eucharistia non manere, sed in carnem & sanguinē Christi veraciter esse conuersa. Missam sacrificium esse docuerunt, in quo Christus ipse pro populi Christiani peccatis immolatur. Tum, quoad mortalibus licet, immortale mysterium venerando cultu & mysticis ornarunt ritibus. Populum, dum celebratur, in suæ salutis procuratione venerabundum adesse iusserunt. Denique ne laici dissuetudine recipiendi sacramēti, paulatim ex toto desinerent, sanxerūt vt semel saltem quotannis eucharistiam quisq; susciperet. His igitur atq; aliis eiusmodi multis, sancti patres ecclesiæ, aliis alij temporibus solicitudinem suam circa sacramenti huius reuerendi fidem venerationemque declararunt. Ideo iactare non debet Lutherus, id quod iactat tamē, eos qui missam dicunt esse sacrificium, aut alij quàm sumenti prodesse, verbum Christi fidemque ac missam ipsam pessundare.

At Lutherus Christi verbū, fidemque, ac missam ipsam, ne pessundentur & corruant, quo pacto suis humeris sustinet, id vero vicissim considerare profuerit. Initio, nomen ipsum sacramenti demutat in *Lutherus Atlas.*

*Institutiones ecclesiasticæ Luth.*

deterius: & quũ tot seculis appellatum sit eucharistia, vel sacramentũ corporis Christi, ille, ne nomẽ audientes admoneat maiestatis rei, iubet vocari panẽ. Deinde panem & vinum, quæ veteres conuersa fatentur in corpus & sanguinem domini, Lutherus adhuc manere docet integra, vt ordine paulatim honorẽ à Christo traducat in panem. Tum, licet non damnet ecclesiã, quæ ritibus & cæremoniis ornauit & ampliauit missam, tamen censet quòd missa foret multo Christianior, si vestiũ, cantuũ, gestuũ, & cæterarũ cæremoniarũ omnium pompa tolleretur, vt esset vicinior & similior primæ omniũ missæ, quã Christus in cœna celebrauit cum apostolis: immo vero, vt quã minimum superst eorũ quæ simplices animos plebeculę cõmoueãt, & in veneratione numinis inuisibilis, visibilis honoris maiestate cõuertãt. Ad hæc docet, & omnibus modis inculcat missam bonum opus non esse, sacrificium non esse, oblationem non esse, nemini prorsus è populo prodesse. Quorsum hęc tam sancta & euangelica lectio? nempe vt populus totus, missa relicta sacerdoti, cui soli prodesse persuasum habeant, negligant

*Luther' populum abigit a missa.*

gant ipsi,& suum officium rei sibi inutili subducant. Denique,vt ipsi quando communicantur,tãtùm fidẽ afferant testamẽti se fore compotes, qualescunque conscięntias attulerint,immo quo magis erroneas attulerint, & peccatorum vel morsu veltitillatione turbatas, tanto magis se nouerint diuinæ promissionis esse participes,præsertim quum sacramentum hoc sit medicina peccatorum, præteritorum, præsentium & futurorum,quæ nullum sibi locum reperiret, scilicet in eo qui nimis anxie semet prius ideo a peccati morbo purgauerit,vt secundum apostoli prę-ceptum probans semetipsum, conscientia quàm maxime potest pura & syncera discumbat in mensa domini:vt quum dicere non possit, Iustificatus sum, illud saltem possit,Nullius mihi cõsci⁹ sum.Lutherus ergo postea quàm præparationem istam docuit breuem & compendiariam ad suscipiendam euchariſtiam, nempe in sola fide promissionis, nullis operibus bonis, leuissima disquisitione conscientiæ, postremo,ne quicquam desit absolutę sanctimoniæ ad suscipiendum sacramentum, suum votum aperit,quoties &quibus an-

*Præparatio Lutheriana ad eucharistiam.*

*Tempora plebi à Luthero statuta ad communicandum.*

ni temporibus potissimum velit cogi populum communionem sumere, nempe, prorsus nullo. Quid ita? quid? an quisquã tam cæcus est, vt non videat quorsum hęc tam putida tendant? Certe non aliorsum, quàm vt populus sensim à communione sacramenti desciscat in totum, qui primùm a quotidiana communione deflexit in septimum quenque diem, pòst in longius distulit, tandem destiturus videbatur omnino, nisi patres illud veriti, sanxissent, vt ter in anno quisque communicaret, interminati non habendum pro Christiano, qui non obtemperasset. At nec id tamen diu potuit obtineri. Quamobrem ad vltimum eò descensum est, vt inferius descendi non possit, nisi ferme prorsus ad inferos, nempe vt semel saltem in anno communicemus. quam consuetudinem si Lutherus, vt optat, posset amoliri, mundus refrigescente in dies feruore fidei, propediem profecto rediger etur eò quò iampridem peruenisset, nisi hoc solenni quotannis communicandi ritu fuisset retentus, vt aliquando nullum ferme remaneat in populo communicandi vestigium, fortasse nec in clero quidem, si

Lutherus obtinere posſit vt missa non apparatu tantum & cæremoniis, sed populi quoque frequẽtia, spe ac veneratione spolietur. Hæc sunt ergo præclara illa promissa Lutheri. Hæc est speciosa illa libertas, quam pollicetur ex ecclesia catholica venientibus ad se, nempe vt liberentur aliquando ab vsu & fide sacramenti. Quamobrem ego hac de re amplius disputare supersedeo, vtpote re magis ex se perspicua, quàm vt cuiquam disputari debuerit. Tantùm indicasse non oberit astutissimas versuti serpẽtis insidias, quib⁹ iam perspectis (perspicit enim nõ dubito, quisquis nõ planè cæcus est) nõ erit opus hortari quenquam vt præuisa mala deuitet. Nemo erit, opinor, tam vecors, vt ex ecclesia dei desciscat in synagogam satanæ: è Christi seruitute fugiens, cui seruire regnare est, asserat se in libertatem propositam a Luthero, vbi solo libertatis nomine sciens prudensque in præmonstratas diaboli pedicas iniiciat pedes. Sed vnà cum psalmista omnes Christi fideles hunc versum clament: A iudiciis tuis non declinabimus, quia tu legem posuisti nobis.

*Libertas transfugiẽtium ab ecclesia Christi ad Lutherum.*

*Psal.* 118.

Reliquis ergo sacramentis nihil opus est immorari, quorum pleraque omnia tollit, quũ eucharistię sacramẽtum, quod vnicum ferme relinquere videbatur, tamen vt ostendimus, ita tractarit, vt nemini relinquat dubium, quin & illud quoq; paulatim machinetur amoliri. nec vllum sane sacramentum laudat, nisi in alterius iniuriam. Nam sic & baptismum effert, vt deprimat pœnitentiam. Quanquam baptismum etiã ipsum tractauit sic, vt satius multo fuerit non attigisse. Nã primũ, quòd videretur sanctè rem sanctam tractaturus, multis verbis docet fidẽ habendam promissioni diuinæ, qua salutẽ promittit credentibus & baptizatis. Irascitur, & insectatur ecclesiã, quòd Christiani nõ docentur hãc fidẽ, quasi quisq; sit vsquã tã rudis christianæ fidei, vt hoc sit docendus: & tamen tanquam rem nouam & inauditam ferme Lutherus hoc proponit, cum insigni contumelia doctorum omnium. Sed hoc non est ei nouum, in rebus notis tanquam nouis nugari. Qui postquam hanc fidem verbis multis ostendit, deinde fidei diuitias in hoc extollit, vt nos reddat pauperes bonorum operum, sine qui-

*Luthe. mos perpetuus.*

bus, vt beatus Iacobus ait, fides omnino mortua est. At Lutherus sic fidem nobis commendat, vt non solum permittat nobis vacationem ab operibus bonis, sed etiã suggerat audaciam qualiumcunque facinorum. Ait enim: Iam vides, quàm diues sit homo christianus, siue baptizatus, qui etiam volens nõ potest perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. O vocem impiam, & omnis impietatis magistram, ita per se exosam piis auribus, vt non sit opus eam redarguere. Ergo nõ dãnabit adulterium, non damnabit homicidium, non periuriũ, non parricidium, si tantũ credat se quisq; saluandũ fore per virtutẽ promissiõis in baptismate? Nam hoc dicit apertissimè, neq; quicquã corrigunt hanc sententiam verba quæ statim subiũgit, immo verius augent. ait em: Cætera omnia, si redeat vel stet fides in promissionẽ diuinã baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem, immo veritatem dei, quia seipsum negare non potest, si tu eum confessus fueris, & promittenti fideliter adhæseris.

*Iacobi. 2.*

*Lut. verba pernicioſiſſima.*

*Lut. verba.*

Quibus verbis quid aliud dicit, quàm qđ dixit prius? si absit incredulitas, cætera flagitia omnia in momento absorberi in sola fide, si cõfessus fueris Christum, & eius promissioni fideliter adhæseris, hoc est, firmiter credideris te saluandum per fidẽ, quicquid feceris. Et quo minus dubites quò tendat, contritio (inquit) & peccatorum confessio, deinde & satisfactio, & omnia illa hominũ excogitata studia, subitò te deserent, & infeliciorem reddent, si in ipsis tete distenderis, oblitus veritatis huius diuinæ. Cuius veritatis? nempe huius, quòd nulla peccata possunt te damnare, nisi sola incredulitas. Quæ Christianæ ferent aures pestilens hoc serpentis sibilum, quo baptismum non in aliud leuat, quàm vt premat pœnitẽtiam, & baptismatis gratiam statuat impune peccandi licentiam? In quam sententiam & istud facit, quòd ei non placet illud beati Hieronymi, pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium. negat peccatum fidei esse naufragium, & sic disputat, tanquam illud verbum prorsus interimat omne robur fidei. At quis nescit, nisi Lutherus, peccatorem non solum nõ saluari per solam

*Lutheri verba.*

*Hieronymus.*

fidem baptiſmi, ſed etiam illum ipſum baptiſmum ei ceſſurum in cumulum damnationis? & merito, quia læſit deũ, à quo totã acceperat baptiſmi gratiã: & cui plª à deo datur, ab illo viciſsim plª exigitur. Igitur quum fidẽ per opera mala peremerit, cur dici non poteſt feciſſe naufragium, qui è dei gratia decidit in manus dæmonum, è quibus abſque pœnitentia non reponitur in eum ſtatum, vt baptiſmus ei rurſus prodeſſe poſsit? Num hic impie ſcripſit Hieronymus? Num impie tota ſentit eccleſia, quæ non credit Luthero, ſine pœnitentia per ſolam fidem Chriſtianos eſſe tutos in mediis ſceleribus? Præterea ſic totus eſt in fide ſacramẽti, vt non admodum curet de forma verborum, quum verbũ tamen per qđ ſignificatur aqua, nõ minoris eſſe momenti debeat, quàm aqua ipſa: in qua ſi putat adhibendam eſſe curam, vt pura ſit & elementaris, nullámne decet adhiberi ad inquirendam & exercendam veram aliquam verborum formam, quam certum ſit & nunc obſeruari per eccleſiã, & olim in vſu fuiſſe veteribus?

Poſt hæc ita magnificat fidem, vt propemodum videatur innuere ſolam fidem

*Lutherus quàm tribuat sacramentis.*

sine sacramẽto sufficere. Nam interim sacramentum priuat gratia, dicit sacramentum ipsum nihil prodesse, negat sacramenta gratiam conferre, aut gratię efficacia signa esse, aut omnino quo ad efficaciã significationis sacramenta legis euangelicæ differre quicquam à sacramentis legis Mosaicæ. Qua in re non multum disputabo, sed tamen videtur mihi, quum omnia in figuris contigerint Iudæis, quarum veritas est in lege Christiana, nihil absurdi consecuturum, si quis credat sacramenta quibus vtitur ecclesia, tantum præcellere synagogæ sacramentis, quantum lex noua veterem legem antecellit, hoc est, quantũ corpus vmbram superat. Quod ego tamen neque primus cogito, neque solus.

*Hugo de sancto Victore.*

Hugo de sancto Victore, quem nemo nõ habet & pro viro docto & bono: Dicim⁹, inquit, sacraméta omnia signa esse quædã eius quę per illa datur gratię spiritalis. Oportere autẽ, vt secundũ processum tẽporum, spiritualiũ gratiarũ signa magis semper ac magis euidẽtia ac declaratiua formarentur, vt cum effectu salutis cresceret cognitio veritatis. Et paulo post: Quia circuncisio eas tantum quæ foris sunt enor-

mitates amputare poteſt: eas vero quę intrinſecus ſunt pollutionum ſordes, mundare non poteſt: venit poſt circunciſionẽ lauacrum aquæ, totum purgans, vt perfecta iuſtitia ſignificaretur. Nemo negabit, opinor, hunc ſaltem doctorem ſentire ſacramentum baptiſmi & interius purgare, & efficacius perfectam ſignificaſſe iuſtitiam, quàm fecerit circunciſio. Qua in re Lutherus duas vias commemorat, & vtranque refutat. alteram, qua arbitrati ſunt plurimi eſſe aliquam virtutem occultam ſpiritalem in verbo & aqua, quæ operetur in animo recipiẽtis gratiam dei: alteram eorum, qui nihil virtutis tribuerunt ſacramentis, ſed gratiam cenſuerunt à ſolo deo dari, qui aſsiſtit ex pacto ſacramentis à ſe inſtitutis. Sed quoniã vtriq; in hoc conſentiunt, ſacramenta eſſe efficacia ſigna gratiæ, vtranque viam reiicit Luthe rus. Ego vt neſcio vtra via ſit verior, ita neutram audeo planè contemnere. Nam & illa ipſa via, cui nunc pauciores aſſentiunt, non omnino videtur abſurda, quòd aqua ipſa per verbum occultã habeat animæ purgandæ potentiam. Nam ſi creditur ignis in animam agere vel ad punienda

*Duæ opiniones de poteſtate ſacramentorum.*

*Cõparatio.*

vel ad expurgãda peccata, quid vetat potestate dei, per quam & illud fit, aquam quoque ad eluendas animæ sordes posse penetrare? In quam sententiam videntur
*Auguſtinus.* & Auguſtini verba facere, quũ ait, Aqua
baptiſmi corpus tangit, & cor abluit. Et il
*Beda.* lud Bedæ quoque dicentis quòd Chriſtus tactu mundiſsimæ carnis ſuæ vim regeneratiuam contulit aquis. Præterea videtur illud in idem vergere, quod propheta
*Ezech. 10.* canit Ezechiel, Laui te aqua, & emundaui ſanguinem tuum ex te. Quæ verba quanquam de præterito loquitur ante baptiſmum inſtitutum, tamen vt mos eſt prophetarum, de futuro intelliguntur: nec de corpore duntaxat abluendo loquitur, in quo nihil eſt dignum quod propheta prędiceret, nec alia ablutio vnquã abluit animæ crimina, pręter ſacramẽtum baptiſmi. De illo igitur locut⁹ videtur Ezechiel in perſona dei prædicẽtis in ſacramento baptiſmi mundationem futuram eſſe per aquæ lauacrum. Quod ipſum paulo poſt idem propheta proſequitur apertius per
*Ezech. 36.* verbum de futuro. Effundam, inquit, ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis veſtris. An non

per aquam promittit emundationē? Quan
quam multo adhuc apertius rem videtur
ostendere Zacharias: Exibunt, inquit, a- Zachar. 14
quæ viuæ de Hierusalem, medium earum
ad mare orientale, & medium earum ad
mare nouissimū. Hic sermo an non nobis
euidenter baptisma depingit? aquam vi-
delicet de ecclesia manantem, quæ & ori-
ginale peccatum purget, & actuale: quam
non mortuā appellat, sed viuam, vt osten-
dat, opinor, per occultam sanctificationē
dei, elemento corporeo vim vitæ spirita-
lis infusam. Quanquam, vt dixi, qua via
deus per sacramenta infundat gratiā, ne-
que mihi iudicium arrogo, neque valde
vestigo, quū sint inuestigabiles viæ eius: Roman. 2.
sed certe aliqua via credo feciſſe deum, vt
illic aqua non sit ociosa, vbi tam multa
& tam magna prędicat facienda per aquā,
præsertim quum & aqua, & sal, & alia
quoque corporea, sine sacramento fidei
per verbum dei recipiant spiritalem vim,
nisi prorsus vana sint omnia quibus cerei,
ignis, aqua, sal, panis, altare, vestes, annuli,
vel adiurantur exorcismis, vel inuocatio-
ne gratiæ benedicuntur. Quæ si vim vllā
recipiunt, aut vllam numinis præsentiam

extrá sacramentum, quanto magis credibile est, aquam è Christi latere manãtem, spiritalem vitæ vim fonti regenerationis infundere? De quo Christus ipse pronunciat, quòd nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non poterit videre regnum dei: ad quod, vt ait Apostolus, vocamur in baptismo. Quo in baptismo & Lutherus multum tribuit fidei, nõ aduersor, modò ne tantum tribuat fidei, vt fides malam vitam defendat, aut quæ formare debet, exterminet sacramenta. At quum certam illam & indubitatam fidem exigit in susscipiente sacramentum, ego potius optandam quàm exigendam puto. Nam & beatus Petrus quum ita populum hortaretur, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrũ in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorũ, & accipietis donũ spiritus sancti: non dubito quin paratus fuerit ad baptismũ recipere totum populum, nec tamen à toto populo repente exegisset illam summam, certam, & indubitatam fidem Lutheri, quam nemo se satis sciret attigisse: sed permittebat ex ipso sacramẽto, omnibus qui se duntaxat offerrent, & cuperent remis-

Actũ. 2.

sionem peccatorum & gratiam. Nam magna quædam res est, certa & indubitata fides, neque semper, neque cuique contingit etiam ex his fortasse qui sibi contigisse non dubitant. Ego profecto sperare nõ dubitem, quin dei benignitas suis sacramentis assistat, & visibilibus signis inuisibilem infundat gratiam, & sacramenti sui feruore teporem credentiũ adiuuet: multos per sacramenta consequi salutem, qui de sua fide non amplius polliceri possunt, quàm potuit ille qui dixit, Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Qua in re si cui alij præterquam aduersario videar nimium sacramento tribuere, sciat me nihil definire, nihil omnino statuere, quod præiudicet fidei, cui ego nihil derogo: sed vt solam fidem sine sacramento nõ puto sufficere in eo qui sacramenti compos esse potest, ita neque sacramẽtum sufficere sine fide, sed vtrunque oportere cõcurrere, & vtriusque robur cooperari: & tutius opinor aliquid sacramento concedere, quàm tantum dare fidei, quantũ donat Lutherus, qui sacramento neque gratiam relinquit, neque efficaciã signi. Præterea fidem ipsam nihil facit aliud, quàm

*Fides & ratione & scripturis suffulta.*

*Marc. 9.*

flagitiosæ vitæ patrocinium, quemadmodum antè vberius declarauimus. Quam rem quo magis astrueret, postquam sacramenta priuauit gratia, ecclesiam priuat & votis omnibus, & legibus. Nec quicquam mouet illum, quod deus ait, Vouete, & reddite. Sed de votis non dubito quin exurgent ex his, quos ille Vouistas vocat, & Votarios, qui pro sua professione respondeant. Nam illos ex ecclesia semel ferme prorsus eliminat vniuersos. De legibus vero demiror hominem præ pudore potuisse tam absurda cogitare, quasi Christiani peccare non possent, sed tam perfecta foret tanta multitudo credentium, vt nihil decerni debeat vel ad cultum dei, vel ad vitanda flagitia. Sed eadem opera & eadem prudentia tollit omnem potestatem & authoritatem principum & prælatorum. Nam quid faciet rex aut prælatus, si neque legem potest ponere, neque positam exequi, sed populus absque lege velut nauis absque gubernaculo fluctuet? Vbi est ergo illud apostoli, Omnis creatura potestatib⁹ sublimiorib⁹ subiecta sit? Vbi illud? Si male agis, regē time. nō enim sine caussa gladiū portat? Vbi illud, Obe-

*Psal. 75.*

*Vouisti & votarij.*

*De legibus.*

*Lutherus Christianis summā decernit licentiam.*

*Roma. 13.*

*Ibidem.*

*Hebr. 13.*

dite præpositis vestris, siue regi quasi præcellenti, & quæ sequuntur. Cur igitur ait Paulus, Bona est lex? Et alibi: Lex est vinculum perfectionis. Præterea cur ait Augustinus, Non frustra sunt instituta potestas regis, & cognitoris ius, vngula carnificis, arma militis, disciplina dominantis, seueritas etiam boni patris. Habent omnia ista modos suos, causas suas, rationes, vtilitates: & hæc quum timentur, & mali coërcẽtur, & boni quieti inter malos viuũt. Sed de regibus dicere supersedeo, ne videar meam causam agere. Illud quæro, si nemo nec homo nec angelus potest super hominem Christianũ legem ponere, cur tot leges ponit apostolus & de legendis episcopis, & de viduis, & velandis fœminarum capitibus? cur statuit ne fidelis cõiunx ab infideli discedat, nisi deseratur? Cur audet dicere, Cæteris dico ego, non dominus? Cur exercuit tãtam potestatem, vt fornicarium satanæ iuberet tradi in interitum carnis? Cur Petrus Ananiam & Sapphiram simili pœna percussit, quòd è sua ipsorum pecunia paulum reseruassent sibi? Si multa statuebant Apostoli præter speciale præceptum domini super Chri-

1. Timot. 1. Coloss. 3.

Augustinus.

1. Cor. 7.

Ibidem. 8.

Actuũ. 5.

stianum populum, cur non idem propter populi commodum faciant ij qui succesſerunt in apoſtolorum locum? Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus, vir ſanctus, & nihil arrogans, iubere non dubitauit vt per ſuam diœceſim coniuges in quadrageſima coniugalibus abſtinerent amplexibus: & indignatur Lutherus, ſi Romanus pōtifex ſucceſſor Petri, vicarius Chriſti, cui Chriſtus velut apoſtolorū principi tradidiſſe creditur claues eccleſiæ, vt cæteri per illum & intrarent, & pellerentur, ieiuniū indicat aut preculas? Nam quod ſuadet, corpore parendum eſſe, animo retinendam libertatem, quis tam cæcus eſt vt ſtrophas iſtas non videat? Cur ignem gerit & aquam, homo ſimplex & ſanctulus? Cur iubet velut Apoſtoli verbis, hominum ſeruos non fieri, hominum ſtatutis non ſubiici, & tamen parere iubet pontificis iniuſtæ tyrannidi? An apoſtolus hoc pacto prædicat: Reges nihil iuris habent in vos, iniuſtum feratis imperium: Domini ius non habent in vos, feratis iniuſtam ſeruitutem? Si Lutherus parendum eſſe non putet, cur parendum dicit? ſi parendum cenſet, cur ipſe non paret? Cur homo verſipellis

*Ambroſius cōiuges ab amplexib⁹ in quadrageſima iuſſit abſtinere.*

*Quàm diſſidet Lutheri techna à ſimplicitate Pauli.*

versipellis talibus ludit technis? Cur in pontificem, cui dicit obediendū esse, conuiciis insurgit? cur tumultum suscitat? cur in illum concitat populos, cuius vel tyrannidem (vt vocat) fatetur esse ferendam? Profecto non ob aliud, opinor, quàm vt fauorem sibi conciliet improborum, qui suorum scelerum impunitatem cuperent, & eum qui pro libertate eorū iam decertat, caput ipsis instituerent, & ecclesiam Christi tam diu supra firmam petram fundatam, demolirentur, & ecclesiam nouam ex improbis & flagitiosis conflatā erigerent, contra quàm clamat propheta: Odiui ecclesiam malignantium, & cum impiis nō sedebo. & vnà cum illo nostra clamet ecclesia: Dirige me in veritate tua, quia tu es deus saluator meus, & te sustinui tota die. *Psal.25.* *Psal.24.*

## DE POENITENTIA.

DE pœnitentia pœnitet audire quas nugas, quę somnia, quàm absurda, quàm impia, quàm sibi repugnātia deblateret. Primum, suo more, velut nouum proponit, quod omnibus est notissimum, fidem habēdam promissioni dei, qua promisit pœnitenti remissionem peccatorum, & iam *Lutheri mos, notissima ceu ignota proponere.*

insectatur ecclesiam, quòd hanc fidem nō doceat. Quis est, obsecrò, qui hortatur quemquam ad Iudæ pœnitentiam, vt doleat quod commisit, nec tamen speret remissionem? Quis doceret orandū pro venia, nisi qui doceret promissam pœnitenti veniam? Quid prædicatur sæpius, quàm dei tam immensa clementia, vt nulli quantumuis scelerato se emendanti claudat misericordiam? Nemó ne præter Lutherum legit vnquam: Quacūque hora ingemuerit peccator, saluus erit? Nemo legit dimissam adulteram, veniam prophetæ datam non adulterij tantum, sed homicidij quoque? Paradisum latroni datum, & eo datum tempore, quo cōmissa priua flagitia, nulla potuit satisfactione redimere? Tantum abest vt hæc non doceatur fiducia cōsequendæ veniæ, quam præteritā esse clamat Lutherus, vt potius in eam partem nimij sint qui populos docent, ità per se libenter in hanc fiduciam præcipites, vt magis in alteram partem sint auocandi, qua contemplentur seueram atque inflexibilem dei iustitiā. Decuplò enim plures inuenies, qui nimia peccent istius promissionis fiducia, quàm desperatione remis-

*Ezech.18.*
*Ioan.8.*
*2.Reg.12.*
*Luc.23.*

*Populus nimis pceps in fiduciā*

sionis obtinendæ. Desinat ergo Lutherus eam rem pro noua nobis & admirãda proponere, quam nemo non nouit. Desinat quiritari desuetam esse, qua nihil est vsitatius. *consequendæ veniæ,*

## DE CONTRITIONE.

Bliteratis, inquit, promissione & fide, videamus quid substituerũt in locũ earum. Tres, inquit, partes dederunt pœnitentiæ, contritionem, confessionem, satisfactionem. Quas omnes tres ita tractat Lutherus, vt satis perspicuũ faciat, nullam earum satis ei placere. Nam primum, in cõtritione indignatur, & iram dei vocat insustentabilem, quòd attritioni fiat locus, & credatur deus in dolore non satis de se vehementi, per sacramentum supplere quod deest homini. Videamus ergo quàm præclare tuetur quod dicit, quid ipse contra statuat. Magnam rem docet esse contritionem, nec facilè parabilem. Iubet omnes habere pro certo, & indubitate credere, propter verbum promissionis omnia sibi peccata esse dimissa, & à deo se solutos in cœlo, postquam per os hominis soluti sunt in terra. Qua in re, *Lutheri verba* *Luthero nimiũ displicet attritio.* *Lutheri verba.*

ipsius assertio vel in idé recidet quod reprehendit, vel multo magis erit absurda. Nam deus aut his duntaxat per pœnitentiam promisit peccata remittere, qui quantum peccati moles exigit, antè conteruntur, aut his etiam qui minus, aut denique remittit & illis qui nihil conteruntur omnino. Si non promisit nisi quantum poscat peccati magnitudo contritis, non potest Lutherus, quod omnes iubet, certus esse & indubius se esse solutū. Nam quomodo scire se potest obtinere promissum, qui se scire non potest satis esse contritum? Nemo enim nouit mortalium omnium, quantum contritionis exigat mortale peccatum. Quòd si veniam promisit deus parum pro sceleris mole contritis, tunc promisit his quos isti vocant attritos: & iam cum his consentit Lutherus, quos reprehendit. At si promisit deus nihil omnino dolentibus, magis promisit attritis, hoc est vtcunq; dolentibus. Quamobrem si tantum contritionem admittit, hoc est sufficientem dolorem, nemo certus esse potest se esse absolutum: & sic Luthero perierit, aut falsa fuerit & erronea absolutionis certa illa & indubitata fidu-

*Lutherus vndequaq; cōstrictus.*

cia. Sin ei dicat, cuius alioqui tepido ac remisso dolori peccata nõ remitterentur, per pœnitentię sacramentum remitti omnia, fatenti se peccatorem, & petẽti veniã, & per os fratris obtinẽti: quid dicit aliud quàm sentiunt illi quos insectatur, qui dicunt ex attritione per sacramẽtum superueniens fieri contritionem? Sacramentum enim supplere, quod deest homini. Aut ergo falsa est positio Lutheri, certũ esse hominem de absolutione: aut velit nolit, admittendum est ei, si non verbũ attritionis, certe res quam isto verbo designãt: quam si concesserit, (concedet autẽ, nisi velit de sua sententia discedere) hominis est intẽpestiue nugantis, re cõcessa, contẽdere de vocabulo. Rursus magnificis verbis totam inuadit ecclesiam, tanquam peruerse doceat contritionem, dum ex peccatorũ collectu & conspectu docemur parare cõtritionem, quum prius doceri deberemus, vt ait ille, principia & causas contritionis, nempe diuinę cõminationis & promissionis immobilem veritatem: quasi non talia passim dicantur apud populum, prolatis etiam in eandem sentẽtiam locis multis è scriptura sacra neq; minus minacibus, neq;

*Luther⁹ in labyrintho.*

*Iustiores cõtritiõis causæ, quàm quas affert Lutherus.*

minus cõsolantibus, additis præterea causis in procurandam contritionem neq; minus efficacibus quàm sunt istę quas Luther us exigit, & longè sanctioribus. Nam hæ causæ nihil fere proponũt præter metum pœnæ, & spem præmij: quæ conuersio ad deum non tam grata est, ac si quis conuertatur amore. hoc fiet, si non ista quisq; tantum proponet sibi, quę Lutherus affert, cõminationẽ dei, & remissionis promissionem, sed illa etiã quæ docent hi quos Lutherus tanquã nihil docentes irridet, nẽpe dei in se benignitatẽ, & toties in nihil bene merentem, in toties merentẽ male, ampliter collata beneficia. His enim rebus sibi à se propositis, adducetur peccator vt plus doleat offensum tam pium patrem, q̃ tam potentẽ dominum: & minus pœnam suã timeat, quàm iram dei: nec tam cœlum cupiat, quàm fruorẽ dei. Hæc cõsideratio bonitatis diuinæ formant cõtritionem. An nescis homo, inquit apostolus, q̃ dei benignitas ad pœnitentiam te inuitat? & formant, vt dixit, sanctioré, quàm sit hęc, quã ex metu pœnę & spe remissionis formant Lutherꝰ, qui neminẽ iactat illa docere prę ter se, quũ omnes & cadẽ doceant, & meliora.

*Roman. 2.*

*Arrogãtia Lutheri.*

## DE CONFESSIONE.

CONfessionem ita tractat, vt in publicis criminibus, quæ sine cõfessione nota sunt toti populo, cõfessionem exigat, vbi minus est opus: occultorũ vero cõfessionem ita versat lubricus, vt quũ non reiiciat prorsus, tamen relinquat incertum, an pro re iussa & demandata recipiat. Nam è scripturis eam negat probari, tamen placere sibi dicit, & vtilem esse, ac necessariam, nec tamen dicit omnibus, sed ad pacandas dũtaxat afflictas cõscientias, opinor significans, q; si quis habeat conscientiã suę similem, quę vel de suã sanctitate secura sit, vel de verbo promissionis diuinæ certa sit, ei nõ sit opus occultorum confessione. Alioqui si quis meticulosus sit, ad pacandam conscientiã confitendum esse. Quamobrem quoniã tam dubiè verba sua suspẽdit, mihi visum est afferre quędam, quæ de necessitate confessionis loquuntur apertius. Et quia ex scripturis haberi negat occultorum cõfessionẽ, Primo loco proponã eum locũ ex Ecclesiastico, qui, non soli mihi, videtur omnes tres pœnitentię partes cõplecti. Fili, inquit, in tua *Eccles. 38.*

infirmitate ne despicias teipsum, sed adora dominũ, & ipse curabit te. auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Curat enim deus dum soluit in cœlo, quod sacerdos soluit in terra. dirigimus manus in satisfactione: auertimus à delicto per contritionẽ: cor vero à delicto in confessione mundamus, iuxta illud prophetæ: Effundite corã illo corda vestra. Tres pœnitẽtiæ partes cõplectit & Chrysostomus, quũ ait, Perfecta pœnitentia cogit peccatorẽ omnia libẽter sufferre. Et infra, In corde eius contritio, in ore eius cõfessio, in opere tota humilitas, hæc est fructifera pœnitentia. Pro cõfessione facit & illud: Cognosce vultum pecoris tui. Quomodò enim potest cognoscere, si nõ indicetur? Quid eo manifestiꝰ, quod legitur Numeri cap. 5. Locutus est dominus ad Mosen dicẽs, Loquere ad filios Israël: Vir siue mulier quum fecerit ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, & per negligentiã transgressi fuerint mandatũ domini, atq; deliquerint, confitebuntur peccatum suũ. Huc & illud pertinet, quod in lege veteri Iudæorum, quibus omnia contingebant in figu-

*Psal. 61.*

*Chrysostomus.*

*Prou. 27.*

*Numer. 5.*

ra, populus infectus lepra iussus est se sacerdotibus ostendere. Nam si deus ideo scripsit in lege, Non alligabis os boui trituranti, vt nos admoneret æquum esse, vt qui altari seruit, de altari viueret (quēadmodū declarat apostolus, qui illud ait in lege scriptū, non propter boues, sed propter homines. Nunquid de bobus, inquit, cura est deo?) non est cur quisquam dubiter, per lepram illam corporeā in lege carnali, significatū esse peccatū in lege spirituali. In quam intelligentiam vt nos paulatim duceret Christus, ait leprosis, (quos dum irent, non à corporis tantum, sed ab animæ quoq; lepra mūdauit) Ite (inquit) ostēdite vos sacerdotibus. Iam illud diui Iacobi, Confitemini alterutrū peccata vestra: etiam si nō nesciam alios aliò trahere, mihi certe (nec soli) videtur de sacramentali confessione mādatum. An non illud quoque facit aperte pro confessione, quod per Esaiam ait dominus: Tu dic iniquitates tuas, vt iustificeris? Quòd si quid valere debet authoritas sanctorum patrū, valere debet in primis, qđ ait beatus Ambrosius: Non potest quisquam iustificari à peccato, nisi peccatū ipsum fuerit confes-

*Leuiti. 13.*
*Deut. 25.*
*1. Cor. 9.*
*Lucæ. 17.*
*Iacob. 5.*
*Esaiæ. 43.*
*Ambros⁹.*

sus. Quid dici potest apertius? Præterea
*Chrysostomus.* Ioannes Chrysostomus, Non potest, inquit, gratiã dei accipere, nisi purgatus fuerit ab omni peccato per confessionẽ. Deniq; beat⁹ Augustinus, Agite pœnitentiã
*Augustin⁹* qualis agitur in ecclesia. Nemo dicat sibi, occulte ago, quia apud deũ ago. Ergo sine
*Matth. 18.* causa dictum est, Quę solueritis super ter-
*Matth. 16.* ram. Ergo sine causa claues datæ sunt. Verum de confessione si verbũ nullum neq; nominatim neque in figura legeretur, neque quicquã à sanctis patribus diceretur, tamẽ quũ videam totũ populũ tot seculis peccata sua patefacere sacerdotibus, quũ ex ea re tam (assidue videam tantum boni prouentum, tam nihil enatũm mali, aliud neq; credere neq; cogitare possum, quàm eam rem non humano cõsilio, sed diuino plane mandato & constitutam esse, & con
*Solida confirmatio cõfessiõis clãculariæ.* seruatam. Neq; enim vlla humana authoritate populus vnquam potuisset adduci, vt occultissima scelera, quorũ tacitam cõscientiã horrebãt, quæ ne prodirent in lucem, tãti referebat ipsorũ, in alienas aures posset quũ vellet prodere, tãto cum pudore, tãto cũ periculo tam incunctãter effun
*Argumen-* derẽt. Neq; fieri potuisse, quũ tam nume-

rosi presbyteri boni maliq; promiscue cõ fessiones audiant, vt audita continerent etiã ij qui aliàs nihil cõtinent, nisi deus ipse, qui sacramentũ instituit, rem tam salubrem speciali gratia defenderet. Mihi ergo, quicquid ait Lutherus, non ex aliqua populi consuetudine, nec ex institutione patrum, sed ab ipso deo videtur instituta & præseruata confessio.

*tũ non improbabile.*

Iam quod Lutherus reseruationes peccatorum damnat, per quas interdicitur nequilibet sacerdos remittat omnia, sed quędam episcopi requirant manum, quædam etiã papæ: istuc spectat, q̃ homo popularis sic exæquat omnia, vt summi pontificis odio, põtifices omnes in classem cogat infimorum sacerdotum: tam cæcus odio, vt iurisdictionem non discernat ab ordine: immo verò multo adhuc cæcior, vt qui nec ordinem videat vllum, sed omnia plane permisceat & confundat horrore, sacerdotesque ipsos prorsus in laicorum classem redigat. Quum deus ecclesiam hanc militantem, ad exemplar triumphantis effinxerit, cur tot gradus, tot ordines legẽs illic, nullum gradum, nullum ordinẽ, nullum prorsus discrimen admittit hic?

*Lutherus omnia confundit.*

*Ratio aduersus Lutherũ pro episcoporũ authoritate, vt reseruent peccata.*

Quorsum igitur tam multa scripsit apostolus de episcopis, si nihil iuris in gregẽ suum plusquam sacerdotes reliqui, nihil plusquam laicus quiuis haberet episcopus? Sed de laicis dicemus postea, interim de sacerdote dicamus. Sacerdos quilibet ordinem quidem habet, sed authoritatem iudicandi non habet (quæ res ad absoluentem pertinet) priusquam ei gregis alicuius cura committitur: idoneus tamen antè reputatur, cui cura tutò possit committi. Episcopus ergo, qui curam habet totius diœcesis, si cui sacerdoti partẽ quampiam suæ curæ commiserit, an non ipsa ratio docet hunc non amplius aut ligare posse aut soluere, nisi quatenus ille permiserit, sine cuius mandato nihil omnino in illius populo vel ligare quemquam, vel soluere potuisset? Quippe, quod nec ipsi licebat episcopo in aliena diœcesi. Quid ergo miri est, si quædam sibi reseruat episcopus, quorum curam putat esse maiorem, quàm vt cuilibet possit (etiã non imperito) committi? Quod quum tot seculis obseruatum sit, ne populus nimis facili proposita remissionis facultate, procliuius in scelera prolaberetur: Lu-

therus nunc demum, ne quisquam difficultate pœnitentiæ deterreretur à peccãdo, quidlibet iubet permitti cuilibet, non sacerdoti modo, sed etiam laico, in tãtum progressus ineptiæ, vt quum vulgo mulieres male audiant quasi parum probe taceãt si quid audierint secretius, ille mulieres etiam velit viris esse à confessionibus. At mulierem quum docere non permittat Apostolus, nõ eliget opinor in sacerdotem Lutherus, qui nisi prædicantem, negat ferme quenquam esse sacerdotem. At sacerdoti tantùm confitendum esse, (nisi necessitas ingruat) sanctorum patrum declarat sententia. Veniat, inquit Augustinus, ad Antistites, per quos illi claues ministrantur ecclesiæ. Non dicit, veniat ad laicos, veniat ad mulieres. Item alibi dicit apertius: Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat: repræsentet vitam suam deo per sacerdotem. præueniat iudicium dei per confessionem. Præcepit enim dominus mundandis, vt ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata. Item Leo papa. Christus hinc præpositis ecclesiæ tradidit pote-

*Lutherus etiam mulieribus authoritatem permittit audiẽdi cõfessiones.*

*1 Tim. 2.*

*Patrũ authoritas aduersus Lutherum.*

*Augustinus.*

*Luc. 17.*

*Leo papa.*

statem, vt confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent. Denique venerabilis Beda: Coæqualibus quotidiana & leuia, grauiora verò sacerdotibus pandamus, & quanto iusserint tempore purgare curemus, quia sine confessione peccata nequeunt dimitti. Præterea quid prodesset confessio, nisi per claues ecclesiæ sequeretur absolutio? At hoc ius, inquit Ambrosius, solis permissum est sacerdotibus. Quod quomodo velit intelligi, declarat alibi, quum dicit, Verbum dei dimittit peccata, sacerdos est iudex. Alio item loco scribit Augustinus apertissime: Frustratur claues ecclesiæ, qui sine sacerdotis arbitrio pœnitentiam agit. Nunc igitur iudicet quisque quàm vere sentit Lutherus, qui contra sanctorum omnium sententiam, claues ecclesiæ trahit ad laicos, trahit ad mulieres: & ait, verba Christi, Quæcumque ligaueritis &c. non sacerdotibus tantum, sed omnibus dicta fidelibus. M. Aemilius Scaurus vir clarissimus, & exploratæ probitatis, Romæ quum à Vario Sucronensi, homine parum syncero, accusaretur apud populum, & accusator oratione longa peroraſſet,

*Beda.*

*Ambrosi⁹.*

*Augustinus.*

*M. Aemilius Scaurus.*

ille breuiter, & sua & populi fretus conscientia, non dignatus oratione contendere, Quirites, inquit, Varius Sucronensis ait, Aemilius Scaurus negat: vtri potius credendum censetis? Quibus verbis applaudente populo, vir honoratus, hominis nihili futilem accusationem elusit. Quæ percontatio non illic magis mihi visa est, quàm in præsente quæstione congruere. Nam verba Christi de clauibus, laicis dicta Lutherus ait, Augustinus negat: vtri magis credendum esse censetis? Lutherus ait, negat Beda: vtri magis credendum censetis? Lutherus ait, negat Ambrosius: vtri magis credendum censetis? Denique Lutherus ait, tota negat ecclesia: vtri magis censetis esse credendum? At si quis adeo desipiat, vt authore Luthero, mulieri quoque putet esse confitendum, huic non inutile fortasse fuerit illud alterum Lutheri dogma suscipere, quo suadet non adhibendum multum studij ad recogitanda peccata. Non expedit profecto nimis anxie multa reuocare in memoriam, vt omnia in eius infundas aurem, quæ peruiam & patulam viam ab auribus habet ad linguam. Alioqui, quum

*Cede tæ-tribus Luthere.*

*Mulieres quas Luthe rus statuit à confessionibus, rimarũ sunt plenæ.*

res fieri potest absque tali periculo, non dubitem Lutheri cõsilio exemplum pro-

*Esaiæ. 38.* phetæ præponere, qui dicit: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine. Omnes, inquit, annos meos, sed in amaritudine. Talis enim confessio non solum præterita diluit, sed nouam etiam parit

*Ambrosius.* vbertim gratiam, iuxta illud Ambrosij: Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit: atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm amisit. Quẽ

*Gregorius.* secutus Gregorius, Fit, inquit, plerunque gratior deo, amore ardens vita post culpam, quàm in securitate torpens innocentia. Nam quum Lutherus ocioſos homines appellet, qui censuerunt confiten-

*Augustinus.* das peccatorum circunstantias, Augustinus longe censet aliter. Consideret, inquit Augustinus, qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, an ipsius vitij multiplici execu-

*Confitendæ peccatorũ circunstantiæ.* tione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status vel officij, & secundum modum meretricis, & modum operis sui, & qualiter turpitudinem peregit, si in loco sacrato, si in

tempore

tempore orationi constituto, vt sunt festiuitates, & tempora ieiunij. Consideret quantum perseuerauerit, & doleat, quàm perseueranter peccauerit, & quanta victus fuerit oppugnatione. Sunt enim qui non solum non vincuntur, sed etiam vltro se peccato offerunt: nec expectant tentationem, sed præueniunt voluptatem. It pertractet secum, quàm multiplici actione vitij, quàm delectabiliter peccauit. Omnis ista varietas confitenda est & deflēda: vt quū cognouerit quod peccatum est, cito inueniat deum sibi propitium. In cognoscendo augmentum peccati, inueniat se cuius ætatis fuerit, cuius sapientiæ & ordinis. Immorctur in singulis istis, & sentiat modum criminis, purgans lachrymis omnem qualitatem vitij. Hactenus Augustinus. Quo vno haud scio an reperiat quemquam Lutherus ex his quos ocioſos vocat, qui diligētius enumerarit peccatorū circūstātias: ne putet Lutherus circūstātiarū nihil quicquā ad cōfessionē pertinere. Quòd si eius dē peccati variæ circūstantiæ sint, quoad possumus, in memoriā reuocādæ, quanto magis grauia & diuersa crimina colligen-

da sunt,& diligenter excutienda conscientia,vt si fieri possit, nullum nobis patiamur excidere? Nam quod Lutherus velut acutissimum telum coniicit, neminem posse omnia peccata confiteri, propterea quòd nemo potest omnium recordari, telum est obtusissimum. Quis enim nescit, neminem, qui dixit omnia peccata confitenda fuisse, tam stolidum, vt senserit etiã illa sacerdoti narranda in aurem, quæ cõfitenti non veniissent in mentem?

## DE SATISFACTIONE.

*Lutherus tam verborũ prodigus, vt malit multis verbis nihil dicere, quàm tacere.*

*Lutheri spiritus, qui illum secretorum admoneat.*

DE satisfactione nescio an satisfaciat aliis, mihi profecto videtur potius quàm taceret, maluisse multis verbis nihil dicere. Nam primum quod ait ecclesiam sic docere satisfactionem, vt populus veram satisfictionem non intelligat vnquam, quæ est innouatio vitæ, quis non videt meram esse calumniam? Quis Lutherum docuit ecclesiam non docere, innouandam esse vitam? Totam non peragrauit ecclesiam, non omnibus interfuit

confessionibus, vt hanc audiret inscitiam sacerdotum. Necesse est ergo aut spiritū sanctum habeat in sinu, aut dæmonem aliquem in pectore, qui istud ei inspirauerit. Sed quisquis hic spiritus fuit, bonus esse non potuit, qui falsitatem docuit, sed spiritus ille de quo dictum est, Diabolus mẽdax est, & pater eius. Nam nemo nescit falsum esse quod Lutherus affert pro vero. Quis enim vnquam adeo stipes fuit, vt sic indiceret opera satisfactoria pro præteritis, vt indulgeret futura? Quis non assidue, quum absoluit, illa Christi verba succinit: Vade, & noli amplius peccare? Et illud Pauli. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Quis non legit illud Gregorij: Pœnitentiam quippe agere digne non possumus, nisi modum quoque eiusdem pœnitentiæ cognoscamus? Pœnitentiam quippe agere, est & perpetrata mala plangere, & plãgenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, vt iterum alia committat, adhuc pœnitentiam agere ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata luxuriæ

*Ioan. 8.*

*Aperta calumnia Lutheri.*

*Ibidem.*

*Roma. 6.*

*Gregorius.*

quis defleat, & tamen adhuc auaritiæ æstibus anhelat? Quòd si nihil horum diceretur, tamen quum sacerdos indicit pœnitentiam pro commissis, ipsa re decet non esse rursus committenda, quæ rursus sint puniendæ. Lutherum ergo manifeste liquet nihil habere pensi quid dicat, modò verborum effutiat aliquid quo calumnietur ecclesiam. Quæ res maxime semper patet vbicunque velut in re maximi momenti, maxima voce declamat, quemadmodum in his verbis facit: Quæ monstra tibi debemus Romana sedes, & tuis homicidis legibus & ritibus, quibus mundū totum eò perdidisti, vt arbitrentur sese posse deo per opera pro peccatis satisfacere, cui sola fide cordis contriti satisfit, quam tu his tumultibus non solùm tacere facis, sed opprimis etiam, tãtùm, vt habeat sanguisuga tua insatiabilis, quibus dicat, affer, affer: & peccata vendat? Quis nõ arbitretur, quum hæc verba legat tam atrocia, tam tragica, Lutherum in sede Romana deprehendisse ingentia & abominanda portenta? At si quis omnia pensiculet diligentius, videbit parturiēte monte natum ridiculum murem. Nã primùm, quàm

*Lutheri verba.*

ridiculum est illud quod exclamat in Romanam sedem? quasi Romæ tantùm, & nõ per omnem totius orbis ecclesiam exigerentur opera satisfactionis, & iniungatur pœnitentia: aut quasi leges, quas ille vocat homicidas, non sint editæ pleræque à sanctissimis olim patribus, & publico Christianorum consensu in synodis ac generalibus conciliis. Deinde quum dicit, quòd per opera nõ satisfit deo, sed sola fide, si sentit quòd non per sola opera sine fide, stulte bacchatur in sedem Romanam, in qua nemo fuit vnquam tam stultus, qui diceret opera sine fide satisfacere, quũ nemo nesciat illud Pauli: Quod non est ex fide, peccatum est. Sin opera sentit superflua, & fidem solam sufficere qualiacunque sint opera, tum dicit aliquid, & vere dissentit à sede Romana, quę credit diuo Iacobo, quòd fides sine operibus mortua est. Videtis igitur, quàm inepte se commouet Lutherus, qui sic inuehitur in Romanã sedem, vt semet interea vel stultitiæ retibus vel impietatis inuoluat. Quanquam profecto propinquius opinor vero, Lutherum sentire, fidem semper absque operibus bonis satis esse

*Rom.14.*

*Iacobi.2.*

ad salutem. Nam id illum sentire, tum ex aliis locis multis euidenter liquet, tum ex eo quod dicit, Opera deus nihil curat, nec eis indiget. Indiget autē, vt verax in suis promissis a nobis habeatur. Quibus verbis quid senserit Lutherus, viderit ipse, ergo certe deum credo & fidem nostram & opera nostra curare, & neque operibus nostris egere, neque fide. Nam vt bonorum nostrorum non eget, qui deus est, ita curam habet omnium que faciunt homines, q aliud ab his fieri vetat, aliud iubet. sine cuius cura ne vnus quidem passer cadit super terram, quorum duo veneunt dipondio. Sed quia videtur Lutherus eò vergere, vt pœnitens tantùm ingrediatur nouam vitam, ac negligat a sacerdote pro commissorum satisfactione suscipere pœnitentiam, audiamus quid in hac quoque parte scribat sanctissim⁹ Augustinus. Nō sufficit, inquit, mores in melius cōmutare, & a pręteritis malis recedere, nisi etiā de his quæ facta sunt, satisfaciat dño, per pœnitentię dolorē, p humilitatis gemitū, per cōtriti cordis sacrificiū, cooperātibus eleemosynis & ieiuniis. Et alibi: Ponat se pœnitēs, inqt, oīno in iudicio & potestate

*Verba Lutheri.*

*Deum curare opera nostra.*

*Luc. 12.*

*Augustin⁹*

sacerdotis, nihil sui reseruãs sibi, vt omnia eo iubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæ faceret pro vitanda corporis morte. Item alibi. Ligant quoq; (inquit) sacerdotes, dum satisfactionẽ pœnitentiæ confitẽtibus imponunt: soluunt, quũ de ea aliquid dimittunt. Opus enim iustitiæ exercent in peccatores, quũ eos iusta pœna ligant: opus misericordiæ, quum de ea aliquid relaxant. Satis igitur aperte me docuisse cõfido, quàm temere calumniatur ecclesiam, & per omnem pœnitentiæ partem quàm inepta, quàm impia, & quàm absurda contra sanctos patres, contra scripturam sacram, contra publicam ecclesiæ fidem, contra tot ætatum, tot populorum consensum, contra sensum ferme communem constituat: quibus tamen ille non est contentus, sed quũ diu fassus esset pœnitentiam esse sacramentũ, tandem in fine totius libri pœnitere cœpit eum quòd quicquã omnino liber haberet veri: eoque mutata (quod solet) in deterius sentẽtia, pœnitentiã prorsus negat esse sacramentum. At idẽ antè fatetur se non dubitare, quin quicunque coram quouis priuatim fratre vel sponte con-

*Satisfactionem pœnitẽtiæ necessariã esse confitentibus.*

*Lutheri inconstantiæ.*

fessus vel correptus veniam petierit, & emendauerit, ab omnibus occultis absolutus sit. Si ita sentit, quanquam falsum in hoc sentit, quod ait corã quouis priuatim fratre, & in hoc item quòd nihil interesse censet an cõfiteatur vltro, an correptus petat veniam: tamen si pœnitentiã etiam talẽ censet esse tam vtilẽ, cur pœnitentiã eximit è numero sacramentorũ? Non ob aliud omnino, quã vt haberetur in minore pretio, & viduata nomine sacramenti (quod apud Christianos est ĩ veneratione) vilesceret. Quam in rẽ non alium reperit prætextum, quàm quòd pœnitentia non habeat signum visibile: quasi vel exterior pœnitentia, vel ille ipse corporeus actus & gestus quo sacerdos absoluit pœnitentẽ, signum esse non possit spiritalis gratiæ qua pœnitens consequitur remissionẽ. Sed vt aliquando finẽ loquẽdi faciam de pœnitentia, vtinã aliquando pœniteat ipsum tam male tractatæ pœnitentiæ, & cuius omnes partes conatur euertere, salubriter olim partes omnes adimpleat, conteratur de malitia, publice confiteatur errores, & ecclesiæ (quam tot blasphemiis offendit) iudicio se subiiciẽs,

quicquid antè commisit, quanta maxima potest, (nam digna profecto non potest) satisfactione recompenset.

## DE COFIRMATIONE.

CONfirmationem adeò non recipit pro sacramento, vt etiam mirari se dicat, quid ecclesiæ in mentẽ venerit, vt confirmationẽ faceret sacramentũ: & in re tam sacra ludit & nugatur homo nugacissimus, quærens cur non ex pane quoque faciant sacramenta tria, quum ansas quasdam habeant ex scripturis. Ideo non facit ecclesia, quia non apprehendit ansam ex qualibuscunque scripturæ verbis alia condendi sacramenta, quàm quæ Christus instituit, & suo sancti ficauit sanguine: quemadmodum e diuerso nullum eorũ omittit, quæ a Christo & Apostolis per manꝰ deinceps tradita sunt, etiam si nusquã quicquã de eis scriberetur. Nam quod ait confirmationẽ nullam operari salutẽ, nulla fulciri promissione Christi, hoc dicit tantùm, neque probat quicquã: duntaxat negat omnia. At quum loca quædam Lutherus ipse commemo-

*Lutheri nugacitas.*

*Luthe. perpetuus mos*

rat,è quibus ( quanquam id Lutherus irridet)habere non absurde potuerit sacramentum confirmationis initium, cur tam malignè de tota iudicat ecclesia, quasi temere sacramentum suscipiat, propterea quòd in illis locis nullum legit verbum promissionis? quasi nihil omnino promiserit, dixerit, fecerit Christus,quod non complectantur euangelistæ.Hac ratione, si tãtum Ioannis extaret euangelium, negaret institutionem sacramenti in cœna domini, de qua institutione nihil omnino perscribit Ioannes, qui eodẽ dei consilio non tetigit istud,quo multa alia prę terierunt omnes quæ fecit Iesus, quæ (vt inquit euangelista)non sunt scripta in libro hoc,& quæ totus mundus non posset capere. Ex quibus nonnulla per Apostolorum ora fidelibus patefacta sunt,&perpetua deinceps ecclesiæ catholicæ fide conseruata.Cui quare nõ debeas de quibusdam credere quanquam non legantur in euangeliis, quum ( vt Augustinus ait) nisi tradente ecclesia scire nõ posses quæ sint euangelia? Quorum si nullum vnquã scriptum esset, maneret tamen euangeliũ scriptum in cordibus fidelium, quod an-

*Efficax ratio aduersus Lutherum quòd recipi oporteat etiam quę nusquã sunt scripta. Ioan vltimo.*

cuiusfuit omnium euangelistarum codicibus: manerent sacramenta, quæ & ipsa non dubito euãgelistarum libris esse omnibus antiquiora: ne putet Lutherus efficax argumẽtũ esse frustra suscepti sacramenti, si nõ reperit institutũ in euãgeliis. Alioqui si nihil omnino recipiat, quod non tam aperte legat in euangelio, vt tergiuersandi nõ sit locus, quomodo credit (si modò credit, qui ferè nihil credit) perpetuam Mariæ virginitatem? De qua adeo nihil inuenit in scripturis, vt Heluidius non aliunde, quàm ex scripturarum verbis arripuerit ansam decernendi contrarium. Nec aliud opponitur illi, quàm totius ecclesiæ fides, quæ nusquam maior est aut fortior quàm in sacramentis. Ego certe neminẽ esse puto, qui scintillã vllã habeat fidei, cui persuaderi possit, quòd Christus qui pro Petro orauit ne fides eius deficeret, qui ecclesiam suã supra firmam petram collocauit, pateretur eã tot seculis vniuersam, corporaliũ rerũ signis inanibus erronea fiducia velut diuinis sacramẽtis obstringi. Si nusquam inde quicquam legeretur, illi tamen verbo mẽtem domini poterant enarrasse, qui præsentes

*Et hic loc⁹ fortiter premit Lutherũ vt veneretur ecclesię traditiones non scriptas.*

*Lucæ. 22. Matthęi. 7.*

Ioãnis. 15. versati sunt cum eo, de quibus ait ipse: Vos testes estis, qui mecum ab initio fuistis. Docere poterat quid debebat fieri, paracletus ipse, de quo dixit Christus:

Eodem. Quum autẽ venerit paracletus, quẽ ego mittam vobis a patre meo, spiritus veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium

Ioãnis. 16. perhibebit de me. Et rursus, Quum venerit ille, qui est spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audierit loquetur, & quæ futura sunt, annunciabit vobis. Ecclesia ergo quum tot & tales habuerit præceptores, tot viuos Euangelistas, & spiritum illum qui veritatem inspirat, credetur temere instituisse sacramẽtum, & spem in signo collocare nihili? Non credetur potius ab Apostolis, non credetur potius à spiritu sancto didicisse? Certe si quis nomen huius sacramenti, si quis ministrum, si quis virtutem quã spondet æstimet, videbit rem non esse talem, quam temere credatur ecclesia suscepisse.

Hugo de sancto Victore. A chrismate enim, vt inquit Hugo de sancto Victore, Christus dicitur, a Christo Christianus: cuius ex quo nomen omnes cõmunicare cœperũt, omnes vnctionẽ ac-

cipere debuerunt: quia in Christo omnes electum genus sumus, & regale sacerdotiū. Nec vngimur, excepta necessitate, nisi per episcopos, vt Christianum confignent, & spiritū paracletū tradant, quemadmodum idem ait Hugo, sicut in primitiua ecclesia spiritum sanctū per impositionē manuū dandi, soli apostoli potestatem habuisse leguntur. Fructum quoque sacramenti idem doctor declarat. Sicut (inquit) in baptismo remissio peccatorū accipitur, ita per manus impositionē spiritus paracletus datur. Illic gratia tribuitur ad remissionē peccatorum, hic gratia datur ad confirmationē. Quid autem prodest si a lapsu erigeris, nisi ad standū confirmeris? Hactenus Hugo. Cui recta quoque consentit ratio. Quemadmodū enim in vita corporali, præter generationē, per quam vitam consequimur, alia requiritur actio, per quam & crescimus, & ad perfectionem virtutis perducimur: ita in spirituali vita quæ per generationē baptismatis acquiritur, opus est sacramento confirmationis, per quam vita spiritualis ad perfectam virtutem perducitur, & spiritus sanctus datur ad perfectum robur. Et præter

*De cōsecratione d. 5. c. De his.*

*In actis apostolicis.*

*Fructus sacramēti cōfirmatiōis.*

*Ratio instituti sacramenti confirmatiōis.*

sacramentum baptismi, quod adiuuat ad credendum, confirmatio prodest in adiutorium fortitudinis ad audacter confitendū. Ad hoc enim ordinatur, vt homo coram persecutore fidem confiteatur audacter. Et hoc est quod ait Melchiades, In baptismo regeneramur ad vitam, post baptisma confirmamur ad pugnam. Nam confirmatio ad huius mundi agones animat & instruit.

*De cōsecratione di. 5. Spiritussanctus.*

Deniq; vt Luther' intelligat hoc sacramētū neq; nouū esse neq; inane figmētū, sed adeo non vacare gratia, vt spiritū etiā gratiæ conferat ac veritatis, afferimus in mediū quid beatus Hieronymus de confirmationis sacramēto scripserit. Ait enim Episcopus si imponit manū, iis imponit, qui recta fide baptizati sunt, qui in patre & filio & spiritu sancto tres personas & vnam substantiam crediderunt. Arrianus vero quum nihil aliud crediderit (claudite quæso aures qui audituri estis, ne tantæ impietatis vocibus polluamini) nisi in patre solo vero deo, & in Iesu Christo saluatore creatura, & in spiritu sancto vtriusq; seruo, quomodo spiritū sanctum ab ecclesia recipiet, qui necdum remissio-

*Aduersus Luciferianos.*

nem peccatorũ consequutus est? Spiritus quippe sanctus nisi mundam fidem non incolit, nec habitator eius tẽpli efficitur, quod antistitem non habet veram fidem. Quòd si hoc loco quæras, quare in ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi nõ accipiat spiritum sanctum, disce hanc observationem ex ea authoritate descendere, quòd post ascensum domini, spiritus sanctus ad apostolos descendit, & multis in locis idem factitatum reperimus. Hactenus Hieronymus. Cuius sententiæ cũ alia multa scripturæ loca subscribũt, tum ille multo clarissimè, qui in Actis Apostolorum declarat, quòd populus qui ante baptizatus est in Samaria, descendentibus ad eos Petro ac Ioanne, ac manus eis imponentibus, accepit spiritum sanctum. Demiror igitur, quid in mentem Luthero venerit, vt confirmationem pro ritu tantum ac cæremonia contendat habendam, pro sacramento verò neget: quæ nõ solum sanctorum testimonio doctorum, & totius ecclesiæ fide, sed etiã sacræ scripturæ clarissimis locis ostenditur, visibili signo manus potificiæ non gratiã tantùm, sed & ipsum gratiæ spiritũ conferre.

*Cur soli Episcopi baptizatis manus imponunt vt accipiãt spiritum sanctum.*

*Actor. 8.*

Desinat ergo Lutherus confirmationis sacramentum contemnere, quod ministri dignitas, ecclesiæ authoritas, & ipsius sacramenti commendat vtilitas.

## DE SACRAMENTO MATRIMONII.

MAtrimonium, sacramentorum omnium primũ, inter primos homines celebratũ, primo Christi miraculo honestatum, quod propter sacramenti nomen ipsum, tam diu, tam religiose cultum est, Lutherus nunc demum, ne coniugalem fidem tanti quisquam putet in posterum, negat esse sacramentum vllum: & cum alia sacramenta sic sustulerit, vt in vno negaret institutum signum, in alio negaret promissam gratiam, in matrimonio negat vtrunque. Nam negat vsquam promissam esse gratiam. Negat vsquam institutum esse pro signo. Vnde hæc nouit? Quia non legitur, inquit. O rationem fortem, & multarum hæresum parentẽ. Ex hoc fonte venenũ hausit Heluidius. Nullũ sacramentum admittis, cuius institutionẽ nõ legis in libro? Quem librũ vnquã scripsit ille qui

*Ratio Lutheri.*

*Heluidius.*

qui instituit omnia? De quibusdã, inquit, credo euangelistis Christi. Cur ergo de quibusdam Christi non credis ecclesiæ, quã Christus omnibus præponit euangelistis, qui non nisi mẽbra quædã fuerunt ecclesiæ? Quamobrẽ si fidis vni, cur diffidis omnib⁹? Si mẽbro tribuis tantũ, cur toti nihil tribuis corpori? Ecclesia credit esse sacramentũ, ecclesia credit a deo institutũ, a Christo traditũ, ab apostolis traditum, a sanctis patribus per manus deinceps pro sacramento traditũ ad nos peruenisse, pro sacramento per nos tradendum posteris, ad finem vsque seculi pro sacramẽto venerãdũ. Hoc ecclesia credit: & quod credit, dicit. Hoc, inquã, tibi dicit eadẽ ecclesia, quę tibi dicit Euangelistas scripsisse euãgeliũ. Nã nisi ecclsia diceret euangeliũ Ioãnis, Ioãnis esse, nescires esse Ioannis. Nõ enim adsedisti scribẽti. Cur ergo non credis ecclesiæ quum dicit hæc Christũ fecisse, hęc sacramẽta instituisse, hæc apostolos tradidisse, quẽadmodũ credis ei quũ dicit hęc euangelistã scripsisse?

*Lutheri baculus aerundineus.*

Matrimonium, inquit Lutherus, erat apud antiquos patres, erat apud gentiles, & tamen apud neutros matrimonium erat

*Luth. ratio.*

sacramentum, quum tamen apud vtrosque matrimonium fuerit æquè verum, atque apud nos. De patribus qui sub lege erāt, & ante legem, non accedo Luthero, immo plane censeo matrimonium fuisse illis sacramētum, sicut fuit & circuncisio. De gentibus alia quæstio est, quarū coniugium totum pendebat à moribus ac legibus cuiusque populi: eoque talia erant apud alias legitima cōiugia, qualia haberentur alibi perabsurda. Quanquam non desunt, qui contra Lutherum sentiant, etiam gentium coniugium sacramentum esse. Nam & beatus Augustinus ait, quòd sacramentum coniugij omnibus gentibus commune est, sanctitas autem sacramenti non est nisi in ciuitate dei nostri, & monte sancto eius. In quā sententiam, qui volet, Hugonem de sancto Victore perlegat. Quanquam si coniugiū infidelium sacramentū non esset, non sequeretur tamen, quod Lutherus infert, vt ideo ne fideliū quidem coniugiū sacramētum sit. Populꝰ enim dei in matrimonio quiddam habet sanctius, habuitque semper, & quum primùm institueretur, & quum datis a deo legibus honestaretur: porro

*Responsio.*

*Augustinꝰ*

*Sacramētū cōiugij fuisse apud omnes gentes.*

*Hugo de sancto Victore.*

apud gentes, quoniam humana tantũm res agebatur, adsciscere sibi coniuges, ac reiicere, pactis ac legibus humanis solebant. In dei populo, iunctos coniugio non licuit olim diuelli. Nam quod per Moysen deus permisit Hebræis libellum repudij, Christus fatetur indultum propter duritiã populi, alioquin vxores animo suo non satis cõmodas interfecturi. Nam ab initio, inquit Christus, non erat sic. Christianos verò Christus ad pristinam reuocauit sanctitatẽ, consecrãs matrimoniũ indissolubili vinculo societatis, excepta fornicationis causa, inter eos quos non humanus error, sed deus rite coniunxit. Non sequitur igitur, vt si coniugiũ non fuerit sacramentũ gentibus, idcirco sacramentũ aut nunc non sit Christianis, aut non fuerit priscis olim patribus. Nã quod ad Christianos pertinet, etiam si nusquam legeretur, ecclesiæ fides sufficeret. Et tamen vnus ille locus ex apostolo, quẽ Lutherus cauillo conatur eludere, manifeste docet matrimonium non nunc tantum, sed & olim quoque in generis humani primordiis institutũ pro sacramento. Quod nemini, opinor, dubium

*Ratio cur fideliũ coniugiũ potiꝰ sit sacramẽtum, quàm infidelium.*

*Mat. 19.*

relinquetur, qui locum illum ex epistola ad Ephesios perleget, & considerabit attētius: quē totū placuit inserere, propterea quòd nullius interpretatione poterit res elucere clarius, quā ipsis verbis apostoli, qui tā aperte quod sensit, explicuit, vt ineptis Lutheri calūniis nullū reliquerit locū. Ait enim: Mulieres viris suis subditæ sint sicut domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ, ipse saluator corporis eius. Sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiā, & semetipsum tradidit pro ea, vt illā sanctificaret, mundans eā lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiā, non habentē maculā, aut rugā, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Ita & viri debēt diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suā vxorē diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnē suā odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus ecclesiā, quia membra sumus corporis eius, & de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrē suam,

Ephes. 5.

& adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & ecclesia.

Videtis vt beatus apostolus matrimoniũ viri & vxoris docet vndiq; sacramẽtũ esse, quod repræsentat cõiunctionẽ Christi cũ ecclesia. Docet em̃ consecratũ a deo matrimoniũ, vt esset Christi cum ecclesia cõiuncti sacramentũ: atq; ideo virũ cõparat Christo, vxorẽ ecclesię. Virũ caput esse dicit eius corporis quod vnũ facit cum fœmina: Christũ caput esse dicit eius corporis quod vnũ facit cũ ecclesia. Pręcipuã caussam facit, cur vir vxorem diligat, nõ aliã, quã ne disimile signũ sit Christi, quẽ repræsentat: & hãc potiorẽ caussam facit, quàm cõmunẽ masculi & fœmellę naturã, quæ & ipsa potuisset incitare ad diligendũ. Mulierẽ vero vt virũ timeat ac reuereatur, eodẽ exẽplo prouocat, nẽpe quòd illa referat ecclesiam obedientẽ Christo. Quę quũ iterũ atq; iterũ multis verbis inculcasset, nequis hanc viri cũ Christo, & vxoris cum ecclesia collationem, putaret similitudinem esse quampiam duntaxat exhortandi gratia desumptam, ostendit rem esse veram, verum esse sacramentum,

*Matrimonij sacramẽtũ assertũ ex Pauli verbis.*

*Expensa Pauli verba.*

a prophetarum omniũ primo, primoquẽ eius ipsius vaticinio, orbe iam tum recens condito, prænunciatum. Nam quũ dixisset, Qui suã vxorẽ diligit, seipsum diligit: nemo enim vnquã carnẽ suã odio habuit, sed nutrit & fouet eã, sicut & Christus ecclesiã: quia mẽbra sumus (inquit) corporis eius, & de carne eius, & de ossibus eius. Quæ verba dixit apostolus, vt nos in memoriam duceret eorũ verborũ, quæ verbis istis similia dixit Adam quum in conspectum eius primũ adducta est Eua: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Et vt euidentius ostenderet Apostolus, ad Christi copulã eũ ecclesia, pertinere sacramentum coniunctionis Adæ cum Eua, Adæ verba ipsa subiunxit: Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Hoc sacramentũ, inquit Apostolus, magnũ est in Christo & ecclesia. Quo modo potuisset Apostolus euidentius refelliſſe Lutherũ, quã his ipsis verbis, quę Lutherus inepte conatur eludere? qui ex eo quod apostolus dixit, sacramẽtum hoc magnum esse in Christo & ecclesia, contendit apostolum abstulisse sacramen-

*Genes. 3.*

*Arguitur inepte Lutherus.*

tum a matrimonio viri & vxoris, tanquam si qui ita loqueretur, Sacramentū baptismi magnū est in ablutione animæ, negaret baptismū corporis esse sacramentum. aut si qui diceret sacramentū eucharistię magnū esse in ipso Christi corpore, negaret panis & vini species esse sacramētum: aut si dicat, idē sacramentū esse magnū in Christi corpore mystico, sacramentū detraheret corpori quod sumpsit de virgine. Quis vnquā vidit quenquā tā nugace glossemate, tanta se cū gloria iactantē? Nā si Apostolus hoc sensisset, & sic voluisset accipi, vt hoc sacramētū magnū esset duntaxat in Christo & ecclesia, neque pertineret quicquam ad viri & vxoris matrimoniū, imminuisset robur & pondus illorum omniū, quibus illa cōparatione duarum coniunctionū commendauerat ante cōiugiū. Quin alia quoq; ratione nocuisset causæ quā susceperat, si illa protoplasti verba, quæ per se posita videbantur coniuges in mutuū amorē trahere, sic traxisset ad Christū & ecclesiā, vt nihil pertinere doceret ad virum & vxorē. Verba illa Adæ, fuisse vaticinium de Christo & ecclesia, docet Apostol⁹, & omnes docto-

*Prima ratio probans Paulū ad Ephesios. 5. sensisse de sacramēto matrimonij.*

*Secūda ratio.*

res sancti confirmant,& ipsa res ostendit. Nã ad primum Euæ conspectum protulit ea verba, quibus patri & matri præferebat vxorem,quum ipse neque patrem habuisset neq; matrẽ, neque adhuc præceptum procreãdi liberos, vt parentũ & liberorum collatione cognosceret quid pater esset,aut mater. Quòd si illa protoplasti verba fuerunt vaticinium de Christo &ecclesia,tunc aut nihil pertinuisse vidétur ad matrimonium quod agebatur,& de quo dici videbantur: aut illud ipsum matrimonium, velut illius coniunctionis idoneum signũ,ab ipso deo, cuius spiritu formabatur Adæ loquentis os,sacramentum instituebatur, vt eadem verba possent & in id quod agebatur,& in id etiam quod prænunciabatur,hoc est in hominũ coniugiũ, & Christi cũ ecclesia copulam cõpetere:& tanquam vnũ sacramentũ, ex re sacratissima,& eiusdẽ rei sacro & congruente signo,cõprehendere. Prætera vt liquidò patere possit, Lutherũ nihil dicere, nõ hoc agit apostol⁹ in illo loco ad Ephesios,vt doceret ex illis verbis, quàm magnũ esset sacramentũ Christus coniunctus cũ ecclesia, sed vt moneret coniun-

*Tertia ratio.*

ctos matrimonio, vt se sic mutuo gererent, vt ipsorũ coniugiũ, rei tã sacrę, cuius sacramentũ erat, idoneũ & quã simillimũ sacramentũ redderent. Lutherus igitur hoc in loco vel oscitat ipse, atque indiligenter & inconsulte legit illum locũ, aut quod lectione cõperit, impietate dissimulat, quũ hunc intellectũ, quẽ attulimus, & quomodo intelligit ecclesia, respõdet esse magnæ oscitantiæ, & indiligẽtis inconsultæque lectionis. Ergo Augustinus oscitanter legit Apostolũ, oscitãter legit Hieronymus, oscitanter omnes præter vnum Lutherũ, qui vigilantia sua deprehendit Paulum ipsum nõ scripsisse sacramentum sed mysteriũ? O hominem oculatum, qui viderit totam ecclesiam Latinam perperam vocare sacramentum, id quod Apostolus, dũ græce scriberet, appellet mysteriũ, nõ sacramẽtũ: quasi ideo Latini errarent, qui rem efferant latine, quia Paulus in lingua gręca nõ vtatur latino vocabulo. Quod si non sacramentũ sed mysteriũ vertisset interpres, & gręcã vocẽ reliquisset integrã, nõ abstulisset tamẽ argumẽ ũ quo ex eo loco apostoli cõcluditur, matrimonium esse sacramentum, quum id ita

*Lutherꝰ ridiculeridet ecclesiam.*

esse rei totius doceat circunstantia. Nam vt maxime torqueat mysterij verbũ, nunquam tamen efficet vt etiam si nõ statuat sacramentum, ideo tollat ac neget sacramentum: neque male aut sentire dicetur, aut loqui, qui sic loquatur, Eucharistia magnum est mysteriũ. Quamobrẽ quum nullũ sit e sacramentis, quod non idem sit mysterium, vtpote quod sub visibili signo cõplectitur arcanan & inuisibilem gratiã, interpres animaduertẽs in illis Pauli verbis ad Ephesios, totius loci serie declarare planissime id mysterii genus Apostolum describere, quod vere sit sacramẽtũ: ac præterea videns ecclesiã totã matrimonium obseruare pro sacramẽto, mysteriũ illic, vt debuit, vertit sacramentum. Qui si verbum non rectè vertisset, neque tam oscitãtes erãt lectores, aut Hieronymus, aut Augustinus, vt vertentis errorem non deprehenderent: neque tam proni sautores coniugij, vt deprehensum sequerentur potius, quàm castigarent, præsertim quum Augustinus Græcarum literarum peritia non cederet Luthero, & Hieronymus eius linguæ sine controuersia doctissim⁹, adeo virginitati fauerit, vt apud

*Defensus interpres quòd mysterii̇ verterit sacramentum.*

multos matrimonio parum æquus fuisse videretur. Quamobrẽ vt omnes facilius intelligant, non eos tantùm quos per cõtemptum vocat Sententiarios, à Luthero nunc appellari lectores oscitantes, sed veteres etiam ecclesię patres optimos & doctissimos, audiamus quid ait beatissimus Augustinus. Non tantum (inquit) fœcunditas, cuius fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cuius vinculum est fides, verumetiam sacramentũ nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apostolus: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam. Augustinus igitur sacramentum vocat: quem ne dicat Lutherus oscitanter & indiligenter legisse locum, iterũ atque iterũ, aliis atq; aliis operibus in eandẽ sententiam eundem locum tractat. Ait enim alibi, Dictũ est in paradiso: Relinquet homo patrẽ & matrem, & adhærebit vxori suæ: quod magnum sacramentum dicit Apostolus in Christo & Ecclesia. Cur hic non explicat Augustinus illud Lutheri mysterium, errorem esse, quod Latini vocant sacramentum, quoniã græce Paulus appellat mysterium, non sacrãmẽtum?

*Vide quos appellet Lutherus oscitantes lectores.*

*Augustin.*

Augustinus plus millies appellat sacramentum connubij, & sacramentũ nuptiarum: quẽadmodum & illic vbi dicit quòd omne nuptiarum bonum impletum est in ipsis Christi parentibus, proles, fides, sacramentum. Cur hic non admonuit nos non esse sacramentum, sed mysterium? Præterea si verum dicit Lutherus, sacramentum non esse nisi in Christo & ecclesia, verum non dicit Augustinus. Nam neque illud sacramẽtum bonum est nuptiarum, præsertim vt accipit Lutherus, qui dixit duntaxat esse mysterium, neque in Mariæ nuptiis impletum est. Et iterum super eadem Apostoli verba dicit Augustinus: Quod in Christo & ecclesia est magnum, hoc in singulis quibusque viris & vxoribus est minimum, sed tamen coniunctionis inseparabile sacramentum. Quòd si Lutherus dicat non vocari sacramentum nisi in Christo & ecclesia, reuincetur etiã ipsis Apostoli verbis, si diligenter expendantur vel à grammatico. Nam quum Apostolus dicat, Sacramẽtum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & ecclesia: quod est illud sacramentum, quod magnum est in Christo & ecclesia? Christus

*Augustin. de nup. & cõcu. ad Valerium.*

& ecclesia non potest esse sacramentum in Christo & ecclesia. Nemo enim sic loquitur. Necesse est igitur vt id sacramentum quod dicit esse magnum in Christo & ecclesia, sit illa coniunctio viri cũ coniuge, de qua dixerat: Non aliud igitur dicit Apostolus, quàm, hoc, id est illa coniunctio viri & mulieris, magnũ est sacramentum in Christo & ecclesia, tanquam sacrum signum in re sacerrima. Denique si pertinaciter neget Lutherus, in illis Apostoli verbis coniugium vocari sacramentum, sed tãtùm Christi copulam cum ecclesia, saltem non negabit istud, quin illa coniunctio viri & mulieris signum saltem sit sacræ illius cõiunctionis qua Christus coniungitur cum ecclesia, idque ex institutione dei, quum primi parẽtes deo ipso copulante coniuncti sunt, non autem humano ingenio inuentum postea. Istud saltem quod dixi, Lutherus si neget ex apostoli verbis patere, negabit impudentissime. Nam hoc in eo loco tam sæpe, tam aperte dicitur, vt qui non id videat, cæcum se fateatur oportet. Igitur si coniugio, quod rem tam sacram significat, constabit etiam cõferri gratiam, tunc ve-

lit nolit cogetur Lutherus aut cõiugium pro sacramẽto suscipere, aut omnia prorsus sacramenta reiicere, quum ipso fatente, signum rei sacræ cum promissione gratiæ faciant sacramentum. Videamus igitur an aliquo modo liquere possit infundi coniugio gratiam. nam id aperte negat Lutherus. Nusquam, inquit, legitur aliquid gratię dei accepturum, quisquis vxorem duxerit. Honorabile coniugium, inquit Apostolus, in omnibus, & thorus immaculatus. Thorus macula carere non posset, si coniugium careret gratia. Nec aliũde habet coniugium vt thorum seruet immaculatũ, quàm quòd deus, cuius prouidit bonitas, & nec rebus iis quæ naturali feruntur ordine, etiam si nõ ratione tantùm, sed etiam sensu careant, quicquam deesset eorum quæ pro cuiusque captu sint necessaria, simili benignitate curauit, vt coniugio gratiam iungeret, qua quisquis eam nollet abiicere, & fidem debitam seruaret cõiugi, & ex commixtione carnali, cuius alioqui fœda concupiscentia macularetur, non solum non contraheret labem, sed etiam proueheretur ad gloriam. Coniugium enim non

*Verba Lutheri. ad Heb. 12. In sacramẽto coniugij infundi gratiam.*

*Secunda ratio.*

haberet thorum immaculatum, nisi quia gratia quæ infunditur coniugio, verteret illud in bonum, quod aliàs esset peccatum. Quod ipsum & alibi quoque, quum de mulieris agit officio, Paulus designat apertius. Saluabitur, inquit, per filiorum generationem. At si tollas coniugium, quid aliud fuerit generatio, per quam, vt Apostolus ait, saluabitur in coniugio, quàm mors, & æterna damnatio? Nam tolle, inquit beatus Bernardus, de ecclesia honorabile connubium, & thorum immaculatum, nónne reples eam concubinariis, incestuosis, seminifluis mollibus, masculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum? Si igitur extra coniugium omnis generatio damnabilis est, magna videtur gratia matrimonij, quæ eundem actum, si naturam respicis, ex quo maculareris in pœnam, non solum ita purgat vt eluat labem, sed etiam sic sanctificat, vt apostolo teste reportet, præmium. Nec istud habet priuilegium gratiæ, nisi virtute sacramenti ab ipso deo in id consecrati, vt homini ipsius cultori foret & in propagationis officium quum creatus est, & in remedium concu-

1. *Timot. 2.*

*Bernardus.*

piscentię quum restitutus est. Quanquam ille ipse coniugalis actus quid esset aliud quàm concupiscentia, nisi deus illum faceret remedium concupiscentiæ? quem nunc sancta sacramenti gratia sic fecit concupiscentiæ remedium, vt eos qui gratiæ paternæ substantiam, quam deus infundit coniugio, negligenter nolit, vt filius
*Luca.20.* prodigus fecit, effundere, non solum defendat ne quid aquæ furtiuæ sitiant è cisternis alienis, sed etiam ne se inebrient suis, & sobrios hausțus efficiant tam salubres, vt in vitam proficiant æternã. Nam
*2.Cor.7.* & Apostolus in illo etiam loco, vbi quantum potuit, hortabatur ad continentiam & virginitatem, contrariam coniugali generationi virtutem, tamen matrimonium etiam dei donum fatetur, nimirum ex il-
*Iacob.7.* lis de quibus dicitur, Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à patre luminum. Et certe donum dei, quod ideo datur, vt qui accipit, in eo vitæ statu sit, in quo seruari debeat, ne in eum decidat statum, in quem si cadit, pereat: an non habere se
*Tertia ratio.* docet adiunctam pręseruatricem gratiam?

Ad hæc quũ ita dicat Apostolus, Si quis frater

frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et siqua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioqui enim filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. An non his verbis ostendit Apostolus, quòd quum integra quædam res sit coniugium postquam alterutra pars ad fidem conuersa est, sanctitas sacramenti totum sanctificat coniugium, quod prius totum fuit immũdum? At cur istud cõiugium plus haberet sancti, quàm prius, quatenus coniugium est, nisi propter alterius accedentem fidem accederet coniugio sacramentalis gratia, quæ ante baptismum (qui sacramentorum omnium ianua est) ad infidelium coniugium non potuit ingredi? Sed prætereamus apostolum. Consideremus huius sacramenti consecratorem deum. An non ille quum primos parentes coniungeret, coniugium benedictione sacrauit? Ait enim scriptura: Benedixit illis Deus, ac di- 1. Cor. 7.

Quarta ratio.

Gene. 2.

xit, Crescite & multiplicamini. Cuius benedictio quum in reliquis animantibus ad corporis robur pro cuiusque captu sit operata, quis dubitet in homine rationis capace vim gratiæ spiritalis infudisse spiritui, nisi quis deum credat, quum infimis quibusque bestiolis fuisset tam benignus, vt pro sua cuique natura largitus sit affluenter, homini, quem ad ipsius condidisset imaginem, tam parce manum in benedictione restringeret, vt corporis duntaxat habita ratione, animam, illud vitæ spiraculum, quod ipse inspirauerat, & qua maxime repręsentabatur, tanta benedictione præteriret intactam?

Gene. 1.

Quinta ratio.

Iterum, quum Christus homo & idem deus versatus inter homines, nuptias non solum sua honorauit præsentia, sed etiam nobilitauit miraculo, an non docuit honorandum esse connubium? Quod ego certe non video, quid honore dignum habere possit absque gratia. Neque illum puto ad nuptias fuisse venturum, nisi vel iam tum haberet aliquid gratię coniugium, quod ipsum CHRISTO faceret gratum, vel vt coniugio gratiam ipse conferret. Quin & miraculum quod

Ioan. 2.

operabatur, nos admonere video, insipidam concupiscētiæ carnalis aquam, per occultam dei gratiam in optimi saporis vinum esse conuersam. Sed quid opus est in re tam clara tot probamenta conquirere? præsertim quum vel vnus ille locus abunde sufficiat, quo CHRISTVS ait: Quos deus coniunxit, homo non separet. O verbum admirabile, & quod nemo potuisset effari, præter verbum quod caro factum est. Quis non putasset abunde satis esse, quòd primos homines initium generis coniunxisset deus? Atque id ipsum fuerat in tanta deitatis maiestate nulli non admiranda benignitas. At nunc veritate referente didicimus, quicunque legitimo coniugio copulantur, eos non temere, neque mortalium duntaxat cæremoniis, sed ipso deo inuisibiliter adsistente, & insensibiliter cooperante coniungi. Atque ideo vetitum, ne quos deus iunxit, vllo separentur ab homine. O verbum non admiratione magis quàm gaudio pariter & timore plenum. Quis non lætetur, deo tantæ curæ esse suum coniugium, vt non solum interesse, sed etiam præesse dignetur? Quis

*Eodem.*

*Ratio. 6.*

*Matth. 19.*

*Repudij ius ademptum cōiugibus ab ipso Christo.*

non inhorreſcat, dum dubitet quomodo debeat tractare coniugem, quam non ſolum teneatur amare, ſed etiam ſic conuiuere, vt puram & ſine macula poſsit deo, quo tradente recepit, repoſcenti reddere? Igitur quum deus, vt dicit ipſe, coniungat omnes, quis ab illo credet coniugio non infundi gratiam? An qui ſemper copulat, ſemel duntaxat benedixit? Cur iungendi reſumit officium, niſi credatur & benedicendi repetere? An ſanctiſsimum illum ſpiritum, quem in ſpiritu & veritate oportet adorare, putandum eſt aſsidue ſubire miniſterium copulandorum coniugum, copulæ tantùm curã carnalis? Certe quod ad eam rem attinet, ſufficeret deo, ſi genus humanum, quemadmodum cætera animalia, naturæ ab ipſo inditæ, & hominis vitio corruptæ, relinqueret. Sanctius igitur aliquid ſubeſſe oportet vltra carnis propagandæ curam, quod auguſtum illud dei numen in coniugio peragat. id eſt haud dubie quod antiſtes ſacramentorum omnium coniugibus infundit, in coniugio conſecrando gratiã. Ergo quum tot modis probauimus conferri in coniugio gratiam, con-

Ioan. 4.

iugium vero ſacræ rei ſignum eſſe patet & ex Apoſtolo, quòd ſignum quum gratiam ſicut oſtendimus, adiunctam habeat, figura duntaxat eſſe non poſsit, conſequens eſt, vt inuito Luthero, coniugium ſacramentum ſit, etiam ſi ſacramenti nomine (quod tamen facit) non appellaret Apoſtolus. Sed quis vnquam aut veterum aut nouorum, niſi quos exploſit eccleſia, matrimonium dubitauit appellare ſacramentum? In quo vno, quod Hugo de ſancto Victore commemorat, duplex inuenere ſignum. nam & coniugium ipſum ſacramentum eſt illius ſocietatis quæ in ſpiritu eſt inter deum & animam: ofăcium vero coniugij, ſacramentum eſt illius ſocietatis quæ in carne eſt inter Chriſtum & eccleſiam. Nam ſi magnum eſt, inquit, quod in carne eſt, multo maius vtique eſt quod in ſpiritu eſt. Et ſi recte per ſcripturam ſanctam deus ſponſus dicitur, & anima rationalis ſponſa vocatur, aliquid profecto inter deum & animam eſt, cuius id quod in coniugio inter maſculum & fœminam conſtat, ſacramentum & imago eſt. Sed forte, vt expreſsius dică, ipſa ſocietas, & quæ exterius in con-

*Hugo de ſancto Victore.*

iugio, pacto fœderis seruatur, sacramentum est, & ipsius sacramenti res est dilectio mutua animorum, quæ adinuicem societatis & fœderis coniugalis vinculo custoditur. Et hæc rursus ipsa dilectio, qua masculus & fœmina in sanctitate cõiugij animis vniuntur, sacramentum est, & signum illius dilectionis qua deus animæ rationali intus per infusionem gratiæ suæ & spiritus sui participationem coniungitur. Hactenus Hugo. Quamobrem quum non solum publica fides ecclesiæ tot ante nos seculis, ac vetusti patres scripturarum scientia & vitæ meritis insignes, sed ipse etiam beatus apostolus & doctor gentiũ Paulus, matrimonium habuerint pro sacramento, quod honorabile faciat connubium, & thorum per gratiam non solum seruet immaculatum ab adulterio, sed & abluat immunditiam libidinis, & aquá conuertat in vinum, sanctámque procuret voluntatem à licitis nonnunquam abstinendi complexibus: non video quid contra Lutherus possit afferre, nisi quòd hæretici (vt beatus ait Bernardus) pro libitu quisque suo sacramenta ecclesiæ tanquam matris viscera dente vipereo cer-

*Bernardus.*

ratim inter se dilacerare contendunt.

## DE SACRAMENTO ordinis.

IN sacramẽto ordinis nullo procedit ordine, sed hinc atque inde colligens omnes malitiæ suę thesauros effundit. animũ ostendit egregiè versum ad nocendum, si respondeant vires. proponit multa, asserit atque affirmat pessima: sed omnia sat habens dicere, nihil prorsus vlla ratione confirmat. Qua ex re videre licet insignem hominis impudentiam, qui quum toti credere non dignetur ecclesiæ, nisi rationem reddenti suæ fidei, sibi vt credatur vni, sine ratione postulet, idque de rebus eiusmodi, de quibus quid credat, cognoscere, nisi ecclesia docente, non potest. Et tamen sic postulat sibi credi, quo modo si quis credat, non aliud agat, quàm vt totam confundat atque pessundet ecclesiam. Nam quid aliud molitur, qui conatur tollere sacrosanctum sacramentum ordinis, quàm vt postquam mysteriorum ministri viluerint, incipiant,

*Insignis Lutheri impudentia.*

*Machina Lutheri deprehensa.*

vtpote quæ etiam per viles ministrentur, vilescere sacramenta. Quem vnum scopũ toto petit opusculo. De ordine igitur, quia nullo procedit ordine, colligemus hinc inde Lutheri dogmata, vt aceruum illum malorum lector semel habeat sub oculis, quo conspecto non erit (opinor) multum insumendum operæ, vt illum coarguamus, cuius impiam doctrinam videbunt omnes eò recta contendere, vt omnem Christi fidem possit infidelitate peruertere. Quid enim destinat aliud, qui decernit inter laicos & sacerdotes nullum esse discrimen sacerdotij? omnes ex æquo presbyteros esse? omnes eandem habere potestatem in quocunque sacramento? Sacerdotibus sacramentorum ministeriũ non nisi laicorum consensu committi. Sacramentum ordinis nihil aliud esse posse, quàm ritum quendam eligendi cõcionatoris in ecclesia. Quicunque non prædicat, eum non esse sacerdotem, nisi æquiuoce, quemadmodum homo pictus est homo. Qui sacerdos est, rursus fieri posse laicum. Characterem enim nihil esse. Ordinem denique ipsum, qui velut sacramentũ homines in clericos ordinat qui præ-

*Obserua quò tendat Lutherus.*

*Lutheri noua dogmata.*

dicare nesciunt, esse vere, mere, omnino-que figmentum ex homnibus natum, nihil de re ecclesiastica, de sacerdotio, de ministerio verbi, de sacramento intelligentibus. Postremo sanctus iste sacerdos (vt quàm castus ipse sit, coniecturam præbeat) tanquam errorem summum, & summam cæcitatem ponit, & captiuitatẽ maximam, quòd sibi sacerdotes indixerint cœlibem castitatem. Et quum Christus eos laudet eximie, qui se castrauerunt ob regnum cœlorum, Antichristus iste spurcissimus eosdem comparat euiratis olim Cybeles deæ sacerdotibus idololatris. Iã dudum, scio, aures pij lectoris exhorrent impium hunc dogmatum pernicioſorum catalogum, quorum ferè quoduis magis fœtum est hæresibus, quàm fuisse fertur equus ille Troianus armatis. Sed omniũ veluti quidam fons est, quòd ordinem negat esse sacramentum: quo obstructo cæteros necesse est riuulos exarescere. Hoc sacramentum, inquit, ecclesia Christi ignorat, inuẽtumq; est ab ecclesia papæ. Hæc pauca verba non paruum habent & falsitatis & absurditatis aceruum. Nam & ecclesiam papę discernit ab ecclesia Chri-

*Sacerdotũ cœlibatum damnat Lutherus.*

*Matth. 19.*

*Lutheri verba, sed vide quàm absurda.*

*Luthero alia est papalis ecclesia, alia Christi.*

sti, quum papa sit eiusdem ecclesiæ pontifex, cuius & Christus. Ait ecclesiam inuenisse, quod non inuenit, sed accepit institutum. Ait ecclesiam Christi hoc ignorare sacramentum, quum satis constet nullam ferè mundi plagam esse quæ rite profitetur fidem Christi, quin ordinem habeat pro sacramento. Nam si posset obscurum aliquem angulum reperire (quod opinor non potest) in quo nesciatur sacramẽtum ordinis, tamen angulus ille non esset cum reliqua comparandus ecclesia, quæ non Christo solum subest, sed & propter Christum, vnico Christi vicario papæ Romano, & ordinem credit esse sacramẽtum. Alioqui si perstet in eo Lutherus, vt ecclesiã papæ discernat ab ecclesia Christi, & apud alteram dicat ordinem haberi pro sacramento, non haberi apud alterã, proferat illam ecclesiam Christi, quæ cõtra fidem papalis (vt vocat) ecclesiæ, ignorat sacramentum ordinis. Interim certe perspicuum est, quum dicat hoc sacramẽtum ignorari ab ecclesia Christi, & de Christi ecclesia dicat eos quibus præsidet papa, non esse, vtraque ratione ab ecclesia Christi eum segregare non Romam tan-

tum, sed Italiam totam, Germaniam, Hispanias, Gallias, Britannias, reliquasq; gẽtes omnes, quæcunque Romano pontifici parent, aut ordinem pro sacramento recipiunt. Quos populos omnes quum de Christi tollat ecclesia, necesse est vt aut ecclesiam Christi fateatur esse nusquam, aut more Donatistarum, ecclesiam Christi catholicam ad duos aut tres hæreticos redigat de Christo susurrantes in angulo.

*Lutheri ecclesia, ea quæ dicitur malignantium.*

Sed velut ineuitabile telũ promit, quòd hoc sacramentum nullam habeat promissionem gratiæ vllibi, vt inquit, positam, cuius sacramenti vel verbo meminisse negat totum nouum testamentum, & ridiculum ait asserere pro sacramento dei, quod à deo institutum nusquam potest monstrari: nec licet, inquit, astruere aliquid diuinitus ordinatum, quod diuinitus ordinatum non est, sed conandum est, vt omnia nobis claris, inquit, scripturis sint firmata. Vtrum in nouo testamento nulla prorsus fiat huius sacramenti mentio, pòst excutiemus. Interim sic agam cum illo, tãquam nulla prorsus mentio fieret. Nam eodem telo se sperat omnia ferme sacramenta perfodere. Aduersus quod telum

*Lutherì verba.*

ego in scutum mihi idipsum ferrum cõii-
ciam, quod Lutherus ipse fatetur impe-
netrabile. Sic enim se habent ipsius ver-
*Lutheri verba.* ba: Hoc sane habet ecclesia, quòd potest
discernere verbum dei à verbis hominũ,
*Augustinus.* sicut Augustinus confitetur se Euangelio
credidisse, motum authoritate ecclesiæ,
quæ hoc esse Euãgelium prædicabat. Igi-
tur quum istud habeat (vt Lutherus fate-
tur) ecclesia, quòd verbum dei discernere,
potest à verbis hominum: certũ est istud
non aliunde haberi quàm à deo, nec ob
aliam caussam, quàm ne in his erraret ec-
clesia, in quibus non erratum esse opor-
teat. Sequitur igitur ex hoc fundamento,
quod nobis substrauit Lutherus, vt eccle-
sia habeat à deo non id solum quod con-
cedit Lutherus, discretionem verborum
dei à verbis hominum, sed etiam discer-
nendi facultatem, qua in scripturis diui-
nis diuinum sensum ab humano discrimi-
net. Alioqui enim quid profuerit si eccle-
sia (deo docẽte) scripturam veram discer-
nat à falsa, & in scriptura vera falsum sen-
sum nõ discernat à verò? Denique eadem
ratione & istud sequitur, vt & in his quæ
non scribuntur, ecclesiam suam doceat

deus,ne per errorem posſit falſa pro veris amplecti,quum ex ea re non minus impẽdeat periculi, quàm ſi vel ſcripturas hominum teneat pro verbis dei, vel è veris dei verbis falſum eliciat ſenſum, præſertim ſi falſa ſuſcipiat ſacramenta pro veris, & traditiones hominum pro traditionibus dei:immo non traditiones hominum, ſed figmenta diaboli,ſi ſuam ſpem in fictis ac vanis corporalium rerum ſignis, (quẽadmodum magi faciunt) Eccleſia Chriſti velut in Chriſti ſacramentis collocet. Liquet ergo manifeſte ex eo quod fatetur Lutherus eccleſiam hoc habere, vt verba dei diſcernat à verbis hominum,hoc quoque non minus habere, vt traditiones dei diſcernat à traditionibus hominum: quũ alioqui vtrobique poſsit ex æquo vitandus error exoriri,nec id agat Chriſtus,ne eccleſia ſua hoc aut illo erret modo, ſed ne erret vllo.Errare verò maiore cum iniuria Chriſti non poſsit, quàm ſi fiduciam in illo ponendam ſolo, ponat in ſignis nulla prorſus fultis gratia,ſed omni bono fidei vacuis atque inanibus. Non igitur errare poteſt eccleſia in ſuſcipiendis ſacramentis fidei,non magis inquam, quàm

*Victus ex ſuis ipſius verbis Lutherus.*

errare potest in suscipiendis (qua in re ecclesiam errare non posse fatetur Lutherus ipse) scripturis. Quæ res si se haberet aliter, multa sequerentur absurda: sed hoc in primis, quo nihil esse potest absurdius, quòd pleraque omnia fidei Christianæ dogmata, tot stabilita seculis, ad succrescentium hæreticorum libidinem denuo reuocarentur in dubium. Nam si nihil haberi pro certo debet, nisi quod scripturis & iisdem (vt Lutherus ait) claris firmatū est: non solum non asseremus diuæ Mariæ virginitatem perpetuam, sed & inexhausta suggeretur fidei oppugnandæ materia, sicui vnquam libeat aut nouas excitare sectas, aut resuscitare sepultas. Nā paucissimi fuerunt hæretici, qui non receperint scripturas, sed omnes fere ex eo suam statuebant dogmata, quòd aut ea contenderent esse firmata scripturis, aut quum illis viderentur rationi consentanea, contrarium non definiri scripturis: quoniam ea quæ proponebantur aduersus suam sectam, aliter contendebant intelligi, quàm orthodoxa intelligebat ecclesia, & ne clara dici possent, aut alio excogitato sensu, aut prolatis aliunde ex eadem scriptura

*Plerosque omnes hæreticos scripturis niti.*

locis in speciem valde contrariis, omnia sic turbarunt, vt viderentur ambigua. Itaque aduersus Arrium nisi publica stetisset fides ecclesiæ, haud scio an defuisset vnquam de scripturis disputandi materia. Nunc quoniam ex ipsius Lutheri fundamento probauimus, sacramenta quæ credit ecclesiu, non aliunde quàm à deo potuisse constitui, etiam si nihil inde prorsus in scriptura legeretur, videamus an scriptura tam nullam omnino mentionẽ faciat huius sacramenti. Omnes vna voce fatentur, apostolos in cœna domini ordinatos in sacerdotes: solus istud Lutherus negat, quum plane constet illic datam potestatem cõficiẽdi corporis Christi, quod solus cõficere sacerdos potest. At non est, inquit ille, sacramentum, quia non fuit illis vlla promissa gratia. Vnde id nouit Lutherus? Quia non legitur, inquit. Familiaris est ista Luthero consequentia, Non est in Euangelio scriptum, ergo non est à Christo factum. Quam colligendi formã infirmat Euangelista, quum dicit: Multa sunt facta, quæ non sunt scripta in libro hoc. Sed tangemus tamen Lutherum aliquanto propius. Eucharistiam concedit

Ioan. 21.

esse sacramentum, quod nisi fateretur, insaniret. At vbi reperit in scriptura promissam in illo sacramento gratiam? Nam ille nihil recipit nisi scripturas, & easdem claras. Legatur locus de cœna dominica, non reperiet apud vllum Euangelistarum in susceptione sacramenti promissam gra
*Matth.26.* tiam. Legitur à Christo dictum, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. quibus verbis significauit semet in cruce per passionem redempturum genus humanum: sed quum dixit ante, Hoc facite in meam commemorationem: nullam hoc facienti, id est sacerdoti consecranti, aut Eucharistiam recipienti, gratiam ibi promittit, nullam peccatorum remissionem. At nec apostolus in episto-
*1. Corin.11.* la ad Corinthios, quum interminetur male manducantibus iudicium, vllam mentionem facit de gratia bene manducantium. Quod si quid ex capite sexto Ioannis gratiam promittat suscipienti sacramentum carnis & sanguinis domini, ne id quidem quicquam iuuare Lutherum potest, quippe qui totum illud caput negat ad Eucharistiam quicquam pertinere.

Videtis

Videtis ergo, vt istam promissionem gratiæ, quam pro totius sacramenti fundamento magnificè nobis in toto promisit opere, non potest in eo tueri sacramento, quod fere solum relinquit, nisi (quod necesse habet) præter scripturæ verba recurrat ad ecclesiæ fidem. Igitur quemadmodum satis est nobis quòd in Euangelio legimus, conficiendi sacramenti potestatẽ commissam iis in quorum locum succedunt sacerdotes: ita satis est quòd ab apostolo legimus cõsilium datum Timotheo, vt nemini cito manum imponeret. quæ loca plane significant ordinationem sacerdotũ, non consensu cõmunitatis fieri, quo solo interueniente fieri sacerdotem posse Lutherus ait, sed sola ordinatione episcopi, idque certa impositione manuũ, in qua per exterius signũ deus infunderet interiorẽ gratiã: de qua gratia quid obstat quo minus credam" ecclesiæ dei viui? quæ est (vt ait apostolus) columna & firmamẽtum veritatis, quãdo eidẽ ecclesiæ necesse est ipse credat Lutherus de gratia promissa in sacramento Eucharistiæ. Nam in hac fide cognoscitur aut illius gratiæ promissio, aut certe sine promissione donatio.

1. *Timo.5.*

1 *Tim.3.*

Demiror profectò tam vecordem esse quenquam, vt dubitet an sacerdotibus Euangelicis in ordine conferatur gratia, quum passim legantur plurima quę significare videntur etiam veteris legis sacerdotibus gratiam esse collatã. Nam Aaron, inquit deus, & filios eius vnges, & sanctificabis eos, vt sacerdotio fungantur mihi. Alioqui enim quid profuisset exterior sanctificatio in cultum dei, nisi deus pariter infudisset gratiam, qua sanctificarentur interius? atque id quoque per Christum, cuius venturi fides, robur & vim potuit indidisse sacramentis præcedentibus, sicut capacem fecit populum Iudaicum consequendæ aliquando salutis æternæ. Verùm si quis id non admittat, veteris legis sacerdotio collatam gratiam, certe nõ est cur grauetur tamen admittere gratiam sacerdotibus Euangelicæ legis infundi, quia iam per Christi passionẽ venit plenitudo gratiæ.

*Exod 28.*

*Actor. 13.*

*In sacramento ordinis conferri gratiam.*

In actis apostolorum, quum Barnabas ac Paulus segregarentur in opus in quod eos spiritus sanctus accersiuit, non antè dimissi sunt, quàm impositis manibus ordinati sunt. At cur obsecro manus eis im-

posuerunt apostoli ? an vt corpus inani tactu pulsarent, nulla spiritali gratia prodessent animæ ? Quomodo potest ergo Lutherus hoc sacramentum dicere ecclesiæ Christi esse incognitum, quo nulla natio Christiana non vtitur? Quomodo potest appellare nouũ, quod instituit Christus? quod in vsu habebant Apostoli ? At nunquam (inquit) appellatum est sacramentum apud veteres doctores vsquam, excepto Dionysio. Nihil enim prorsus in reliquis patribus de istis sacramentis legimus (inquit) nec sacramenti nomine censuerunt, quoties de his rebus locuti sunt. Recens enim est inuentio sacramentorum. Egregia sanè ratio est ista Lutheri, quæ & manifeste falsa est: & si forte vera, nihil tamen efficeret. Nam si veteres de re fortasis olim non controuersa nihil scripsissent omnino, aut si quum scriberent aliquid, rem proprio tamen, non cõmuni sacramentorum nomine designassent, non necessario colligeretur ex eo, aut ordinem non fuisse prorsus, aut non fuisse sacramentum. Nam si quis baptismum vocet baptismum, nec addat sacramentum, dicetur ideo non habuisse ba-

*Cõfutatur ratio Lutheri.*

ptissimum pro sacramento? Præterea si solus ex antiquis patribus Dionysius ordinem scriberet esse sacramentum, vel satis esset ad euertendam Lutheri obiectionem, qua videri vult inuentionem sacramentorum nouam esse. repugnat enim esse nouum, quod ab illo fatetur scriptis comprehensum, quem fatetur antiquum. Atque istud quidem verum esset, etiam si talis esset sacer Dionysius, qualem eum depingit sacrilegus Lutherus, qui ferme nihil in eo dicit esse solidæ eruditionis, nihil eorum quæ scribit, aut authoritate quicquam, aut ratione probari, sed omnia esse illius meditata, ac propè somniis simillima, quæcunque in cœlesti scribit Hierarchia. In theologia mystica, quam sic inflant (inquit) ignorantissimi quidam theologistæ, est (inquit) etiam pernicioſissimus, plus platonizans, quam christianizans. In qua, inquit, Christum adeo non disces, vt etiam si scias, amittas. Expertus (inquit) loquor, hoc est (vt opinor) expertus est ibi se Christum perdidisse. Demum in ecclesiastica Hierarchia quid facit, inquit, nisi quòd ritus quosdam ecclesiasticos describit, ludens allegoriis?

*Sacrilegi Lutheri cõtumelia in sacrũ Dionysium.*

Denique vt ostenderet in re quàm leui diuus Dionysius luderet operam, An mihi putas, inquit, difficile esse, in qualibet re creata allegoriis ludere? Mihi non fuerit operosum meliorem Hierarchiam scribere, quàm Dionysij sit. Quis patienter ferat in viri sancti pios labores sic debacchantem rabulam, quæ vere meritóque in sui similem debaccharetur hæreticum? Nam & indoctum vocat, & ludicrum, & scribentem non tantùm somnia, sed etiam pernicioſa, & Christum destruentia dogmata. Quæ tamen omnia conuicia sancto viro cedunt in gloriam, cuius opera omnia vel hoc abunde demonstrat esse bona, quòd viro malo displiceant. Nam quæ consortia lucí cum tenebris, Christo cum Belial? At quòd è piis viri sancti libellis nihil pietatis hausit, impium ipsius caput erat in causa, quandoquidem vere scribit Horatius: Syncerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit. Nam quod ait sibi non operosum esse meliorem Hierarchiam scribere, quàm fuerit illa Dionysij: postquam scripserit, tum istud iactitet. Interea verò rem aggreditur multo magis

*Ad Lutherum (si Luthero credas) nihil est diuus Dionysius.*

*Horatius.*

operosam, Hierarchiam alteram, quæ supra firmam fundata est petram, demoliri.

Longius aliquanto nos auexit indignatio, qua molestè ferimus, in virum sanctum ab impio euomita tam contumelioſa conuicia. Verùm, vt cœpi dicere, etiam si solus Dionysius docuisset ordinem esse sacramentum, sufficisset illud ad reuincendum Lutherum, asserentem nouam esse inuẽtionem sacramentorum, quum Dionysium non solum Lutherus fateatur antiquum, sed & totus orbis Christianus veneretur vt sanctum. Cui quòd Lutherus irascitur, non aliud facit, quàm sola malitia, qua nihil ferre potest, quod impiis ipsius hæresibus aduersatur. At nunc vt plane liqueat quàm vanus vndique sit Lutherus, ostendam non solum Dionysium, sed etiam Gregorium, & quem sibi patronum Lutherus mentitur Augustinum, ordinem habuisse pro sacramento. Præterea characterẽ (quem Lutherus irridet) indelebilem, etiam si non vocetur nomine, re tamen aperte describi & ab Hieronymo in sacramento baptismatis, & rationem eius haberi ab Augustino in vtroque sacramento, tam ba-

*Lutherus cur irascatur Dionysio.*

pti simi, quàm ordinis. Incipiam igitur à Hieronymo de charactere baptismatis, vt appareat manifestius character ordinis, quem & Augustinus & Gregorius ob indelebilem characterem cum baptismo comparant. Igitur super illa Pauli verba ad Ephesios, Nolite contristare spiritum sanctum dei, in quo signati estis in die redemptionis, Hieronymus in hunc scribit modum: Signati autem sumus spiritu dei sancto, vt & spiritus noster & anima imprimatur signaculo dei, & illam recipiamus imaginem & similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus. Hoc signaculum sancti spiritus, iuxta eloquium saluatoris, deo imprimente signatur. Hunc enim, ait, signauit pater deus. Et paulo post, Idcirco signatur, inquit, vt seruet signaculum, & ostendat illud in die redemptionis purum atque syncerum, & nulla ex parte mutilatum, & ob id remunerari valeat cum iis qui redempti sunt. Quicunque scripsere de sacramentorum charactere, nullis vnquam verbis apertius expressere characterem (quem animæ per sacramenta imprimit deus) quàm verbis his beatus expressit Hieronymus, non hu-

*Ephe. 4.*

*Hieronymus pro charactere.*

mano figmento (vt Lutherus fingit, sacramentorum execrandus irrisor) sed solidis scripturæ sacræ testimoniis. Character enim est illa qualitas animæ, quam deus sibi notam, nobis incogitabilem, imprimit in signaculum quo suum gregem discernit ab alienis. quod signaculum etiam si vitiis maculent, & è candido reddant atrum, ex integro mutilum, è purissimo reddant impurum, nunquam tamen ita poterunt eradere, quin illo characteris impressi signaculo, in cuius gregem signati sunt, orbi toti maneant in iudicij die cognobiles. Nec alia ratione tam constanter obseruat ecclesia, vt quum alia sacramenta toties iteret, (quod in Eucharistiæ sumptione facit ac pœnitentia, coniugio, & vnctione languentium) baptisma, confirmationem, atque ordinem nunquam iterari permittat. In iis enim sacramentis, sancto docente spiritu, didicit ecclesia characteris conferri signaculum: quod quum deleri non possit, iterari non debeat. Sed vt manifeste pateat, ordini hac in parte parem esse cum baptismo conditionem, audiamus quid ait Gregorius. Quod dicitis (inquit)

*Character quid sit.*

*In quibus sacramentis imprimatur character.*

*Gregorius.*

vt qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est. Vt enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet: ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non valet iterum consecrari. Videtis vt ordinis sacramentum non magis iterari patiatur ecclesia, quàm sacramentum baptismatis. quæ res, vt dixi, pendet ab indeleto charactere. Qua de re vt os obstruamus Luthero, ne rursus obganniat figmentum esse characterem, & solum ex antiquis Dionysium, ordinem vocasse sacramentum: subiungemus, vt polliciti sumus, hac de re etiam diui Augustini sententiam. Is igitur quum de baptismo & ordine differit, in hunc modum scribit: Vtrunque enim sacramentum est, & quadam consecratione vtrunque homini datur: illud quum baptizatur, & istud quum ordinatur. Ideo non licet in ecclesia catholica vtrunque iterari. Nam si quando ex hæreticorum parte venientes etiam præpositi, pro bono pacis, correcto schismatis errore susceptisunt, etsi visum est opus esse, vt eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita mansit ordina-

*Augustinus.*

*Non esse iterandũ ordinis sacramentum.*

tio integra, quia in præcisione fuerat vitium, non in sacramentis, quæ vbicunque sunt, ipsa sunt. Et paulo post: Neutri sacramento facienda est iniuria. Et addit de sacramento ordinis, Sicut non rectè habet, qui ab vnitate recedit, sed tamen habet: sic etiam non recte dat, qui ab vnitate recedit, & tamen dat. Et rursus ad vtrunque reuersus adiecit: Nõ ergo ideo non sunt sacramenta Christi & ecclesiæ, quia eis illicitè vtuntur non modo hæretici, sed etiam omnes impij: sed illi corrigendi sunt, & puniendi, illa autem sunt agnoscenda & veneranda. Videtis nunc quàm verum sit illud quod Lutherus tanta iactauit audacia, sacramentum ordinis ecclesiam Christi nescire, Characterem inane figmentum esse, Sacramentorum inuentionem nouam esse, Ordinem veteribus non habitum pro sacramẽto. Quorum omnium nihil dixit, quod non videtis eorum testimonio reprobatum, quos neque de Christi ecclesia potest eximere (vtpote quam illi & doctrina fidei, & exẽplo virtutis illustrarunt) neque inter nouos numerare, nisi talis sit, vt ei mille sint anni tanquam dies vnus. Sed ille ta-

men aduersus omnes omnium rationes, authoritatem, fidem, vno se tuetur argumento: Omnes, inquit, sumus sacerdotes, secundum illud Petri, Vos estis regale sacerdotium, & sacerdotale regnum. Sed alius alio non potest magis esse sacerdos, quemadmodum alius alio non potest magis esse homo. Igitur sacerdotes qui vocantur, nihil sunt aliud, quàm laici quidam solo vel consensu populi, vel episcopi vocatione non absque populo delecti ad concionãdum: & ordo nihil est aliud, quàm merum sine sacramento ministerium. Recensuimus eius argumentum nõ solum fideliter, sed etiam liberaliter adiicientes quod fulciat: & tamen cui non excutiat risum, tam hebes theologantis argutia? Nam si ideo nihil est ordo sacerdotij, quia quilibet Christianus est sacerdos: eadem ratione sequetur, vt nihil supra Saul habuerit Christus. Nam & de Saul dixit Dauid: Peccaui tangens Christum domini. Nihil habuerit Christus supra quenquam eorum de quibus dictum est: Nolite tãgere Christos meos. Nihil deniq; supra quenquam deus, eorum omnium de quibus per prophetam

*Lutheri verba.*

1. *Petri.* 2.

*Lutheriani sacerdotes laici.*

*Plumbea Lutheri ratio.*

1. *Reg.* 24.

Psal. 100. dixit ipse: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Postremô, qua ratione Christiani omnes sacerdotes sunt, eadem etiam ratione reges sunt. Nõ enim solum dicitur, Vos estis regale sacerdotiũ, sed etiã sacerdotale regnũ. Sedulò considerandum est, serpens iste quid destinet: quem ego certe callidiorem puto, quàm vt vllius esse momenti putet tam friuolum argumentum, sed qui tantùm ideo lambit, vt mordeat. laicos ideo tollit in sacerdotiũ, vt sacerdotes redigat in classem laicorum. Nam sacramentum esse negat, & ritum tantùm esse dicit eligendi concionatoris. Nã qui non concionantur, nihil minus ait esse quàm sacerdotes, nec aliter sacerdotes esse, quàm homo pictus est homo: contra Paulum apostolum, qui ad Timotheum scribens ait: Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Apostolus hoc manifeste docet, quanquam ij præcipue duplici honore digni sunt, qui quum presbyteri sint, laborant in verbo & doctrina: tamen & qui hoc non faciunt, non solum esse presbyteros, sed bene præesse posse, & duplicẽ quoq; honorẽ promereri

*Nemo Luthero rex, quia illi omnes sunt reges.*

*Lut. verba.*

*1. Timot. 5.*

alioqui nõ dixisset, maxime qui laborant in verbo & doctrina, sed solum ij qui laborant in verbo & doctrina. Præterea ne possit dicere Lutherus, id quod dicit, officium sacerdotis erga populum nihil esse nisi prædicare, nam missas, inquit, canere, nihil est aliud, quàm communicare seipsum: hoc inquam vt appareat quàm falsum sit, rursus audiamus Apostolum. Omnis, inquit, pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. An non apostolus aperte declarat, etiam pontificis officium istud poscere, vt pro hominibus offerat sacrificium deo? quod quum scribat, quanquam Hebræis, tamen Christianis, quos nolit iudaizare, clarum est loqui de pontifice legis vtriusque: atque ideo bis Lutherum suo premere testimonio. Nam & missam docet esse sacrificium, & offerri pro populo, quũ ecclesia nullum offerat aliud: & docet offerendi officiũ præcipuã partem esse muneris pontificij. Et certe, nisi falsum esset quod dicit Lutherus, facilè videtis consequi, vt quum nemo nisi sacerdos possit cõsecrare corpus domini, si

*Lut. verba.*

*Ad hebr. 5.*

è tot sacerdotum millibus, qui concionari nesciunt, nullus vere sacerdos est, sed tantùm vocatur equiuoce, quémadmodũ homo pictus vocatur homo: totus Christianus orbis deum populumque ferme non habet aliũ, quàm idololatras, panem pro Christo colentes, & genua sua curuantes ante Baal.

In eligendi (vt vocat) ritu, præcipuum ius tribuit populo. Nam licet vno loco tribuere videatur episcopo aut populo ius promiscuum, quum dicit quòd quanquam certũ sit omnes Christianos æqualiter esse sacerdotes, & eandem in verbo & sacramẽto quocunque habere potestatem, non licere tamen quenquã hac ipsi vti, nisi consensu communitatis, aut vocatione maioris: alio tamen loco superiores partes tribuit populo, quum de sacerdotibus dicit: Qui si cogerentur admittere nos omnes æqualiter esse sacerdotes, quotquot baptizati sumus, sicut reuera sumus, illisque solum ministerium, nostro tamen consensu permissum, scirent simul nullum eis esse super nos ius imperij, nisi quantum nos sponte nostra admitteremus.

Quæ duo loca si conferantur, ostendunt hoc sentire Lutherum, vt populus absque episcopo possit ordinare sacerdotem, episcopus sine populi consensu non possit, quum dicit sacerdotibus solũ ministerium, nec id tamen nisi populi consensu permissum. Nam si hoc verum est, sacerdos fieri nisi populi consensu nõ potest, cuius cõsensu solo dicit olim præfectos ecclesiis episcopos. Negari nõ potest (inquit) ecclesias olim à senioribus fuisse rectas absque istis ordinationibus & consecrationibus, propter ætatem & longum rerum vsum in hoc electis. Lutherus vbi ista reperit, ostendat ipse: mihi interim vera non videntur. Nam si laicus quisque æqualem habet potestatem cum sacerdote in quocunq; sacramẽto, & ordo sacerdotij nihil est, cur ita scribit Apostolus Timotheo: Noli negligere gratiam quæ est in te, quę data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij? Et alibi ad eundẽ: Admoneo te, vt resuscites gratiam dei quæ in te est per impositionẽ manuũ mearum. Iterum: Nemini, inquit, citò manus imposueris, neq; communices peccatis alienis. Deniq; hunc in

*Lut. verba. Sacramẽtũ ordinis propriè nat Lutherus.*

*1. ad. Ti. 4. Aduersus Lutherum Paulus.*

*Ad Titũ. 1.* modum Apostolus scribit ad Titũ: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego dispositui tibi. Habes nunc lector, semel sub oculis Apostoli pauca loca, & non multa verba, quibus inter se collatis, facilè potes deprehendere falsa fictaq; esse omnia quibus tã inordinate Lutherus debacchatur in ordinẽ. Nam quos dicit populi consensu fieri, Paulus ostẽdit fieri ab episcopo, quẽ in hoc ait se reliquisse Cretæ, vt oppidatim presbyteros constitueret, nec tamẽ temere, sed sicut ipse præsens disposuerat. Vides, impositis manibus fieri sacerdotẽ. Et ne dubitari possit simul cõferri gratiam, vides illam manuum impositione collatã. Resuscita, inquit, gratiam quæ data est tibi per impositionem manuum mearum. Et illud quoque: Noli negligere gratiam quæ in te est, quę data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. In his te exerce. Miror igitur non pudere Lutherum, quum negat sacramentũ ordinis, haud ignarus in manibus omnium versari verba Pauli, quæ doceant non nisi a sacerdote fieri sacerdotem, nec sine

*Sacerdotes non nisi ab episcopis fieri.*

*In sacramẽto ordinis cõferri gratiam.*

*Quantum deliranit Lutherus.*

sine consecratione fieri: in qua & signum adhibeatur corporeum, & tantum spiritalis infundatur gratiæ, vt is qui cõsecratur, non solum accipiat ipse spiritum sanctum, sed etiam potestatem conferendi aliis. Nouum vero quî potest esse, quanquam id Lutherus ait, de quo scribit apostolus? Quomodo ignoratum ecclesiæ, quod in omnibus Christi legitur & nunquam non legebatur ecclesiis? Quibus ex rebus manifestum est, è tam multis quæ tanta cum confidentia pro compertissimis Lutherus eblaterauit in ordinem, ne vnam quidem syllabam fuisse veram, sed per malitiam ficta falsaque omnia.

## DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

IN sacramẽto extremæ vnctionis Lutherus bis ipse ridendus, bis irridet ecclesiam. Primùm, quòd theologi, vt ait, hanc vnctionẽ appellent sacramentum: quasi soli hoc dicant ij quos ille vocat theologos. Deinde, quòd appellent extremam. Et quod ad secundum pertinet, obiicit sibi tanquam

ioco, quod nunquam soluet serio. Nam & ideo quoque verè dici potest extrema, quòd extrema sit e quatuor. Postea, vt doceat non esse sacramentum, obiicit sibi primũ id, quod neminẽ videt nõ obiecturum, apostoli Iacobi verba: Si infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes oleo in nomine domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus: & si in peccatis sit, remittẽtur ei. Hęc verba, quæ ex ipsius etiam finitione apertissime declarant hanc vnctionem sacramentum esse, quæ neque signo careat visibili, nec promissione gratiæ, protinꝰ incipit Phormiana confidentia, tanquam nihil haberent vigoris, eludere. Ego autem dico (inquit) si vspiã deliratũ est, hoc loco præcipuè deliratũ est. At ego contrà non verebor dicere, quòd si vspiã delirat Lutherus, qui ferè delirat vbique, hic in sacramento vnctionis extremæ ad extremã vsque delirat amentiam. Omitto, inquit, quòd hanc epistolam non esse apostoli Iacobi, nec apostolico spiritu dignam, multi valde probabiliter asserãt, licet cõsuetudine authoritatem, cuiuscunque sit,

*Iaco. 5.*

*Lutherus.*

*Author.*

*Lutherus.*

obtinuerit. Tamen, inquit, si esset apostoli Iacobi, dicerem non licere apostolum sua authoritate sacramentum instituere, id est diuinam promissionem cum adiuncto signo dare. hoc ad Christum solum pertinebat. Sic Paulus sese accepisse a domino dicit sacramentum eucharistiæ, & missum non vt baptizet, sed vt euangelizet. Nusquam autem legitur in euangelio vnctionis istius extremæ sacramentū.

His verbis videtis vt apostoli verba duobus modis eneruare conatur. Primū, quòd epistola non sit apostoli, deinde quòd etiam si sit apostoli, tamen apostolus authoritatem non habeat instituendi sacramenta. Hæc duo quanquam proponat paucis, ac statim ad alia transiliat, tamen præcipua tela sunt quibus instituit hoc sacramentum perimere. Nam cætera quæ dicit omnia, nugamenta sunt, ridendi occasionem captantia, tanquam ecclesia non recte sacramentum obseruet. Sed hæc duo vnum tangunt. Nam si epistola non apostoli sit, nec apostolico spiritu digna, aut si apostolo tradente vnctionem hanc pro sacramento, tamen nihilo magis probetur sacramentum, consequeretur

omnino, vt hæc verba nihil efficerent. Si dixisset olim fuisse dubitatum cuius illa fuerit epistola, dixisset vere. neque enim temere quicquam recepit ecclesia, omnia diligenter excussit: idque ipsum facit, vt certiora deberent haberi omnia quæ receperit, etiam si duntaxat humana prudentia regeretur ecclesia. Verùm quum dicat multos asserere hanc epistolã non solum nõ esse apostoli, sed esse præterea indignã apostolico spiritu, atque istud non asserere solùm, sed asserere etiam probabiliter: probabile est illũ istud probare non posse. Alioqui proferat è multis aliquos, qui si ex ecclesia sunt, neque tã multi sunt opinor, neque tã magni, vt pondus obtinere mereãtur aduersus reliquos omnes. Adhuc produxit nullũ. Ego producã vnũ, qui sufficere debet aduersus multos, beatum Hieronymũ, quo neq; doctior quisquã fuit in scripturis sacris, neq; qui veras ac germanas exactiore censura distinxit a dubiis. Is igitur quũ aliquãdiu de epistola Pauli dubitasset, sed tũc dubitasset, quũ res adhuc non esset tã pleno ecclesiæ cõsensu firmata, Iacobi tamẽ quę vocatur epistola, ipsius esse sine vlla dubitatione

*Iacobi epistola asseritur authore Hieronymo.*

pronũciat. Nã hũc in modũ ſcribit: Iacobus, Petrus, Iudas, & Ioãnes, ſeptẽ epiſtolas ediderũt, tã myſticas quã ſuccinctas, & breues pariter & lõgas: breues in verbis, lõgas in ſentẽtiis: vt rar⁹ ſit, qui nõ in earũ cęcutiat lectione. Idẽ in prologo in ſeptẽ epiſtolas canonicas, ſic ait: Eſt em̃ prima earum vna Iacobi, duæ Petri, tres Ioannis, vna Iudæ. Videtis vt beatus Hieronymus idẽ iudiciũ de Iacobi profert epiſtola, quod de Petri, nec putat indignã apoſtolico ſpiritu. Certe ſi rationes attuliſſet Lutherus, quare epiſtola nõ eſſet Iacobi, ſed tamẽ alterius cuiuſpiã, qui eodẽ loqueretur ſpiritu, potuiſſet vtcũq; ferri. Nunc vero dicit eſſe ꝓbabile, ideo nõ eſſe, quòd ſit indigna ſpiritu apoſtolico. Qua in re non aliũ obiiciã Luthero, quàm Lutherũ ipſum. neque enim Luthero quiſquã aut ſæpius ferme cõtradicit, aut validius, quã Lutherus. Is igitur in ſacramento ordinis ait eccleſiam hoc habere datum, vt poſſit diſcernere verba dei à verbis hominũ. Quomodo ergo nunc dicit epiſtolã apoſtolico ſpiritu indignã eſſe, quam eccleſia cuius iudiciũ, vt ait, hac in re falli nõ poteſt, apoſtolico ſpiritu iudicauit plenam?

*Iacobi epiſtolam Luthero non eſſe dignã ſpiritu apoſtolico.*

*Lutherus ſuo ipſius perfoſſus.*

Quamobrem nunc ita se sua sapientia cõstrinxit vndique, vt aut necessariò comprobet epistolam esse apostoli, cuius contrarium dixit esse probabile: aut dicat ecclesiam in scriptura sacra posse diiudicanda falli, quod eam posse negauerat. Quod si dicat velut apostolico dignum spiritu comprobasse quod apostolico spiritu sit indignum, blasphemus est in ecclesiam. Si fatetur apostolũ scripsisse quod apostolo sit indignũ, blasphemus est in apostolum.

Satis igitur illud confutauimus, immo semet satis confutauit ipse, quòd epistolam negauit aut esse apostoli, aut dignam apostolico spiritu. Veniamus nunc ad id, in quo, vt fortem virum decet, aperte oppugnat apostolum, dicens, etiam si sit apostoli Iacobi, tamen non licere apostolo sua authoritate sacramentum instituere, id est diuinam promissionem cum adiuncto signo dare. Hoc enim pertinet (inquit) ad solum Christum. O nostri seculi magnam fœlicitatem, quo nouus iste gentium doctor exort⁹ est Lutherus, qui hoc sibi arrogans, tanquam Pauli sequeretur exemplum, in facie resistat apostolo, quòd non recta via ingrediatur ad euangelium

Christi, sed (quod plus est quàm si gentes doceat iudaizare) arroget sibi facultatem promittendi gratiam, & sacramenta condendi, hoc est, quòd vsurpet sibi potestatem Christi, ad modum superbientis & præuaricantis angeli, qui dixit, Ponam solium meum ad aquilonem, & ero similis altissimo. Non est nunc quòd ægre ferat pontifex ab illo reprehendi, qui de tam atroce crimine reprehendit apostolum. Nam quum certum sit epistolam esse apostoli, quid aliud, quàm manifeste dicit apostolum sine authoritate, & contra fas instituere sacramentum? Immo quum neget epistolam illius esse, tamen ne abstineret contumelia, dicit id se dicturum etiam si esset apostoli. Ego certe, etsi nonnullis visum sit, apostolis non sine spiritu sancto, quem deus in Pentecoste misit, rationem traditam esse cõdendi sacramenti, de quo spiritu Christus prædixerat, Spiritus sanctus quem ego mittam, ille vos docebit omnia: tamen in præsenti non disputabo vtrum apostolus authoritatem habeat instituendi sacramenti, quippe quod nunc disputari non opus est: sed quum plane cõstet apostolum vnctionẽ istam pro sacra-

*Esaiæ.14.*

*Ioan.14.*

mento tradere,nõ dubito vere sacramentum esse,& apostolum non fuisse tam impie arrogantem,vt pro sacramento traderet populo,quod sacramentum non esset: sed si condendi sacramenti potestatem nõ habuit, verbis illis id tradidisse populo, quod ipse acceperat à Christo, qui vt alia mũdo volebat innotescere per Matthæũ, alia per Lucam,per Ioannẽ alia,alia præterea per apostolum Paulum, cur fieri nõ posit, vt quædam etiam doceri voluerit per apostolum Iacobum?

Lutherus postquã se tam strenuè quàm videtis,gesit aduersus apostolum,iam totum se conuertit ad ridendum ecclesiam, quæ verbis apostoli,vt dicit Lutherus,abutitur,quòd nõ ministret nisi ad mortem vsque ægrotanti, quum Iacobus dicat: Si quis infirmatur,non si quis moriatur:quasi ideo peccet ecclesia, quòd rem tantam, quanta est sacramentum,non adhibeat temere in qualibet leui febricula, quam aliquis nimium fortasse potando contraxerit,neque in eo morbo, qui vel dormiendo paululum vel abstinendo curari possit,ecclesia per sacramentum velit efflagitare miraculum. Ne dubitari possit,etiam

si duntaxat infirmum scripserit Iacobus, sensisse tamen haud ægrotantem leuiter, sed eo morbo vexatũ, cuius depulsio posset ostendere, si sanaretur, sanatum sacramento: orationes omnes quæ dicuntur super infirmũ, (quas nemo dubitat esse vetustissimas, non nouum inuentum eorum quos iste vocat theologos) ostendunt nõ adhibendum hoc sacramentum nisi in laborante grauiter: & tamen vt non promittunt certam salutem corporis, ita non desperant salutem, nec veniunt (quòd Lutherus ait) tanquam ad eos qui iam tum sint omnino morituri. Frustra enim tot orationibus orarent salutem, si certò sibi sponderent mortem. Non igitur id agit ecclesia (quod inepte cauillatur iste) vt sit extrema vnctio, licet vocetur extrema, sed agit vt non sit extrema, sed conualescat ægrotus. Quòd si nolit eum deus conualescere, id tamen non euacuat vim ac virtutem sacramenti, cuius præcipua cura non in corpus fertur, sed animá. Nam ratio illa Lutheri de efficacia signi, nihil omnino rationis habet, aut efficaciæ. Si vnctio ista sacramentum est, inquit, debet sine dubio esse, vt dicunt, efficax signum

*Consentaneũ est non id voluisse Iacobũ, vt in leui quolibet morbo vngeretur infirmus.*

*Ratio Lutheri.*

eius quod signat & promittit. At sanitatem & restitutionem infirmi promittit, vt stant aperta verba, Oratio fidei saluabit infirmũ, & alleuiabit eum dominus. Quis autem non videt hanc promissionem in paucis impleri? Quid ergo dicemus? (inquit) aut apostolus hac promissione mentitur, aut vnctio ista sacramentũ non erit. Promissio enim sacramentalis certa est: at hæc maiore parte fallit. Vel ex hoc argumento patere potest, nihil curare Lutherum, quàm apertas afferat calumnias, modò specie aliqua veritatis imponere possit incautis: quẽ non pudet ea contra theologos afferre, quasi ab ipsis dicta, quæ nusquam dicunt. Sacramentum (inquit) vt dicunt, est efficax signum eius quod promittit: at hoc sacramentum sanitatem corporis non efficit, quam promittit. Theologi non istud dicunt, sed quòd est efficax signũ gratiæ. sic enim definiũt, Sacramentũ est visibile signum inuisibilis gratiæ. non dicunt salutis corporeæ, quæ dari possit & sine gratia. Quamobrem, quod ait consequi, vt si hæc vnctio sacramentum esset, apostolus mentiretur: Lutherus ipse mentitur. Nam sacramentum quatenus sacra-

*Cõfutatur ratio Lutheri.*

mentum est, nõ salutem promittit corporis, sed animæ, per signa corporea. Alioqui Lutherus nihilominus eodem concludit mendacio non apostolum solum, sed etiam Christum ipsum, quanquam vnctio non esset sacramentũ. Debent enim verba & promissiones etiam extra sacramenta veraces esse. Igitur quum apostolus dicat sanandum per vnctionem & orationem, eum qui infirmus est, & Christus signa illa secutura credẽtes, vt super ægros manus imponerẽt, & bene haberent: quis non videt, hæc sic interdum fieri, vt tamẽ non fiãt semper? Neque tamen falsos esse qui promiserint, quum eos nemo dubitet corporalia quibuscũque verbis promiserint, nunquam promisisse perpetua, quum corpus in quo fieri deberent, perpetuum esse nõ possit. Spiritalia verò, quia sua natura spiritus æternùm victus est, perpetuò consecutura pollicẽtur. Nam Lutheri sententia, quæ à Theologis exigit, vt si sacramentum sit vnctio, semper sanet, ne sit signum inefficax: eò tendit, vt sacramentum esse non possit, nisi reddat corpus immortale, quod ipse tamen fieri posse promittit per orationem factam à bonis viris ni-

*Lutheri verba.*

*Lutheriana vnctio hoīes reddit immortales.*

*Lutheri fides.*

hil hæsitante fide. Nam prorsus dubium non esse dicit, hodie quoq; sic sanari posse quotquot vellemus. Hoc si dicit verū, talis fides qualis est illius, hominem seruare potest immortalem. Nam quū ista fieri possint per fidem, nō solum interdum, sed (quod Lutherus ait) perpetuo (modò sit fides indubia, quæ nihil hæsitet) credibile est fidem istam, si cuiquam alteri, potissimum contigisse Luthero, homini sic in fidem propenso, vt fidei fauore bonis operibus multis in locis propemodum indicat bellum. Homini præterea, cui nūc tot & tanta mysteria reuelauit deus, & qui nouam condit ecclesiā, quam in rem opus est & miraculis. Igitur verisimile est, quicquid fieri per fidem potest, abunde Luthe rum facere. Demiror igitur, si vera dicit, ipsum non curare quoscunque moriētes. Et quotidie auscultamus rumores è Germania, qui referant resuscitatos etiam sepultos: quum interim semper audimus nō modò sanatum nullum, sed etiā per illius quosdam satellites, occisos & crudeliter trucidatos eius causa bonos & innocentes sacerdotes, vt exemplo doceret ordinem nihil esse, figmētum esse characterem, me-

ticulosum fuisse Dauidē, quem pœnituerit tetigisse Christum domini.

Hæ sunt Lutheri sanationes, quas nihil vacillās eius fides operatur absque bonis operibus. Nam quòd occidit, non sanat, inde planè accidit, quòd vt Lutherus ait, oratio non tantum cum fide facienda est, sed etiam à bono viro. quæ res Lutherū, qui vir bonus non est, ne quēquam sanet, impedit. Vnctio hæc sacramentum non est, quia non semper sanat corpus. Lutherus vir sacer est, per quē & corp⁹, vt ferūt, occiditur, & certe occiduntur animæ. Iacobus Apostolus nihil dignū scribit apostolico spiritu, Lutherus apostolico spiritu digna scribit omnia, & quę sint indigna discernit, idq; contra totam ecclesiā, quam in talium discretione scripturarū falli fassus est ipse non posse. Qua in re, quū epistolam Iacobi legerē, atque ibi tam multa conspicerem apostolico digna spiritu, vehementer admiratus sum, quid in mētem venerit Luthero, vt gaudiū in tentationibus, patientiam in aduersis, à deo petendā sapientiam, in deo fiducia nihil hæsitante sperandū, & huiusmodi multa (nam talia sunt, quæ tota leguntur epistola) miratus

*Luther⁹ & corporū & animarum occisor.*

*Iacobi epistola quàm sancta ac grauis sit, dignaque apostolico spiritu.*

inquam sum, cur Lutherus putarit indigna quæ scriberentur ab Apostolo. An illa potius scribere debebat Apostolus, populo nihil esse fructus in missa, & ordine inane figmentum esse, & alia quæ Lutherus scribit huiusmodi: quæ quanquam sint omnia dignissima spiritu apostatico, tamen contemnere non debet, si minora scribat minores apostoli. Atqui licet aliquandiu (quod dixi) miratus sum, cur Luthero displiceat epistola Iacobi, tamen vbi legi sæpius, & oculos intendi pressius, desij profecto mirari. Nam ea scribit Apostolus, vt plane videri possit ꝓphetico spiritu prænouisse Lutherum: ita virũ vndique pungit ad viuum. Nam quum Lutherus fidei prætextu contemnat opera, Iacobus ediuerso disputat, ratione, scripturis, exẽplis, fidem sine operibus mortuã esse. Prꝛterea garrulam istam Lutheri petulantiam, non vno loco verbis inuadit acerrimis. Si quis (inquit) putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Accedit ad hæc, quòd in suam linguã Lutherus aptissime videt competere, quod illic frendit legens: Lingua inquietum malum, plena

*Lutherus contrà digna scribit apostatico spiritu.*

*Lutherus cur tã infensus sit epistolæ Iacobi.*

*Iacob. 1.*

*Iacob. 3.*

veneno mortifero. Denique sentit in sua dogmata verissime dici, quæ de contentiosis hunc in modum scribit pluribus ibi verbis Apostolus: Quis sapiens & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatẽ. Non est enim ista sapientia desursum descendens à patre luminũ, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi incõstantia, & omne opus prauum. Quę autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis cõsentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, iudicans sine simulatione. Fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem. *Ibidem.*

Hæc sunt, lector, quæ Lutherum commouent vt ei non placeat apostolus. Hæc inquam sunt quibus Apostolus aperte Lutherum ac Lutheri petulantiam, maledicentiam, impia & contentiosa dogmata, non secus ac si vidisset virum, & verba legisset, attingit. Cuius epistolam, quãtum-

uis eam contemnat Lutherus, non dubito satis approbare Christianis omnibus, vnctionis extremæ sacramentum, nec tam potentem fore Lutherum, vt vllum sacramentum possit euertere, quod in salutem fidelium fides recepit ecclesiæ, aduersus quam nec portæ prævalebunt inferorum, nedum fraterculus vnus inferni fuliginosum posticum.

*Peroratio.* FEcimus hoc libello tibi lector, vt spero, perspicuũ, quàm absurde Lutherus & impie tractarit sacramẽta. Nam etsi nõ attigimus omnia quę liber ipsius cõtinet, tamẽ quod attinet ad tuenda sacramenta ipsa (neque enim aliud erat institutũ meũ) tractasse rem videor si non quàm multa fieri potuit, certe pluribus ferme quàm necesse fuit: tantum abest vt oporteat immorari diutius. Alioqui & rationibus, & legibus, & doctorũ sentẽtiis, & scripturis ipsis non fuisset difficile rem locupletare cumulatius, nisi & erga Lutherum frustra feciſſemus, & erga cæteros superuacue. Nam si Lutherum docendo conemur immutare, citius & nigrorẽ Aethiops, & varietatem pardus immutabit. Sin aliis ostẽdere, quàm falso & quàm maligne sentiat,

*Authoris institutũ.*

ne qui

ne quis ita fallatur, vt de illo sentiat bene, passim doctissimos viros esse non dubito, qui vel tacentibus nobis id multo clarius perpendant, quàm ipse queam ostendere: & si qui sint qui alienam in id operam desiderant, his abunde iam nunc opinor ostendisse me. quum enim ex his quæ disseruimus, inclarescat omnibus, quàm sacrilega statuat dogmata de sacramento illo quod ipsius Christi corpus est, è quo sacramenta reliqua quicquid habent sacri promanat, quis dubitare potuisset, etiam si nihil adiecissem amplius, quàm indignis ille modis tractare cætera sacramẽta non dubitet? Quæ sicut videtis, tractauit sic, vt prẽter baptismum vnum, & illum quoque malè vexatum, & omni priuatum gratia, nec in aliud relictum, quàm in contumeliam pœnitentiæ, tollat prorsus atque euertat omnia, in aliis signum negans, in aliis rem inficians: nec in tanta re probat quicquam, nec affert aliquid, quo confirmet sua, sat habẽs negare tantùm quicquid recepit ecclesia. Quicquid creditur ab omnibus, ratione futili solus eludit, ac se denunciat nihil admissurum præter claras & euidentes scripturas. Quas ipsas ta-

*Lutherus reliquit baptismum in contumeliam pœnitentiæ.*

*Qualis in disputando Lutherus.*

men si quis asserat, vel aliquo repellit cõmento, vel authoris esse cuius feruntur negat. Doctorũ verò nemo tam vetus est, nemo tã sanctus, nemo tãtę auctoritatis in tractatu sacrarũ literarũ, quẽ nõ iste nouus doctorculꝰ, sanctulus, & eruditulꝰ magna cum authoritate reiiciat. Quamobrẽ quũ Lutherus omnes contemnat, & credat nemini, debet non indignari si nemo vicissim credat illi. Cum quo tantum abest vt disputem pluribus, vt propemodum pigeat disputasse tã multis. Quid enim prodest amplius cum illo differere, qui cæteris dissentit omnibus, & non consentit sibi? qui quod alibi negat, alibi dicit: quod dicit, id rursum negat. Qui si fidem obiicias, ratione dimicat: si ratione ferias, prętendit fidem. Si philosophos alleges, appellat scripturam: si scripturam proponas, nugatur sophismate. Quem neque pudet quicquam, neque timet quenquam, neq; legem putat tenere se vllam. Qui veteres ecclesię doctores contẽnit, nouos è sublimi deridet. Summum ecclesiæ pontificem insectatur conuiciis. Ecclesiæ consuetudines, dogmata, mores, leges, decreta, fidem, ecclesiam denique ipsam adeo floc-

*Lutherus Proteus.*

cifacit vniuersam, vt nec esse ferè fateatur vllam, nisi fors ecclesiam illam, quam facit ipse duorum vel trium hæreticorũ, quorum sit ipse caput. Quamobrem quum sit eiusmodi, vt nihil statuat principij, quod certum sit ac solidum, quod ei cum disputante conueniat, sed sibi liberum relinqui postulet, vt quicquid libet, quando libet, quoties libet, id illi liceat & asserere vicissim, & negare, quum neque ratione sese, neque scriptura, neque moribus, neque legibus, neque authoritate demum vel humana vel diuina patiatur adstringi, non constitui cum eo differendum amplius, nec aduersus eas hæreses quæ nulla ratione firmantur, operosa ratione pugnandum, sed admonendos potius Christianos omnes, vt tanquam teterrimam pestem deuitent illum, qui tam fœda portenta, ipsissima Antichristi dogmata, in ecclesiam Christi conatur inuehere. Nam si omni modo curãdum est vt extirpetur qui de quauis vna re schisma suscitare studuerit, quanto studio conniti decet, vt euellatur is qui non disidium modo pergit serere, & populum in pontificem, filios in parentem, Christianos in Christi vica-

*Petitiones Lutheri in disputãdo.*

*Lutherus cen pestis vitandus.*

*Lutheri stu dium.*

rium prouocare, totã denique ecclesiam Christi, quam ille moriens amore & charitate colligauit, tumultu, rixis, & contentione dissoluere, verumetiam quicquid est in ea sacrosanctum, execrabili mente, spurcissima lingua, scelerato contactu, rescindere, temerare, polluere? Qui si quam tamen de se salutis spem, si quod emendãdi sui signum daret, hortaretur omnes, vt hominis sic affecti curam susciperent, & in hoc incumberent, vt modis quàm possent optimis medicarẽtur, & sanitati mentis restitutum facerẽt, vt hæreses à se propositas reuocaret. Verùm adhuc profecto quæcunque solent ad mortem esse signa, omnia huic esse video. Quod vt censeam, non tam morbus eius, quantumuis letalis, me mouet, quàm ipse, quippe qui medicinam nullam, nullam prorsus manum medicãtis admittit. Quomodo enim curari potest, qui se tractari non patitur? Aut quomodo tractari potest, quẽ si quid doces, nugatur? Si quid mones, irascitur? Si quid hortaris, obnititur? Si quid placas, incenditur? Si quid aduersaris, insanit? Alioquin si curari potuisset, quid omisit pientissimus Christi vicarius, quo pasto-

*Lutherus insanabilis.*

*Pia cura*

ris sui secutus exemplum, ouem hanc errantem quæreret, inueniret, in humeros tolleret, ac reportaret in stabulum? Sed heu lupus Auerni pessimus anteceperat, deuorauerat, atque in imum ventrem demiserat, vbi semiuiuus adhuc in morte iacens, aduersus inclamantem se pastorem pium, & perditionem eius deplorantem, è spurco Tartarei lupi rictu fœdos illos latratus eructat, quos totius gregis aures auersantur, abominantur, exhorrent. Nam primùm, nihil omnino lacessitus, articulos proposuit de indulgentiis, quibus prętextu pietatis impiè traduceret summum pontificem. Deinde, vt per honoris eum & officij speciem maiore contumelia perfunderet, eos transmisit Romam, tanquam pontificis iudicio submittẽs, sed auctos antè declarationibus multo quàm essent ipsi, deterioribus: vt planè liqueret omnibus, pontificem nõ à viro bono pióque consuli, sed à fraterculo nebulone rideri, tanquam ita stupidum, vt pro honore duceret insignem, & nullius vnquam exempli contumeliam, barbámque (quod aiunt) vellendam præberet irrisori. Si nihil mali commerebatur pontifex, cur fi-

*põtificis erga Lutherum.*

*Quæ via grassatur Lutherus.*

lius degener immerentem patrem falsa cõ sperſit infamia? At ſi quid Romæ fiebat, quod oporteret immutari, tamen ſi fuiſſet Lutherus (quod haberi volebat) probus, & Chriſtianæ rei ſtudioſus, non præpoſuiſſet priuatam gloriam ſuam publico omnium commodo, nec ſcurrandi famam ſibi venatus eſſet apud improbos, dormientis pudenda parentis irridens, & reuelata commonſtrans digito, ſed auerſus contexiſſet potius, & vel coràm vel per epiſtolam ſecretius reuerenter admonuiſſet, Apoſtoli præceptum ſecutus, qui iubet vt maiores nõ rideamus, non obiurgemus, ſed obſecremus. Quod ſi feciſſet Lutherus, haud dubito quin beatiſsimus pontifex (tanta eſt eius nulli non explorata benignitas) expergefactus benedixiſſet filio ſuo Iaphet, & pietatis retuliſſet gratiam, non maledixiſſet iratus, qui ne ſic quidem adhuc maledixit illudenti, ſed miſertus miſeri, magiſque filij memor, quàm irriſoris, egit cum eo per viros honoratiſsimos, in quorum illo conſpectum prodire non erat dignus, vt ab iniquitate deſiſteret. Cui tam pio ac ſa-

*Gene. 9.*

*1. Timot. 5.*

lubri consilio tantum abfuit vt paruerit, vt non solum deriserit legatum de ipsius salute solicitum, sed etiam nouum librum ederet euestigio, in quo pontificis potestatem machinabatur euertere. Vocatus deinde Romam, vt vel scriptorum caussam redderet, vel temere scripta recantaret, quauis oblita securitate non subeundi supplicij quod meruerat, oblato quod in rem satis esset viatico, tamen vt insignem declararet obedientis viri modestiam, venire contempsit fraterculus ad pontificem, nisi regio instructus apparatu, & bellico stipatus exercitu. Sed homo cautus appellauit ad generale concilium, nec tamen quodlibet, sed quod proxime cõgregaretur in spiritu sancto, vt in quocunque damnaretur, ibi negaret esse spiritum sanctum, quem homo sanctus & spiritalis nusquam fatetur esse nisi in sinu suo. Quamobrem iterum atque iterum admonitus, vt ab impietate resipisceret, quum iterum atque iterum impietatem ad impietatem adiiceret, adactus est tandem pientissimus pastor, ouem immedicabili scabie laborantem, (ne sanas attan-

*Friuola appellatio Lutheri ad cõcilium.*

*Tandẽ eiecto Luthero immedicabili, reliquo gregi pspicis pia pastor.*

ctu corrumperet) ex ouili procul eiicere,
2. Reg. 18. & filij sui Absalonis, (cuius vitam seruare non poterat) mortem deplorare, dum ab arbore pendentem conspicit decora cæsarie, qua stulte superbierat. Lutherus ergo sentiens eiectum se è societate fidelium, facere cœpit quod deplorati solent impij, qui quum in profundum venerint, contemnunt. Non ingemuit, non plan-
Luc. 10. xit casum suum, quo sicut Lucifer exaltatus, sicut fulgur corruerat & allisus est, sed imitatus diaboli desperationem, diabolus etiam ipse, hoc est calumniator effectus, aduersus pontificem in blasphemias & calumnias cœpit erumpere, & reliquis inuidens fidelibus, velut serpens antiquus, infidelitatis laqueos tendere, vt
Gene. 3. eos è vetito scientiæ noxiæ ligno gustantes, ex ecclesiæ paradiso (vnde ipse deciderat) procuraret expelli in terram germinãtem spinas & tribulos. Ego profecto tantam hominis dementiam, & miserrimum casum perquam moleste fero, cupioque vt vel adhuc (inspirante gratiam deo) resipiscat tandem, conuertaturque & viuat. nec id tam ipsius caussa cupio,

(quanquam ipsius etiam, vt qui omnes cupiam saluos, si possit fieri) quàm vt aliquando conuersus, ac velut filius prodigus reuersus ad misericordiam tam benigni patris, & errorem suum cõfessus, in viã reuocet si quos effecit errare. Cæterũ si is tam profunde se demersit, vt iam super eum puteus impietatis ac desperationis vrgeat os suum, blateret, blasphemet, calumnietur, insaniat, vt qui sordet, sordescat adhuc. Cæteros vero Christianos omnes obsecro, & per CHRISTI viscera (cuius fidem profitemur) obtestor, vt ab impiis verbis auertant aures, neque schismata foueant & discordias, hoc præsertim tempore, in quo maxime oportebat aduersus hostes CHRISTI Christianos esse concordes. Neque aduersus CHRISTI vicariũ probris & detractionibus auscultent, quas in pontificem fraterculi furor eructat: neque sacrata CHRISTO pectora hæresibus impiis contaminent: quas si semiat, charitate vacat, gloria turget, ratione friget, feruet inuidia. Denique quibus animis aduersus Turcas, aduersus Sa-

*Lucæ.15.*

*Psal.68.*

*Apoca.22.*

*Regis exhortatio ad omnes Christianos.*

racenos, aduersus quicquid est vspiam infideliū consisterent, iisdem animis consistant aduersus vnum istum viribus imbecillum, sed animo Turcis omnibus, omnibus Saracenis, omnibus vsquam infidelibus nocentiorem fraterculum.

FINIS.

## Chalcographus Lectori.

*AD hanc assertionem Lutherus Regi respondit contumeliosissimè: cuius tamen responsionis aut verè pœnitens, prudénsque, aut certè simulans, vt homo erat ad omnem dolum instructus, hanc epistolam ipsi, siue reconciliandi eius ergô, siue magis irritandi, submisit.*

# INVICTISSIMO, ILlustrissimóque Principi, domino, domino Henrico VIII. Regi Angliæ, domino suo clementissimo. M. L.

GRatiam, & pacem in Christo Iesu domino ac saluatore nostro. amen. Quanquam veri meritò debuerim, sereniss*i*me Rex, illustriss*i*méque princeps, literis maiestatem tuam tentare, vt qui mihi conscius maxime sum grauissime offensam esse maiestatem tuam libello meo, quem non meo genio, sed incitantibus his, qui maiestati tuæ parum fauebant, stultus & præceps edidi: tamen spem, & ausum mihi facit non modò regia illa tua clementia sic mihi literis & verbis in dies cantata à quàm plurimis, vt cum mortalem sese nouerit, immortales inimicitias seruaturam esse non credam: verum etiam quòd fide dignis testibus didici, libellum sub maiestatis tuæ nomine in me editum, nõ esse regis Angliæ, vt videri volebant subdoli sophistæ, qui maiestatis tuæ titulo abusi, non senserũt quantum sibi ipsis periculum in regia ignominia pararent: præsertim illud monstrum, & publicum odium dei & hominũ Cardinalis Ebo-

*Se stultum & præcipitẽ vere fatetur hæreticorũ princeps.*

*Mẽtiri Lutherũ Rex infra asserit.*

*Scilicet sic à Paulo edoctus scribit.*

racensis, pestis illa regni tui, ita vt vehementer nunc pudefactus, metuam oculos coram maiestate tua leuare, qui passus sim leuitate ista me moueri in talem tantúmque regem per malignos illos operarios, præsertim cum sim fex, & vermis, quem solo contemptu oportuit victum, aut neglectum esse. Accedit ad hæc, quod me serio compulit, quãtumuis abiectũ, scribere, maiestatem tuã cœpisse fauere euangelio, & non parum tædere istius generis hominum perditorum. hoc sane nuncium fuit vere Euangelium, id est lætum nuncium cordi meo. Quare his literis prosterno me pedibus maiestatis tuæ quantum possum humillime: & per Christi crucem & gloriam oro & obsecro, maiestas tua dignetur sese submittere, & veniam donare in quibuscunque maiestatem tuam læsi, sicut Christus orauit, & dimittere debita nos quoque inuicẽ iussit. Deinde si maiestati tuæ non videbitur contemnendũ, vt alio libello publico palinodiam cantẽ, & nomen maiestatis tuæ rursus honorem, det mihi clementem aliquam significationem: tum in me mora non erit vlla, faciam illud libentissime. Quamuis enim sim homo nihili ad tuã celsitudinem comparatus, tamen non parum fructus euangelio, & gloriæ dei hinc sperare licebit, si mihi ad regem Angliæ scribendi de euangelii

*O pudentiã & modestiam Lutheri.*

*Noua in Luthero humilitas.*

*Non eget rex tali honoris sui auctore.*

*Aduerte lector quid his rex responderit.*

causa, fuerit copia facta. Interim maiestatem tuam (vt cœpit) dominus augeat, vt pleno spiritu & obediat & faueat euangelio, nec sinat aures regias & animum occupari pestilentibus Sirenum vocibus, quæ nihil nisi hæreticum Lutherum vociferari norunt. Tua vero maiestas apud sese cogitet, quidnam mali possim docere, qui aliud nihil doceam, quàm fide Iesu Christi filii dei pro nobis passi, & suscitati, saluos fieri oportere, sicut testantur euangelia, & epistolæ apostolorum. Hoc enim est caput & fundamentum doctrinæ meæ, super quod postea ædifico, & doceo charitatem erga proximum, obedietiam erga politicos magistratus, tum crucifixionem corporis peccati, vt itidem præscribit christiana doctrina. Quid in his capitibus doctrinarum mali est? Expectetur tamen, audiatur, & iudicetur primum. Cur damnor neque auditus, neque conuictus? Porro quòd abusum & tyrannidem pōtificum taxo, qui alia quàm ista prædicta capita, immo contraria docent, interim censibus, pōpa, ventribus, immo regnis, & principatibus, omniúmque opibus inhiantes, nónne idipsum & vulgus sentit, & damnat, atque ipsimet coguntur confiteri? Cur non emēdant sese, & recta docent, si odio & correptione liberi esse volunt? Videt sane maiestas tua serenissima quanti prin-

*Hoc quàm verum sit, considera.*

*Quin tu id facis, qui sic inbes.*

cipes in Germania, quot politiæ, deinde quot viri sapientissimi mecum faciant, & (deo gratia) indemnatum cupiant. Quorum numero vtinam Christus maiestatem tuam adscribat, & abistis animarum tyrannis separet. Quid mirum vero, si Cæsar, & aliquot principes in me sæuiunt? Nónne vt Psalm. 2. dicit: Aduersus dominum, & Christum suum fremunt gentes, meditantur populi, conspirant reges terræ, & conueniunt principes? vt mirãdum potius sit, si aliquis principum ac regum euangelio faueat. Huic miraculo in maiestate tua, quàm opto ex totis medullis aliquando gratulari. Et ipse dominus (quo præsente & volente hæc scribo) cooperetur verbis meis, vt rex Angliæ breui fiat perfectus discipulus Christi, euangeliique professor, tum Lutheri clementissimus dominus. amen. Respõsum (si visum fuerit maiestati tuæ) expecto clemens & benignum.

*At id iam olim facit princeps iste.*

*Hinc videlicet illæ lachrymæ.*

Vuittembergæ prima Septembris anno domini M. D. XXV.

Regiæ maiestati tuæ subiectissimus Martinus Lutherus manu propria.

# CHALCOGRAPHVS PIO LECTORI.

Si catholicus es, lector, minimè profectò tibi displicere poterit hæc responsio regis Angliæ ad prædictam Lutheri epistolam, cum tantam præ se ferat vbique honestatem, eruditionémque ac pietatem. Sin vero Lutheranus, displicebit forsitan sic depingi tibi Lutherum. Cõsidera tamen paulisper, dum priorem legis Lutheri epistolam, an deceat eum qui haberi vult euangelista, propheta, ecclesiastes, vir dei, apostolus Germaniæ, tanta vti leuitate vt & seipsum leuitatis condemnet aduersario: & quod prius maximè seriò scripsit, tantáque cum certitudine (si ipsi credas) asseruit, vt totũ illud se de cœlo habere iactitauerit, nunc muliebriter blandiendo ad emendicandam gratiam cum aduersario, quem tam ferociter ac superbè contra bonos mores atque adeò contra Euãgelicam charitatem, mansuetudinem ac modestiam insectatus fuerat, reuocare, ac publico libello palinodiam cantare libenter vellet, modò id illi placiturum esse, vel leui indicio intelligat. Non curans quòd principes, & reliqui quos partium suarum esse gloriatur, dicturi sint quòd ipsos tam nequiter deceperit, ac summo

*nunc cum rubore eorum recantare velit, vt eis tandem idem reddat præmium, quod antea rusticis nequissimè seductis, ac miserè occisis, tradiderit.*

# INVICTISSIMI PRINcipis Henrici VIII. Regis Angliæ, ad Martini Lutheri epistolam responsio.

*Catalogus eorum quæ in epistola Lutheri ad regem continentur.*

QVas tu Luthere literas prima Septembris, anno domini M. D. XXV. datas, ad nos mittendas curasti, eas nescio vbinam terrarum diu peregrinatas, tandem aliquando accepimus. In his ais dolere puderéque te, quòd stultus, præcépsque librum in me tuum, non tuo quidem genio, sed incitantibus his, qui mihi parum fauebant, edidisti, quo te tibi scribis maxime conscium esse, quàm grauiter nos offenderis, atque ob id merito verendum tibi literis nos tentare. Sed animum tamen, ausúmque tibi factum scribis non solum, quòd me tam clementem intelligas, vt cum mortalem

me

me meminerim, inimicitias immortales nolim gerere, verùm etiam quòd fide dignis testibus didicisti, libellum meo nomine de sacramentis editum, non esse re vera meum, sicuti videri volebant subdoli (sic enim scribis) sophistæ, qui nostræ maiestatis abusi titulo, non satis senserint quantum sibi periculum in ignominia nostra pararent: præsertim Cardinalis Eboracensis, quem & mõstrum vocas, & odiũ publicum dei & hominum, & regni nostri pestem. Hac ergo de causa sic te pudefactum scribis, vt oculos in me leuare nõ audeas, qui per operarios illos iniquitatis passus sis in talem tantúmque regem tam leuiter te moueri. Cæterum subiungis id te tandem ad scribendum compulisse serio, quòd ego iam cœperim fauere euangelio: & tædium percepisse tandem istius generis hominũ perditorum, eorũ videlicet, qui sectæ aduersantur tuæ. eam rem vere euangelium esse scribis, nempe lætum nuncium cordi tuo: & perquam sancte precaris, vti sic me domin⁹ augeat, vt pleno spiritu obediam ac faueam euãgelio, nec mihi sinat aures, animúmque pestilentibus Sirenum vocibus occupari,

*Hoc est quid rem verã tacere non norunt.*

quæ nihil aliud possunt, quàm clamare Lutherum esse hæreticum. Post hæc hortaris, vt considerem nihil esse mali posse in doctrina tua, quippe qui nihil doceas aliud, quàm fide Iesu Christi filij dei passi pro nobis, & suscitati, saluos fieri oportere. Nam hoc esse caput & fundamentum doctrinæ tuæ, super quod ædificare te dicis charitatem erga proximos, & obedientiam erga politicos magistratus, tum crucifixionem corporis peccati deniq; in his audiri petis, admirans admodum damnari te, quum nec auditus nec conuictus sis. Ad hæc pro more tuo debaccharis in ecclesiã Romanam, iactãs interim Germaniæ multos principes à parte tua consistere: nec mirũ esse si te Cæsar & aliquot item principes persequantur, sed potius esse mirandum, si princeps aliquis vnus faueat euangelio, quum principes semper & populi Christo soleant obsistere. Tum vehemẽter optas huic aliquando miraculo in me gratulari, vt fiam perfectus Christi discipulus, euãgelisque professor, & fautoribus tuis adnumerer. Obsecras præterea, & per Christi crucem nos obtestaris, vt tibi cõdonemus, quòd tuus me libellus offende-

rit, pollicens vltro te (si mihi placiturum senseris) alium protinus editum contra, & in honorem meum, palinodiã scilicet esse cantaturum: asserens atque affirmãs, haud parum fructus euãgelio & gloriæ dei sperari posse, si tibi ad regem Angliæ scribẽdi de euangelij causa facta fuerit copia. *Pollicita Lutheri.*

Hæc sunt Luthere omnia, quæ tua cõtinebat epistola, ex quibus sicuti satis olfacimus non ea te sentire quæ scribis, sed perspectum habemus & cognitum, quò subdola tendat oratio, ita nos è diuerso morem secuti nostrum, ne quid technis huiusmodi simplicibus posis imponere, ad singula tibi decreuimus breuissime respondere.

Quòd ais libri te tui pudere, nescio quàm tu istud vere dicas, verùm hoc vnũ scio, satis esse causæ, cur debeat non illius modo libri pudere te, sed tuorum etiam ferme omnium, quippe qui nihil penè cõplectãtur aliud, quàm errores turpissimos & insanissimas hæreses, nec ratione suffultas, nec eruditione subnixas, sed quas asserit & obfirmat tantùm pertinax impudẽtia: dum tu tantus auctor haberi postulas, quantus nec hodie quisquam sit: nec ante- *Impudẽtia vnica ratio est Luthero probandi omnia.*

hac quisquam fuerit. Nec satis video, qui verum sit, vt ad edendum in me libellum tuum sis ab his incitatus, qui parum fauebant mihi, quum res ipsa doceat ab his incitatum potius, qui parum fauebant tibi: quippe quũ liber tuus sit eiusmodi, vt nec aliud quicquam quàm probrum conciliare possit auctori, & librum honestet meũ, cui tuus declarat ne verbum quidem sani capitis vllum reperisse te, quod aliquãdo posses opponere: quæ res satis (vt opinor) indicat, vter nostrum causam habeat melio-

*Rex priorẽ libellum à se editũ affirmat.*

rem. Iam quãtumuis te fingas credere, editum à me libellum, non esse meum, sed meo nomine subornatum à sophistis subdolis, tamen & meũ esse multi maiori fide digni, quàm sunt tua illi fide digni testes cognoscunt: & ego quanto tibi minus placet, tanto magis libenter agnosco. Nam quòd eum mihi scribis ignominiam parere, nemo certe non intelligit (quantumlibet tu dissimules) quàm ægre habet animum tuum, quòd libellus meus tanto bonorum & doctorum omnium cõsensu cõprobatus est, tũ eius sedis honorifico calculo, quæ vt tuas cõdemnauit hæreses, ita

*Romana sedes quantũ auctorita-*

sanctissimo viro Hieronymo tantæ fuit

auctoritatis, vt satis esse duceret, si suã illi sedi fidem approbaret. Quibus ego tamen honoribus nõ admodum certe glorior, vt qui meorum operum omniũ & soleam, & deum precor, idem vt perpetuo faciã, gloriam & honorem omnem deo acceptum ferre. Verùm hoc tamen me nonnihil (vt verum fatear) oblectat, quòd qualequale fuit opusculũ nostrum (neq; enim nescius sum imbecillitatis meæ) tua tamen causa tãto fuit imbecillior, vt libellus ille noster (quatenus se porrexit argumentum) non ea tantum omnia deterserit, quæ tu sordibus in sacrosancta sacramenta prius expueras, verum etiam quicquid furiosus euomuisti postea: & te adegit ad eius generis excogitandum librum, ex quo totus videret orbis, præ ira atque animi impotentia factũ te ex impio prorsus insanum, vtpote in quo non eruditionis modo atque ingenij, sed & honestatis omnis oblitus, nihil prorsus aliud attuleris, quàm loquacitatẽ stolidam, meretriciã maledicẽtiam, & plusquam scurrilem petulantiam, quum meus liber contra, non in ecclesiam solum (cuius tu fidem laborabas euertere) nostrum spirarit ofiicium: sed etiam

*tis habuit apud sanctum Hieronymum. Quàm Lutheri dissimilis est pius hic princeps.*

*Ira quò deduxit Lutherum.*

(supra quàm tua merebatur impietas) charitatem erga te, & emendandi tui potius quàm perdendi desiderium, idémque doctissimorum virorum iudicio, multiplices errores tuos & efficaci ratione reuicerit, & potentissimis scripturis, non illis quidem ex animi mei commẽto tractis in causæ commodum (quemadmodũ ipse soles vbique sacras literas ex libidine tua torquere) sed ad sanctissimorum patrum vetustissimas interpretationes expẽsis, & ad amussim congruentibus: ne quid in ea re nobis esset cum his commercij, quos tu sophistas soles appellare, qui tamen sunt viri re vera probi, & in primis docti, sed quos non in aliud sophistas vocas, quàm quòd efficaces eorum rationes, quibus tuas produnt & refellunt insanias, sophistices inuidia cupis degrauare.

*Nihil est hoc verius.*

*De reuerẽdissimo domino legato pulcherime respõdet pientissimus princeps.*

Iam quòd pestilenti lingua tam improbe scurraris in reuerẽdissimũ in Christo patrem Cardinalem Eboracensem primarium nostrum cõsiliarium, & Angliæ cancellarium, magis perspectam habeo singularem eius prudentiã, quàm vt eum quicquam commoueri credã scurrilibus eius linguæ conuiciis, quæ in totam scurratur

ecclesiam, quæ sanctissimos proscindit patres, quæ nullos non blasphemat diuos, quæ Christi contemnit apostolos, quæ sanctissimam Christi matrem inhonorat, quæ deum ipsum velut scelerum omnium fontem, authorem, impulsorémque blasphemat: quę blasphemiarum tuarum detestanda colluuies nusquam non euidenter patet, tum ex omni parte pernicioſorum operum (quæ tãto cum Christiani populi damno conscripsisti) tum ex his quæ passim in Germania tam furiose patrant tuis hæresibus efferati rustici. Itaque reuerendiss. ille pater quanquam nobis iam diu fuit propter eximias eius virtutes charissimus, idem tamen est, erítque in dies tanto nobis charior, quanto illum tibi, tuíque similibus magis videmus inuisum. Nam quòd eum regni mei pestem appellas, non est consilium fraterculo rationẽ reddere, ex eius viri singulari prudentia, fide, labore, studio, & salubri diligentia, nos regnúmque nostrum quanta consequamur commoda. Verum vt omittam cætera, vel hoc satis indicio est quàm toti terræ nostræ salutaris sit, quòd ex animi nostri sententia demandatum sibi munus

*Lutherus quibus se exercet encomiis.*

*Reuerẽdissimi domini legati honorifica & liberalissimẽ tio.*

perquam diligenter exequitur, ditionem nostram sedulo purgans hæresum vestrarum pestilenti cõtagio, quibus interdum intrant Angliam quidam vehementer ægroti: nempe ex iis venientes plagis, quas insalubris oris tui noxius infecit afflatus: quos tamen ipsos diligenti inquisitione compertos, eiusdem reuerẽdissimi patris salubri diligentia non solũ arcuimus, ne quid ad nostros eius lepræ serperet: verũ etiam tractatos commode, & magna cum charitate curatos, fidei integritati reddidimus. Nã quod ad nostros attinet (deo fauente) speramus & prudentiores esse, & in Christi fide multo firmiores, quàm quib⁹ vestra secta nõ minus impia quàm absurda, possit adblandiri quantumuis tibi spem iniecerit siue nescio quis alius nugator improbus, siue (quod magis arbitror) vnus aut alter apostata fraterculus, qui è regno meo profugi, & à fide Christi trãsfugę, in luxu & libidine voluptuantur apud te: quibus ego regnum meum tam bene purgatũ duco, vt si qui restent adhuc eiusdem furfuris alij (quos nõ admodum restare multos spero) sed tamen si qui supersint reliqui, eos omnes optem

*Hoc est quod infrẽdet Lutheranis, qui sanitatẽ omnibus inuidet insan⁹.*

*In hoc cœni volutabro se prolunnt sues.*

simul vt habeas tibi.

Euangelium esse dicis, id est lætum nũcium cordi tuo, iam cœpisse me fauere euangelio, tãquam hactenus nunquam fauerim euangelio. Cæterum quòd non tam nuper amare cœpi, & reuerenter euãgelium legere, quàm tu videri vis, vel hoc indicio potest esse, quòd iam olim (quantumuis id dissimules) euidentibus euangeliorum testimoniis, tuas aliquot peruici pernicioſas hæreses: quæ res (vt dixi) tibi satis ostendit, non nunc primùm me tractare euangelia. Quamobrem volo cognoscas, euangelium nobis præcipuũ studium & fuisse diu, & semper futurum esse, vtpote cuius doctrinam intelligam maxime esse salutarem, sed his duntaxat quicunque in euangelij studio contrà quàm ipse soles, ingrediendum sibi proponant. Nam tu in scripturis interpretandis aduersus orbem totum semper consueuisti tuorum somniorum commentitiis inuentis insistere: repudiato nimirum sapientis cõsilio, qui scribit: Fili, ne innitaris prudẽtiæ tuæ, & ne sapiens videri velis in oculis tuis. Cæterum quod ad me attinet, & noui satis, & libenter agnosco, quàm ex

*At Luther' nihil vocat euangelicum, nisi quod ipse probat.*

*Quãquam est impudens Lutherus, istud tamen haud potest negare.*

me ipso sim sacris literis intelligendis impar, eóque suppliciter inuocato diuini fauoris auxilio, toto me corde subiicio, primùm (quòd plurimum valere debent) placitis ecclesiæ catholicæ: deinde interpretationibus orthodoxorum patrũ, quos diuina benignitas liberaliter instruxit literis, illuminauit gratia, suffulsit fide, ac bonis ornauit operibus: miraculis denique declarauit & fidem eorum sibi placuisse & vitam: quum tu ediuerso sanctissimos patres contemnens, & scurriliter eorum blasphemans memorias, detrahens quoad potes eorum honoribus, ne splendor & reuerentia tantæ sanctitatis, facem præferret pudẽdis hæresibus tuis, nullius ingenium probas præter vnius tuum: & quum manifestam stultitiam pro prudentia, aperte falsam hęresim pro veritate defendas, nihil habes aliud cui prorsus possis inniti, nisi quòd velut Stentor exclamas, scripturam esse pro tua parte satis dilucidam, eósque omnes quibus aliter vnquã visum est fuisse penitus saxa, truncos, stipites, quantumuis numerosi fuerint, quantũuis ingenio, quantumuis eruditione, quãtumuis sanctitate claruerint.

*Vtinã hãc molestiam sequeretur Lutherus.*

*Hæc Luthe rus exusfit.*

*Cur Luthe rus inuidet cœlestibus.*

*Lutheri mos dispuiandi.*

Denique verbis hunc in modum re præclare gesta, subornas & propellis rudes ac rebelles rusticos, qui sub euangelicę libertatis prætextu grassentur effrenes, & pro furiosa factione depugnent. Si quis vsqueadeo parum valeret ingenio, vt hærere quicquã aut dubitare posset, vtra potissimum via foret insistendum, vestrá ne ista noua, an trita illa sanctissimorum patrum, quæstionem omnem seruator ipse dissoluit, cum dixit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Nam de illis dubitat nemo, quin boni viri fuerint, & inculpatæ vitę: qui deo seruire ieiuniis, orationibus & castitate studuerint, quorum scripta omnia spirabant charitatẽ. De te vero nihilo dubitant magis, quum te videant in his quæ moliris omnibus, ab inuidia atque superbia cœpisse, cum ira & maleuolentia progredi, atque procedere, & inanis gloriæ flatu prouectum, in turpissimam demum libidinem desinere. Itaque quantumuis hanc doctrinam tuam euangelicæ libertatis prætextu vestias, tametsi mihi satis cõscius sim, quàm sit tenuis hęc eruditio mea, non est tamen vsqueadeo tenuis, vti persuadere possis, vt credam

*Argumentum insolubile.*

*Matth. 7.*

*Lutheranæ virtutis circulus.*

*Lutherani spiritus indicia.*

bono te esse proposito, quum assidue spiritum prædicans, totus interim volutaris in carne: quum sic adornas te, velut exhortaturus orbẽ ad euangelicę vitæ formulam: deinde cœlibem castitatem dehortaris, quam accurate nobis commendat euangelium: & demum abiicis ipse receptam olim, & voto promissam ac dedicatam deo castitatem tuam, in quam seruandam omnis te sacrarum literarum auctoritas obstringit.

*Vouete & reddite domino deo vestro. Ps. 75.*

Scribis Luthere vehementer pudere te oculos in nos attollere, quòd te tam leuiter passus sis per operarios iniquitatis (vt ais) aduersus nos moueri. Verùm ego profecto non paulo magis admiror, quòd te non pudet serio leuare palpebras, & vel in deum, vel hominem quenquam probum oculos intendere, qui te passus sis instigante diabolo in eam ingenij leuitatem cadere, vt ob carnis ineptas & obscœnas libidines, quum frater Augustinianus esses, monacham deo dicatam scelerato compressu violaris. Quid, quòd nõ compressisti solum (quale flagitium si designasses olim apud Romanos Ethnicos, & illa terram viua subiisset, & tu ad mor-

*Lutheri apostasia, et impuritas vitę qui cũ moniali scortabat.*

*Lutheri flagitium nec Ethnicis ferẽdũ.*

tem vsque verberibus esses mulctatus) ve
rum etiam (quod nimio est execrabilius)
publice pro vxore nuptiis incestissimis
traduxisti, atque palã summo cum totius
mundi stupore, summo per orbem totum
opprobrio vestro, summo cum sacrosan-
cti coniugij contemptu, summa cum san-
ctissimorum votorum cõtumelia, per ne-
fas abuteris in quotidianũ prostibulum.
Denique (quod omnium est maxime de-
testandũ) te cum deberent tam execrandi
facinoris pudor & dolor obruere, pœni-
tentiæ loco præ te fers miser impuden-
tem gloriam, tam longe fugiens implora-
tionem veniæ, vt etiam in tui sceleris ex-
emplum passim pseudo religiosos alios
literis ac libris prouoces. Quamobrem
Luthere quum designes talia, non admo-
dum profecto miramur, quòd sanctorum
omnium cultui tam valde vis esse detra-
ctum: quippe quòd intelligis ex illorum
honoribus & reuerentia, tuorum flagitio-
rũ opprobriũ crescere. Nam quisquis eos
credit fuisse bonos, idem necesse est vt
sentiat pessimum esse te, qui doctrinæ si-
ctisque sanctorum & doces & facis impu-
dens tam ex diametro pugnantia. Etenim

*Barathrũ sceleris.*

*Diluat hoc Lutherus.*

quis probare potest fraterculi claustralis matrimonium, qui quidem cuiusquam faciat sanctissimum & eruditissimũ patrem Hieronymum? Nam is vouentibus (inquit) non solum nubere, sed etiam velle dãnabile est. Lege Luthere ac relege illius optimi patris epistolam ad monacham lapsam, & ad diaconum item, qui eã violauerat: tum ex his, & aliorum item sanctissimorum patrum religiosis literis disce miser horum potius pœnitere scelerum, quàm editis insanissimis libellis in defensionem criminis inexcusabilis, exemplo pessimo, & scelerato suasu tuo infelicissimos damnationis tuę socios contrahere. Iam istud plane demiror, qui de scripturæ peritia te tam improbe passim & importune iactas, quomodo potes tam facilè votum tuum contemnere, quum in ea legas:

*Ecclesia. 5.* Si quid vouisti deo, ne moreris reddere. Displicet enim deo infidelis promissio. &

*Psal. 75.* item illud: Vouete &, reddite domino deo

*Deut. 23.* vestro. Quid illud? Quum votum voueris domino deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dñs deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur etiam tibi in peccatum. Verũ tu (vt video) castitatis & ieiu-

nij, paupertatis & obediētię vota sanctissima numeranda censes inter Mosaicæ legis seruiles cæremonias. Nam & mores & libelli tui satis videntur ostendere nouæ legis euangelicam libertatem non in alio (si quis tibi credat) quàm in libidinis licentia consistere. Cæterum Esaias propheta lōge sensit aliter: nam is, In die (inquit) illa (denotans Christianæ legis tempora) vota vouebunt domino, & soluent: nimirum significans in euangelicæ legis decursu vota Christianorum plus habitura virium, & sanctius esse seruanda, quàm fuissent vnq̄ in lege Mosaica. cuius rei deus exēplū prębuit, cū in Ananiā & Sapphirā in pecuniæ subtracta portiuncula prævaricatū votum tā seuere vindicauit. Qua de re beatus Gregorius tāquā te Luthere cōpellaret, ac scortū tuū (neque ēm cōiugiū est, quo vos estis cōiūcti) hunc in modū admonet monachos: Ananias deo pecunias vouerat, quas post vict⁹ psuasione diaboli subtraxit: sed qua morte mulctat⁹ est, scis. Si ergo ille mortis periculo dign⁹ fuit, q eos quos dederat nūmos deo abstulit, cōsideta quāto piculo in diuino iudicio dignus eris, qui nō nūmos, sed te-

*Quæ sit Lutheri libertas euāgelica.*

*Esaiæ 19.*

*Act. 5.*

*An nō hīc te Luthere compellat beatus Gregorius?*

metipsum deo omnipotẽti, cui te sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti. Quid tu Luthere? Quid tua illa misera mulier ad hæc? Si peccatũ agnosceretis, si vos criminis vestri caperet dolor, etiã si quid interĩ carnis fragilitate peccaretis, esset tamẽ spes resipiscentiæ, quẽadmodũ in Magdalena fuit, ac Dauide, multisque itidem aliis. Verùm nunc quam spẽ præbes de te, si persistas in defensione criminis, & quod erubescere deberes, impudẽs gloriaris, quum vitia tua virtutem vocas, & aliorum virtutem vocas vicissim vitiũ? An non incidis præceps in illam maledictionis voraginem, quam in tui similibus deplorat Esaias, quum dicit: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucẽ tenebras, amarum in dulce, & dulce in amarum. Iã quum scripturas istas omnes floccifacias, quũ eas ad tuæ libidinis affectum detorqueas, quum earum sanctissimos interpretes contemnas, & eorundem saluberrimã doctrinam reiicias sanctissima beatorum patrum vita comprobatas, tum aduersus hæc omnia tuam duntaxat opponas improbam pertinaciam, & argumentis plane brutali-

*Esaiæ. 5.*

ne brutalibus, & furiosis næniis aduersus vota scurraris hæresi tam insigni, vt nec maior temere, nec manifestior audita sit: tamen precaris deũ, ne meas aures occupari sinat pestilẽtibus Sirenũ vocibus, quę nihil aliud norunt, quàm clamare Lutherũ esse hæreticũ, quũ ego nullã audiã (hac sane parte) magis sonorã Sirena, quàm libellos tuos, quippe qui meis auribus nihil occlamant aliud, quàm Lutherũ esse hęreticũ: vsq; adeo, vt certe vehementer mirer qua fronte possis apud me iactare, te nihil aliud docere, quàm fide Iesu Christi filij dei pro nobis passi, & suscitati, saluos fieri oportere: tum super hoc fundamentum ædificare postea charitatẽ erga proximũ, & obedientiam erga politicos magistratus, & crucifixionem corporis peccati.

*Quàm prudens, & sancta precatio.*

*Sic scilicet docuit suos in Germania rusticos.*

Vtinam Luthere hæc tua verba tam vera forent, quàm falsa esse cognosco. Nam (quæso) quo modo super fidem ædificas charitatem, quum solam fidem doces ad salutem sine bonis operibus sufficere? Etenim quanquam in eo libro, quo debacharis in me, quum (sic vrgebat pudor, vt te pigeret iam ea de re quicquam audire amplius) imputasti mihi tuorũ verborum

*Insignis Lutheri, sed usitata impudentia.*

calumniam, tamen nõ solum nihil omnino ad tua ipsius verba respõdisti, quæ nos tibi inter sacramẽtorum assertiones obiecimus, quibus illa tam detestanda hæresi sic te ligatum constrinximus, vt nulla via posses elabi: verum etiam homo pudens & prudens idem dixisti denuo eo ipso in libro, in quo falso quereris, id tibi per calumniam falso exprobratum prius. sic enim scribis, Sacrilegium est & impietas velle placere deo per opera, & non per solam fidem. Quæ verba non minus aperta sunt, quàm quæ prius tibi scripta sunt in Babylonica, quum hunc in modum scripsisti: Ita vides quàm diues sit homo christianus, siue baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscũque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata cum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Cætera omnia, si redeat, vel stet fides in promissionem diuinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem.

*Verba Lutheri ī lib. aduersus regem.*

*Verba Lutheri in Babylonica.*

Hæc tua verba tam manifeste quid sentis indicant: vt neo vllam poscant, nec admittant glossulam. Neque enim color vllus affingi potest, quin cõtra Christi ver-

*Dic aliquẽ Luthere colorem.*

ba, Angusta est via, quæ ducit ad cœlum: tu cum euangelica libertate tua, latam nobis ac facilem sternis illuc, quò tibi leue vulgus concilies, docens satis ad salutem fore, si quis dei tantum promissionem credat, absque vllo bonorum operum labore. quod genus fidei longe abest à diui Pauli sententia fidem tradentis, quæ per dilectionem operatur. cui astipulatur & illud: Si estis in fide, ipsi vos probate. Quę probatio, nisi per opera bona, quî fiet? Et enim qui operatur iustitiam, acceptus est deo. Quin & beatus Ioannes euangelista aduersus seductores eiusmodi, qui populum inani, ociosa, & mortua fide decipiunt, Filioli (inquit) nemo vos seducat: qui facit iustitiam, iustus est. Certe Luthere ex tua forma credere, absque fructu bonorum operū, & in vitiorum volutabro magna cū securitate viuere, fretum duntaxat ista spe superba, & nimis arroganti fiducia sola, quòd fides tot obstinatorum scelerum colluuiem absorbeat, fides est haud dubie deterior diabolica. Nam (vt diuus inquit Iacobus) tu credis quòd vnus est deus? & dæmones credunt, & contremiscūt: in hoc te minus mali sunt, quia tu

*Matth. 7.*

*Gal. 5.*
*2. Corī. 13.*

*Act. 10.*

*1. Ioan. 3.*

*Lutheri fides eiusmodi sit.*

*Sed Paulo eā esse euāgelicā fidē demonstrat quæ per dilectionē operatur.*

*Iac. 2.*

non times. An nõ hoc tibi nominatim Luthere locutus videtur apostolus, qui per hæresim hanc tuã, qua solã fidem sufficere contendis ad salutem, omnẽ dei timorem postergas? Etenim quum dicis tã diuitem esse baptizatũ, vt salutẽ suã, si velit, quantumuis obrutus sceleribus, tamen nõ possit perdere, nisi nolit credere, statim profecto consequitur superuacaneũ esse timorem omnem dei, siue qui ab eius iudicio iustissimo, & horrendis inferorum cruciatibus elicitur, quo timoris genere stimulati virtutẽ versus iter arripimus: siue qui ex eo colligitur, quòd quẽ adamamus vt patrem, vt filij timemus offendere. Nã quorsum opus est metum, rem amaram & molestam adiungere, si sola seruare potest hominem suauis & iucunda credulitas? Quorsum nos aut dei timore, aut gehennæ terrore torquemus, si nuda sufficit fides omnib⁹ exuta molestiis? Et profecto Luthere cum inter assertiones tuas omnẽ timorem dãnationis & inferorum à præparatione pœnitentiæ semoues, iubens vt eam sibi solo procurent amore, facis tu quidem hac in re magnam peccatoribus iniuriã, quibus videri studes tenero quo-

*Lutherus omnem dei timorem tollit.*

dam fauore misericors. Nam illis interim id laboras tollere, quod deus optimus ordinauit tanquã præcipuũ quoddã mediũ, per quod proficeretur in amorem: qui nec ipse profecto (dum in hac peregrinatione viuitur) satis tutus est, quũ absque timore nimiũ securus est. Nam si non in timore domini tenueris te instãter (inquit scriptura) cito subuertetur domus tua. Etem̃ qui sacras scrutatur literas, non vna tantũ via peccatores videbit attractos, sed plurimis atq; in his illo etiã ipso timore seruili, omnibus tamẽ ad vnũ finẽ tendentibus, nempe resipiscentiam vitæ: sine quibus mediis peccator nõ statim semper attingit illam salutis effectricẽ charitatẽ. Quãobrẽ quod aliud consiliũ possis peccatoribus dare deterius, quàm quo suades, vt ea fugiant media, per quæ à vitiis auulsi, feliciter traherentur ad deum? At nec alia ferme via sæpius trahimur, nec initio certe fortius, quàm illo timore, quẽ incutit horror inferni: quod ipsum fuit in causa, vt hunc terrorẽ clementissimus omniũ Christus ob oculos poneret ipsis etiã apostolis quũ dixit: Timete eũ, qui cũ occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ne quis

*Quæ secundum deum tristitia est, pœnitentiã in salutem stabilem operatur.* 2. *Corin.* 7. *Eccles.* 27.

*Luc.* 12.

eam rem putet nihil habere momenti miseris peccatoribus, nec adhuc tam pœnitentibus quàm pœnitentiã meditantibus. Quibus quid potest esse salubrius quàm timor? qui (vt ait scriptura) peccatũ expellit: & qui sine timore est, non poterit iustificari. Et tu timorem iudicij & pœnarũ non tantum studes auferre contritioni, quum sit ille via tritissima, qua peccati laqueos fugimus, verum etiã quo securius immoremur vitiis, freti fiducia fidei, metũ omnẽ prorsus labores tollere ab amore dei, quũ contrà scriptura dicat: Timor domini, initium dilectionis: immo (quod supra dixi) minetur etiã, quòd si non in timore domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua. sed nec illud scriptura tacet, quantã vim timor habet ad fidem. Qui timent (inquit) dominũ, nõ erũt increduli verbo illius. qui timent, inquirent quæ beneplacita sunt ei. Quid, quòd à timore sapientiã quoq; docet auspicandam? Nam initiũ (inquit) sapientiæ timor domini. Ita vides vt timorem (cui tu tantum detrahis) literæ sacræ, quibus tantum te deferre simulas, non sapientiæ tantũ & fidei, sed (dũ pegrinamur in via) etiã amo-

*Eccles. 1.*

*Eccles. 25.*

*Eccles. 27.*

*Eccles. 2.*

*Eccles 3.*

ri coniũgit, & certe non immerito. Nam qui timore iudicij fugere cœpit atque horrere peccatum (quod vnum à deo mẽtem eius auerterat) necesse est magis reddatur idoneus, qui & amet deum, & redametur à deo. Eam ob rem timoris tã necessarij propheta conspiciens vtilitatẽ, cũ n se non mitti solũ, sed & incuti fortiter, & cum doloris sensu vibrari precatus est. Confige (inquit) in timore tuo carnes mas: à iudiciis enim tuis timui. Et quorsum voluisset nos deus admonere tartari, & inferni cruciatu terrere, nisi vt eius cru cinus timor, chami freníque loco foret, quibus homines à peccato reflecteret, reflexos ad se retraheret, retractos in charitate & suo fauore dirigeret? Quã ob rem quum sit apertissimum, hunc te timorem tollere, & opera bona palam oppugnare, tum ii pœnitentibus satisfactionem contemnere; quàm impudenter facis, quum scribis te super fidem ædificare charitatem: quando nos aperte probauimus, idq; tuis ipsius verbis omnino nihil ambiguis, nihil è fidei tuæ superstruere præter opera mala, dum doces absq; bonis operibus fidem solam sufficere: & opera bona con-

*Psal.* 118.

*Opera bona contemnit Lutherus.*

temnis: magnus auctor absque metu quid libet audendi male, dum scelera cuncta promittis in momento protinus absorbēda per fidem: præsertim vt tu fidem definis, quum scribis, quòd esse nullo modo potest, nisi sit viuax quædam & indubitata opinio, qua homo certus est supra omnem certitudinem se placere deo, se deum habere propitium, & ignoscentem in omnibus quæ fecerit, aut gesserit. Quibus verbis inducis profecto nimis arrogātem fidem, suadens vt homo peccator sibi sic blandiatur, vti se non solum habeat diuino fauore certissimum, sed certum: tiā apud deum esse se in fauore tam exinio, vt velut vnicum dei deliciū, quicquid designarit flagitij, deum non possit offendere, tāquā deus promiserit propter nius credulitatis meritum, impunitatem peccatorum omnium. Ideo nimirū quid (vt scribis in Babylonica) omnia protnus in momento fides absorbet scelera. Sd hæc superba & ociosa fides, quantum sda soli placet tibi, tātum displicuit vetust: olim patribus. Itaq; beatus Isidorus: Frustra (inquit) sibi de sola fide blanditur, quibonis moribus non vtatur. Idem scribit diuus

*Quid sit fides secūdū Lutherum.*

*Babylonica Lutheri.*

*Verba diui Isidori.*

Augustinus, velut occasione captata ex etymologia vocabuli: Fides (inquit) appellata est ab eo, quod fit: duæ syllabæ sonãt, quum dicitur fides: prima à facto, secũda à dicto. Interrogo te igitur vtrũ credas. dicis credo. fac quod dicis, & fides est. Sed quid tibi verba patroni quondã tui, à quo nunc turpiter desciuisti transfuga? Quid cuiusquã veterũ? quos omnes floccifacies, audes contendere nullã esse ad fidẽ viam aliã, imo nullã aliã oĩno fidẽ esse, nisi quã falso definis ipse, quã etsi perinde velis accipi tanquã sit formata charitate, nũquam tamẽ apud orthodoxę fidei peritos id potes obtinere: quũ tuã fidẽ facias & bonorũ operum tã negligentẽ, & tã facile absorbentẽ scelera, vt sceleratis nebulonibus indulgeat flagitiosæ vitæ supinã securitatem. Nã contrà beatus apostolus eã censet in adultis fidẽ verã, quæ per dilectionem operatur. & diuus Ioannes: Qui diligit (inquit) deũ, mãdata eius habet, & seruat ea. Ita vt vtrinsque sententia, alterius de fide, alterius de dilectione, necessario declinare debeas à malo, & operari bonũ: nec in ociosa illa & arrogãti fide quiescere, qua te certũ fingis super omnem certi-

*Augusti.*

*Omnes veteres flocci facit Luth.*

*Gal. 5.*

*Ioan. 14.*

tudinem te placere deo: eúmque vel approbare, vel ignoscere quicquid omnino facis. Quod si verũ esset, bonus ille, deóque teste vir tam rectus Iob, vt similis ei non esset in terra, non tã fuisset meticu-

*Iob.9.* losus, vt diceret: Verebar oĩa opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.

Iam quum scribis fidem oportere viuacẽ esse, fateor: sed viuax esse sine dilectione non potest, nec diligit (vt ait euange-

*Ioan.14.* lista) qui dei mandata nõ seruat: nec mandata seruat adultus, qui non in bonis laborat operibus. Cõsequitur igitur, vt tua fides, quæ opera bona contemnit, viuax esse non possit, sed plane sit fides eiusmodi qualẽ Iacobus reprehendit apostolus,

*Iac.2.* quum dixit: Fides sine operibus mortua est. Ad hæc si verũ sit aliud, quod in ser-

*Hoc dicit Lutherus in quodam sermone habito ad populum Germanica lingua.* monibus de præceptis affirmas ipse, præcepta dei, nonũ præsertim, ac decimum, a quantũlibet etiã sancto, nullo modo posse seruari: cõtra quæ sentire videtur Christus, quum dicit: Iugum meum suaue est,

*Matt. 11.* & onus meum leue: nec diligatur deus nisi præcepta seruentur, nec in fide vita sit, nisi cũ dilectione iungatur: an non videx tuis verbis eò rursus redire sermonem

vt fides, quæ esse viuacē vis, viuax esse non possit? Verum ista quū scribis, satis ostendis aperte, quò tendas: neque enim sinunt quenquam libelli tui dubitare, quin horū proponas & contendas alterū: nempe vt aut persuadeas periculosam & arrogantē fidē, cuius quisq; fiducia fretus, ferietur ab operibus bonis, & fidē faciat stimulū peccandi securius, credēs videlicet eā solam cuncta semel absorpturam scelera quantumuis immania. Aduersus quod genus fidei (si fides appellari potest tā immensa superbia) fortiter exclamat scriptura sancta: O præsumptio nequissima, vnde creata es? Aut ideo certe fidem (quanquā rem verbis inuestis) in tā sublime punctū subleuas, quò vel pauci possint, vel nemo cōscendere, vt vulgus hominum in diuersum trudas vitium, nempe desperationem consequendæ salutis & fidei: quæ desperatio quum semel radices egerit, omissa prorsus bene viuendi cura, prorumpit in omnem libidinem: quemadmodum scribit apostolus: Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem omnis immunditiæ: cui sententiæ subscribit & illud, qđ habetur apud Iob:

*Eccles. 37.*

*Ephe. 4.*

Heb.15. Nō credat frustra errore deceptus, quòd aliquo pretio redimendus sit. Quam ob rem satis euidenter liquet pessimam esse doctrinam tuam, qui medium omne diffugiens, nullam relinquis promissionis fidem, nisi aut eam quam malam esse videat cæcus, aut eam quam vix attingat angelus. Nec aliud vtraq; via procuras, quàm vt vel obtentæ fidei securitas, vel obtinendæ desperatio præcipitet homines in flagitiosæ vitæ licentiam, quam solam prætextu libertatis euangelicæ laboras inuehere: nec aliam charitatem ædificas super fidem tuam. Nam quòd te super fidē scribis ædificare obedientiam erga politicos magistratus, cui non & impudens videtur, & ridiculum? quū nemo nesciat quàm obstinate doceas, neminem Christianum humanis vllis obligari legibus, quarum magistratus ministri sunt, quum omnia contemnas sacrosancta cōcilia: qua in hæresi tam obstinate progressus es, vt simul cum aliis detestandis hæreticis sacrosanctos canones palam cum irrisione combusseris, & tuis inhortationibus incitati rustici globatim rebellarunt aduersus magistratus, in miserabilē cladem suam, & in-

*Super hoc citetur testis totus orbis: quin & hoc docuit experiētia.*

*Lutherus sacrosanctos canones publicè combussit.*

delebilem infamiam tuam. Præterea quo pacto posses (si quis pudor esset) prædicare, quòd super fidem ædificas crucifixionem corporis peccati, quũ super mortuam fidem ædifices negligentiam orationum, festorum contemptum, ieiuniorum neglectum, castitatis exilium: & denique ferme omnia, quibus Christiani partim ipsius Christi præcepto, partim ecclesiæ catholicæ consensu, peccati corpus solent crucifigere? Ad hæc quo pacto non pudet dicere, quòd doces, & hortaris, vt peccati corpus crucifigant homines, quum tam obstinate doceas illam detestandam hæresim, quòd nemo facultatem habet aut libertatem voluntatis, qua boni quicquam possit efficere? Nam quis aut studebit aliquid facere bene, aut curabit quid designet male, qui quidem sibi semel penitus persuaserit, se, vt aliquid faciat boni, neque ex se sufficere, neq; eũ gratia dei cooperari, aut aliquid prorsus agere: neq; ie maleficium, quod ab ipso fiat, ipsius esse, vt in quo nihil omnino sua sponte perficiat, sed in quo producat omnia diuinæ voluntatis æterna & nulli mutanda necessitas, quam ipse nec promouere possit, nec

*Lutherus omnia bona opera q̃ Christus & apostoli docuerũt, dãnauit.*

*Vide vt nihil secũ sentiẽs scribat Lutherus.*

*Deum authorem esse malorũ Lu*

*Lutherus docet, quippe quæ necessario eueniant.*

impedire. Hæc hæresis, omnium quæ vnquam sunt exortæ, scelestissima, & atrocissime blasphemans iustitiam dei, radix ipsa videtur ex qua pullulãt vniuersa scelera, quibus tam numerosis, quàm nocentissimis vestra grassatur factio: quorum scelera tam audacia, ne quid trepident impietatis conscientia, sollicite laboras armare excusatiõe decreti diuini ineluctabili necessitate. Quam falsissimam opinionẽ vestire & fucare conaris locis quibusdam scripturæ partim per se obscuris, partim aperte detortis per te, quibusdã etiam in diuersum satis clare facientibus, quæ ipse nihilominus impudens pro te clamas esse clarissima. Qua in re siquid aut mentis haberes, aut frontis, admirarer temeritatem tuam, qui tam absurdã hæresim prædicare sustineas aduersus tot sanctorum sententias, aduersus ætatum omnium totius ecclesiæ catholicæ cõsensum, aduersus innumera sacrarum literarum loca tam aperta, clara, dilucida, vt in diuersam partem nullum colorem possint admittere: quorum quum tam passim scateãt, incassum multa cõmemorem: vnus aut alter exempli causa sufficerit. Nã quid apertius esse potest

*Admiranda Lutheri temeritas.*

quàm hęc verba planissima? Proposui vobis vitam & mortem, benedictionẽ & maledictionẽ. elige ergo vitã, vt & tu viuas, & semen tuum. Quæso te, quo pacto datur electio, si negatur libertas? Quomodo cũ necessitate cõsistit electio? Eodem modo quũ ex dei persona bonũ & malum, pœnã & præmium in electione ponentis humanæ voluntatis, aperte dictum est homini: Deut. 30.

Apposuit tibi aquã, & ignem: ad id quod volueris, porrige manum tuam. tum id similiter: Ante hominẽ vita, & mors: quod placuerit ei, dabitur illi. Quid hic sibi vult voluntas, quid manus porrectio, si nullam habet arbitrij libertatem? Quorsum Ioannes Baptista Iudęos hortatus est vt ageret pœnitentiam? Quorsum Christus adulteram iussit ne peccaret amplius? Quorsum iussit omnes, vt eius mandata seruarent, si nec per se seruare possent, nec illius adiuti gratia, quicquã ad ea seruãda cooperari? Quũ deus hominibus diceret, bonum & malum in ipsorum manu positum, verúmne dixit illis, an falsum? Si falsum dixisse contendas, iam omnibus eius promissionibus aufers fidem, in qua sola contendis salutem nostrã consistere. contra vero Ecclę. 15. Ibidem. Matth. 3. Ioan. 8. Eccles. 15.

si verum dixisse fatearis, tum te necesse est fatearis falsum dicere: quũ doces aperte contrarium. Quam ob rem hac in causa nihil aliud in quæstionẽ venit, quàm vtrũ Christo credendum sit, an tibi: nisi forte contẽdas (vt nihil omnino tam absurdum fingi potest, quod si vrgearis paululũ, non sis paratus asserere) deum illa ioco dixisse omnia. Sed neque istud in illius maiestatis grauitatem conuenit: & hac in re mire loquutus est serio, cum illis arbitrij libertatem ostenderet, velut iusti supplicij causam vnicam, si contra facere quàm præcepisset, auderent, nimirum testatus inculpatam iustitiam suã, ne quis de sua clementia conciperet opinionem tam impiam, vt id sibi persuadeat, quod tu nunc passim prædicas, mitissimum illud numen naturã esse tam tyrannicum, vt qui nihil meruisset mali, eum tam atroci, tam interminato miserum torqueret supplicio, dũtaxat expleturum crudelem torquẽdi libidinem. Quam ob rem, quam tam alte ceciderit in puteũ tam pestilẽtis hæreseos, vt id sustineas cogitare de deo, quod nemo bonus animum possit inducere, vt non modo de homine quoquam bono, sed nec mediocriter

*Nunc in quæstionem venit vtrũ Christo an vni hæretico sit credendum.*

*Quantum impietatis contineat Lutheri dogma de li-*

criter malo persuadeat sibi, nihil aliud probationis requirendum puto, q̄ caduca sint ædificia, quæ tu superstruis super fundamentum fluxibile tam infidelis fidei. Nec eo tamen consilio hæreses istas tuas attigi, quòd eas disputare decreuerim: nam & tales esse cognosco, vt contra quanq; posset afferri non quantum vnas literas, sed quantū aliquot iusta volumina possit implere: & iam olim tā aperte reuictæ sunt, tam iuste passim damnatæ sunt bonis ac piis omnibus, auditu tam absurdæ sunt, vt amplius disputari non debeant, tantum abest vt debeant credi, etiam si angelus de cœlo prædicaret eas, tam longe dissonas euāgelio, & fidei quam Christus tot ætates docuit ecclesiam suam. Quòd si, quàm sunt indubię contra te, tam essent controuersæ & dubitabiles iam olim, tamen mihi certum est nihil disputare tecum, quandoquidem sum expertus, quàm prorsus omissa ratione totus vertaris in scurrilia iurgia. Quo ex tempore (id quod seruabo) statui, quod ad disceptationes attinet, deploratum istud ingenium tuum improbitati suæ relinquere. Quanquā alios non defuisse video, qui & ex Anglia, & aliis ex

*Bere arbitrio.*

*Galat. 1.*

*Prudēs consilium illustrissimi principis.*

locis aliquot ad ea quæ in me scripsisti, responderint, aliqui etiam te ex meritis tuis ornarint, & tuis te tractarint artibus, nisi quòd rationem admiscuere cõuiciis, quibus tu solis disputas. Eorum nemini quicquam adhuc respondes, nõ taciturus haud dubie tam diu, nisi toties tam aperte victum, tandem oppressisset pudor: quem siquando rursus vicerit impudẽtia, exiisdem aliquis (opinor) existet, qui tibi te depingat denuo. Ego certe neque tibi scribam amplius, neque nũc scripsissem quicquam, nisi tuarum me literarũ permouisset subdolum consilium, quo laboras, vt credant tui me iam cœpisse partibus tuis fauere. Quã in rem responsum retulissem breue: neque tuarum hæresum quicquam attigissem nominatim, si non impudenter asseruisses nihil aliud te docere, quàm in fide Iesu Christi homines oportere saluos fieri: tum fidei te superædificare charitatẽ erga proximos, obedientiam erga politicos magistratus, & crucifixionem corporis peccati. Siquidem ista tua tam effrons impudentia me coẽgit vnum aut alterũ tuorum proferrem tam præclarorum dogmatum, quæ facile quisquam videat lõge alteriꝰ

*Rex cum Lutthero respõderit.*

esse generis, quàm eorum quicquam sit, quę te tam falso iactas sola prędicare. Nec interim tamen quicquam attigi cæterarũ hæresum tuarum cumulum, quæ tam pudendam impudentiam vanitatis tuæ redarguũt. Nam quum aperte scribis aduersus sacramenta Christi, quum cœlibem castitatem damnas in sacerdotibus, quum sacros omnes ordines deiicis, quum panis substantiam Christi corpori coniungis, quum scurraris in missę sacrosanctũ canonem, quum fœminas iubes audire confessiones, & iisdem sacramentorum omnium administrationem committis, quum eas iubes conficere corpus Christi, quum tam parum interesse censes inter intemeratam Christi matrem, & impudicam meretricẽ tuam, quum sanctissimam Christi crucem blasphemas, quum doces nullum esse purgatorium, sed animas omnes dormituras in iudicij diem, spem proponẽs diu differendi supplicij, quò securius peccent improbi, quum hęc (inquam) doceas, & mille pudendas hæreses: præterea non te pudet scribere, quòd nihil doces aliud, quàm hominem oportere saluari per fidem Iesu Christi, quãdo re vera nihil moliris aliud,

*Catalogus aliquot dogmatũ Lutheri.*

*Impia in Christi matrem blasphemia.*

*Verisimillimum.*

quàm vt Christi fidem penitus possis extinguere, qui si veniſſet ea docturus, quæ nunc doces tu, veniſſet profecto non auocaturus homines à malo, nec fuiſſet (quod erat) doctor virtutũ, ſed manifeſte patronus vitiorũ: à quo quàm longe abfuerit, ſatis inſigne documẽtum dedit, quum tam immane ſupplicium pertulit in cruce, quo nos à peccatorum pœna redimeret. Quo pacto patitur (ſi quis ineſt) pudor, vt talia ſcribas ad me, conſcius in libris tuis hęreſes iſtas impias non modo me legiſſe, verumetiam doctiſsimorum virorum iudicio multas reuiciſſe? Quæ quum ita ſe habeant, mirum tamen eſt videre quanta cum impudẽtia recurras, nunc audiri ſaltẽ poſtulans (tanquam hactenus nunquam fuiſſes auditus) & te mirari ſimulans, cur damnari debeas, qui nec conuictus adhuc ſis, nec auditus. Nunquám ne Luther auditus es apud eximium patrem Cardinalem ſancti Sixti, legatum ſummi pontificis in Germania? Nunquám ne præbita publice diſputandi licentia, adhibitis etiam notariis, auditus es in Saxonia? An non libellis impiis & blaſphemis vſquequaque ſparſis, & hæreſum tuarum contagium

*Lutherus quoties auditus, tamẽ auditum ſe nondum dicit.*

pestilens longe lateque deferentibus plus satis auditus es per totum orbem? & tamẽ queri non pudet nondum esse auditum, sed damnatum esse nullius mali conuictũ. Certe quod ad damnationem attinet, licebit securus obdormias, si iure damnari nõ potes, nisi sic reuictus ante, vt ipse te victum fatearis. Cæterum re vera satis sæpe conuictus es & ab aliis nonnullis eruditissimis viris, & (quòd non solum doctissimi quique testantur, sed & sacrosancta sedes apostolica iudicauit) à nobis. Quod quam quam præ superbia nõ dignaris agnoscere, tamen ipsa re satis fateris & ipse, quum nihil hactenus præter scurriles nænias, qđ respondere posses, inueniisti. Ego Luthere, etiam si nihil earum rerum callerem, quarum tu damnatus es, tamen quin iuste damnatus esses, dubitare profecto nõ possem, quum te damnasse videam põtificem ipsum summũ, cum toto reuerẽdissimorũ Cardinalium collegio: quorum iustitiam & æquitatem nemo bonus habere debet suspectam, propter scurriles clamores improbi debacchantis fraterculi sua damnatione infrendentis, præsertim qui sit eiusmodi, cui ratio minus satisfaciat, quẽ

*Hoc vt neget Lutherus, tamen oũs sciunt.*

nulla mouet auctoritas, qui nemini quicquam credit, præterquam soli sibi, cui vni credit præ omnib' cõtra sapientis cõsiliũ,

*Prou. 30.* qui scribit: Ne sis sapiens apud temetipsum. quod genus hominum quàm deploratæ sit conditionis, vide. Vidisti (inquit)

*Prou. 29.* hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. Iam quum hæresum tuarum pleraſque damnatas esse viderem inclytarum scholarum consensu, quare deberem tot & tantorum virorum suspectum habere iudicium, etiam si ipse (quod dixi) de re quam iudicassent, omnino nihil intelligerem: præsertim quum in illis esset famigeratissima schola Parisiorum, cuius iudicio quondam ipse te staturum promiseras? Cætera post, quum intelligeres tam manifestarios esse errores tuos, vt nemo bonus esset ac pius vsquã in cuius iudicio spem posses reponere, in conuẽtu Vvormacensi (vbi te pleno procerum senatu damnauit Cæsar) ad disceptandum quidem obtulisti te, sed ea quæ disputarentur, cuiusquam iudicio submittere (qui quàm recte contrà ne disserores, posset ferre sententiam) id vero pertinacissime pernegasti. Nunc quum te videã

*A Parisiorũ schola famigeratissima dãnatæ Lutheri hæreses.*

*Stroph. Lutheri.*

hoc te pacto gerere, vt nec in alios iudices consentias, nec illis ipsis obedias, quibus obtemperare promiseras, nec Cæsareæ maiestatis iudicio deferas, quum tot eruditissimos viros haberet in consilio, nec reuereare quicquam & apostolicę sedis & collegij sacrosancti sententiam: sed improbus irrisor appelles ad proximum generale concilium: nec tamen simpliciter proximum, sed adiecto cuniculo per quod possis effugere, nempe quod proxime congregatum esse contingeret in spiritu sancto, vt in quocunque esses damnatus, ibi negares fuisse spiritum sanctum, & tamen paulo pòst generalia concilia omnia contemnere, ne quis dubitare posset nulli te tandem prorsus pariturum: quum hoc (inquam) pacto te gereres, quomodo potuisset iudicium in te redditum mihi esse suspectum, etiam si de tota re nihil aut intellexissem, aut audissem aliud? Nunc vero quum res tuæ quales sunt, tales ipse cognoscam, nempe apertas & indubitatas hæreses, cuiusmodi aliquot commemorauí tibi, quemadmodum tu te mirari fingis hactenus audiri non posse, ita nos cõtra multo miramur magis & istud te pos-

*Quàm inculcter aperiũtur Lutheri mores.*

se dicere, & quenquam inuentum esse, qui te quicquam audire dignetur: tanquá satis causæ sit vnius fraterculi peruicax impudentia, cur nunc tandem oporteat dubitare, an ea demum vera sint, quæ pro articulis fidei tota credit, & annos amplius mille quingentos perpetuo credidit ecclesia Christi catholica, quemadmodum euidenter liquet ex doctrina Christi, & sanctis eius apostolis, necnon multis aliis beatissimis ecclesiæ doctoribus, quorum alius alio tempore locóque scribens, omnes fuere eadem fide concordes à Christo nato, passóque, vsque ad inauspicatam prædicationem tuam. Quorum sanctissimorum patrum, & in scriptura sacra certissimorum interpretum, quum tu scripta contemnas, non video causæ quicquam, cur postulare debeas, aut quid fructus nobis tua scripta possint afferre, sanctissimorum virorum omnium tot ætatibus comprobatæ doctrinæ tam ex diametro contraria. Quamobrem quum scribis haud parui fructus magnam spem euangelio, & gloriæ dei portendi, si tibi libera facultas detur ad nos scribendi de negotio euangelij, oporteret tamen prius

*Potius credendum his quæ ecclesia Christi catholica per annos amplius mille quingentos pro articulis fidei credidit, quàm vni fraterculi impudentiæ.*

cto te, quicquid hactenus texuisti, retexere, & longe diuersa scribere istis ferme omnibus, quæ vel hucusque abs te scripta sunt, vel ex literis ad me tuis videris esse scripturus. Nam ex his, quæ hunc vsque diem scripsisti, adeo nihil fructus consecutum est euangelium Christi, vt & oris tui tam venenati pestilenti flatu, multum ei pulcherrimi fructus interierit, & speciosissima gemma perquam numerosa perierit, quæ maturuerat in dulcissimum fructum, nisi talis irrepens conuoluulus erosisset.

*Quàm pernicioſa Chriſti euangelio hæc noua-doctrina.*

Iam quòd tibi scurrari libet in ecclesiã Romanam, & clericos, mihi certe non est consilium ea de re multum disceptare cũ fraterculo. Cæterũ qualesquales illi sunt, ipse cuiusmodi sis, profecto satis indicas. Sed quando temet haberi vis tam exactũ euangelistam, feceris aliquanto rectius, si prius ex euangelio didiceris ex oculo tuo trabem tollere, quàm festucam in alieno deprehendere: tum si diligenter expẽdis ex his, qui per inuidiam & malitiam murmurabant in Moysen, & in Dauidem iaciebant cõuicia, quis illos maneat exitus, qui in eos contumelioſi sunt, quibus cum

*Matt. 7.*

*Cape hinc Luthere exemplum.*

reuerentia debent obedire. Tũ vt id perdiscas etiam, si mutare nonnihil ecclesia videretur: temperandum tamen, cauendúmque tibi, ne tam improbẽ sis audax, vt arroganter eam tentes attingere, & tuis digitis curuis & conspurcatis regere, ne te deus ita ciuilitatem doceat, & officiũ ostendat tuum, quemadmodum olim docuit eum, qui præter fas ausus est manum arcæ fœderis labascenti supponere. Quãquam haud dubie tametsi te libido subit debacchandi scurriliter in Romanam curiam, tua tamen & doctrina simul & vita satis reddunt perspicuum, quòd si tam esset mala, quàm fingis, tibi displicere non posset. Etenim quando tibi pessimi quique apostatæ, qui contempto voto, & reiecta meliore vita, deserto spirituali studio, totos se carnis voluptati deuouerint, veniunt acceptissimi: contráque viri boni, & studiosi pietatis, passim è suis ædibus, vbi in oratione, ieiuniis, & castitate delegerant diuino cultui totam vitam impendere, per te quotidie, pérque improbá factionem tuam crudeliter extruduntur: & templum quoque sanctissimum honestissimo virginei chori contubernio de-

2. Reg. 6.

*Sic Lutherus crucifigit corpus peccati. Sic Gebennæ agitur.*

stitutum, scortatoribus impuris, & spurcissimis prostibulis relinquitur prophanandum? an non istud institutum tuum satis superque declarat neminem tibi odio esse quia nequam sit, sed eum tibi vere esse inuisum, quisquis fuerit probus, quisquis virtuti deditus, hoc est instituto tuo doctrinæque contrarius? Nec ob aliud certe magis obmurmuras aduersum apostolicam sedem, quàm quòd ab ea vides & indignaris damnatas esse tam impias hæreses tuas, vt illa tibi non absurde responderit: Nec contra nos est murmur tuum, *Exod. 19.*
sed contra dominum. tum in Christum, cuius vicem gerit, suspiciens, aduersus improbam superbiam tuam clementer exaudita, clamarit: Præsumentes de se, & de *Iudith. 6.*
sua virtute gloriantes, humilias. Neque enim quisquã fere natus est vnquam, qui sibi tam multum tribuat, quum iure tam parũ debeat, quàm ipse tribuas tibi. Qui si tam vere saperes, quàm tua tibi philautia persuadet, non ita te comparasses, vt correptus à pontifice, murmurare potius, q̃ emendari statuisses. Vir prudens (inquit *Eccle. 19.*
scriptura) disciplinatus non murmurabit correptus. Vereor haud dubie, ne breui

sensurus sis dum tibi tam impense places, & sapiens videris oculis tuis) illud in te competere, quod apostolus dixit in philosophos Ethnicos: Euanuerunt in cogitationibus suis: obscuratum est insipiens cor eorum: & dicentes se sapientes esse, stulti facti sunt. Ita tibi surgit animus, vt magna cum gloria numeres te amicis esse ditissimum, magnis præsertim principibus, quos à tua parte stare iactas in Germania. Sed ego te profecto vera sensurum puto, quæ deus in Apocalypsi cuidam est minatus homini, qui nisi vitiis illum vinceres, simillimus erat tui. Tu dicis (inquit) quia diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Credo equidem haud ita multo posthac (pro sua in ecclesiam benignitate) prouisurum Christum, cuius euangelium conaris prætextu fauoris extinguere, machinam alicunde quampiam, quæ tam stolidæ superbiæ tuæ cornua cristasque confringat: quum te tam nudum relinquat amicis, quàm nunc destituit gratia, quòd eam clementer oblatam sæpe sponte, non cessas reiicere. Quin id iam pridem quoque

Roma. 1.

Apoca. 4.

luculenter cœpit ostendere, nisi te sic obcæcaret superbia, vt nõ sustineres aduertere. Nam quum tu tam valde iactes principes fauere tibi, res longe diuersum probat, quando miseri illi rustici doctrina tua seducti, summa cum calamitate & miserãda strage reuerberati sunt, virtute & victoria clarissimorum principum: qui cum summo suo apud deum præmio, apud homines omnes bonos laude & gloria, factioni tuæ, sectæque seditiosissimæ restiterunt.

*Principes Germaniæ quàm Luthero fauerint scilicet.*

Iam quòd ais nihil mirandum esse, si te Cæsar, & aliquot item principes persequantur, allegãs illud prophetæ: Fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges, & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Hæc verba reciderunt in caput tuum, si verũ est id quod dicis, Germaniæ populos & principes tueri partem tuam. Nam id quidem haud dubium est, quum factio tua tota contra Christum militat. Quamobrem agglutinent se vobis quicunque volent: Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & dominus subsannabit eos. id quod iam pridem sa-

*Psalm. 2.*

*Psalm. 2.*

*Septuaginta millia hominum qui Luthero fauebãt vltione diuina paucis mensibus intercepta sunt.*

tis declarauit, quum plus minus septuaginta millia ex his qui in tuam sectam coniurauerant, immissis in eos vltione diuina principibus, paucis mensibus intercepta sunt.

Iam quũ tam sancte optas, vt deus in me verbis ita coopereturtuis, vti miraculo quodam conuertat in fauorem euangelij euangelio me fauere profiteor, & idem animus precor non solum vt sit perpetuus, sed etiam vt increscat in dies. Verum quum te haud nesciam rem sic accipere, tanquam euangelio non faueant, qui sectæ non fauent tuæ, nec solere deum cognoscam aduersus filij sui fidem edere miracula: certe potius quàm id prodigiũ in me malus producat genius, vt ego ex animi tui sententia sub euangelij nomine faueam impietati tuæ, optarim certe, vt tu, tuíque omnes illic Luthere priusquehamini, quò (si nõ resipiscitis) vos parcrit auehi.

*Disce hinc Luthere modestiã.*

Nam quòd honoris tantum scilicet tã humiliter offers nobis, vt si mihi placiturum sentias, alium librum non graueris edere, quo de me largiter meras laudes prædices, simul ea reuocans, ac retexens

omnia, quæ dudum in diuersum scripseras, hoc te labore toto Luthere oppidò quàm lubens libero. Neque enim sic incendor gloriæ ieiunio, vt tuos libros in meas laudes ambiam: sed opto potius, quod magis in rem sit tuam: nempe vt agnitis erroribus, & recantatis hæresibus, resipiscens tandem, & reuersus ad fidem, sic eam scriptis probes & operibus bonis, vt inde laudem possis & gloriam dare deo. Alioqui si ad istum, quo cœpisti, modum in hæresibus impiis, & improba vita perrexeris, me profecto laudare non potes impensius, quàm si vituperes: nec è diuerso magis odiose traducere, quàm siquã maxime potes, extollas, si verum est (vt est profecto) quod legitur apud Senecam, tã turpe tibi sit laudari à turpibus, quàm si lauderis ob turpia. Quamobrem quum scribis libri tui in me editi vehementer te pudere, culpam transferens in alios nescio quos, quorum instigationi parueris, & pedibus meis aduolutus suppliciter oras veniam, sperans quum me mortalem meminerim, quòd immortales inimicitias nolim gerere: profecto Luther, tametsi tu magnifice & sublimiter de te ipso sentiẽs

*Ab illaudato vituperari, honorificum est, ex prouerbio.*

pro iure tanto semper habuisti te, vt non puduerit scriptis etiam tuis profiteri non esse solum te, sed & futurum semper, nec viuum modo, sed præterea mortuum, immo exustis etiam cineribus, & in mille proiectis maria, perpetuum tamen hostē & inimicum pontifici, cuius fastigio haud nescio quàm longo reges interuallo sint impares: ego te nunquam tamen æstimaui tanti, vt vnquam sim dignatus esse inimicus tibi, tametsi hæreses tuas habeam quātum alius quisquam exosas. Sed nec eorū conuiciorum quicquam, quibus in me scurriliter debacchatus es, tam valde me commouet, vt non prece multo minori nobis possis, quàm qua nunc es vsus, abūde satisfacere, si tibi res ex animo & syncere satis ageretur. Verum enimuero quum videam supplices istas obtestationes tuas hæresum tuarum defensione passim arroganter sparsas, non sum Luthere tam cæcus, vt non satis cernam quorsum tendat tua ista non satis sapienter celata vafrities, qua tametsi stulte interim contumelioſus es, solicite studes eblandiri gratiam, facultatémque liberam de tuis ad nos hæresibus sub euāgelici negotij prætextu,

*Hæc ais in Babylon.*

*Pontificis fastigio quàm longo interuallo reges sūt impares.*

*Hæc charitas non stat vsquam super fundamentum tuum Luther.*

*Insignis Lutheri vafrities.*

textu, quasi cum aliquo fauore scribendi. Quòd si Germaniæ principes iam inde ab initio (quod vtinam contigisset) instituti tui propositum finémque tam prouidissent, nunquam profecto nomine libertatis tantum calamitatis inuexisses illuc. Quamobrem vt tu ficte Luther supplicasti nobis per Christi sanctam & venerandam crucem, (quã Christi crucem quanto tu honore prosequeris, satis tua declarant scripta, quibus eam non impie solum, & cum blasphemia, sed improbe quoque, & non ferẽda scurrilitate tractasti) vt offensas in me tuas condonem tibi, sic ego te syncere contra, & animo vere christiano cohortor, vt te prosternas non meis quidem pedibus, sed ante pedes dei: tũ vt per eius gratiam, quæ semper ad manum præsto est his, quicunque non improba sponte repulerint, voluntatis tuæ libertatem (quam nescio stulténe magis, an impie nullam esse contendis) diligenter applices ad inuocandum diuini fauoris auxilium: quo & precibus tuis concesso, & assiduitate supplicis imploratiõnis adaucto, sic adnitere cooperari cum illo, vt ablegata primùm in cœnobiũ aliquod misera illa

*In sermone quodam ad populũ, Lutheri in crucem Christi blasphemia.*

*Katherinã de Bore mo*

*sialem intelligit, quã Lutherus in uxorem duxit, postquã per biennii inter scholares Wuitebergenses scortata fuerat.*

*Hæc animum tuum deberent maxime cruciare Luthere.*

mulierecula, Christi quondam sponsa, qua nunc in vtriusque damnationem, legitimi coniugij nomine abuteris ad scelestissimã libidinẽ, ipse per omnes vitæ tuæ dies reliquos lugeas & ingemiscas tecum multiplices errores in quos incidisti, immẽsum malorũ cumulũ quẽ tot in locis impij libelli tui conflarunt, miserandam pernicie tam numerosorũ corporum, quot incitãte te miserrime sunt perempta. Super omnia vero, maxime lamentabiles miserrimarũ animarum interminandos cruciatus, quas improba doctrina tua super numerũ præcipitauit ad inferos. Atque vtinam tibi tã efficax esset gratia, & tanta fortitudo spiritus, vt nullus terror periculi, nullus te mortis metus queat retundere quo minus audeas vltro mediis te turbis ingerere, & palam prædicare verum, damnans & detestans publice hæreses illas nefarias, quibus & voce multum, & magis calamo pestilenter infeciisti mũdũ, nec adhuc exhaustus tamẽ teterrimã eiusdẽ coni colluuiẽ conditã seruas in pectore. Istud quãto faceres fortius, tãto faceres melius: tãto magis & fidei negotio (cui tantum nocuisti) prodesses, & pro his quæ scelerate cõmi-

fisti, satisfeceres. Quòd si tibi nõ est tantũ gratiæ, si te præpediat humanæ carnis infirmitas, nec per terrorẽ sustineas hæreses & errores tuos apud eos quos corrupisti, reuocare præsens, apostolũ saltẽ Petrũ nõ dedigneris imitari, quãquã eius successores cõtemnis. Itaq; si nõ audes intus sateri verũ, sed abnegas & abiuras Christũ, exi saltẽ foras ab his quos ipse malos (in hoc dissimilis Petro) fecisti: & peccatũ tuũ amarè defleas, procul abdens te quopiã in religiosum cœnobiũ, vbi ad gratiæ remissionísq; fontẽ Christũ recurras, & salubrẽ agas admissorũ pœnitentiã, vbi recantare possis errores tuos in animæ tuæ salutẽ, citra periculũ corporis. Ibi reuocãdo lugẽdóq; pestilẽtes hæreses, & flagitiosa facinora, diuinę misericordię supplici & nõ nimis arrogante fiducia, gestu, verbis, animo publicani, procura salubribus assiduę pœnitẽtiæ fructibus cõ donationẽ præteritorũ scelerũ. Quam mutationẽ atq; emẽdationẽ tui, atq; aliorũ itẽ exẽplo tuo, nõ minus profecto libenter audiérim, quàm hactenus audire tristatus sum, & te, & per te plurimos miserrime passim perire.

*Lucæ. 22.*

*Lucæ 18.*

*Velîsne Luther respõsum clemẽtius hoc?*

FINIS.

ASSERTIONIS SEPTEM.

Sacramentorũ Index Alphabeticus.

A

AMbrosius coniuges ab amplexibus in quadragesima iussit abstinere. 48.b
Apostoli quando ordinati sint sacerdotes. 80.a
Appellatio Lutheri ad concilium friuola. 100.a
Aquæ miscendæ in calice, occasio. 32.a
Argutula Lutheri interpretatio. 18.b
Arrogantia Lutheri. 51.b
Argumẽtum validum ex Christi promissione contra Lutherum. 27.a
Attritio nimium displicet Luthero. 50.a
Authoris institutum. 96.b

C

CAlumnia aperta Lutheri. 58.a
Captiuitas Lutheri trina excutitur. 26.b
Casuum reseruandorum ratio. 54.b
Character in quibus sacramentis imprimatur. 68.b
Circunstantiæ peccatorum confitendæ. 56.b
Cœlibatũ sacerdotũ dãnat Luther⁹. 77.a

Cœna dominica expensa. 30. b
Comparatio elegans & efficax de sacramento. 19. a
Comparatio pulchra. 45. a
Comparatio Lutheri de ferro & igne, elusa. 25. a
Confessionis clancularię solida confirmatio. 53. b
Confirmationis sacramenti consideratio. 61. a & dein.
Confusio Lutherana. 54. a
Coniugij sacramentum fuisse apud omnes gentes. 65. b
Contritionis iustiores causæ, quàm quas Lutherus affert. 51. b
Credendum est ecclesiæ in sacramentorũ institutione. 61. b

D

Declaratio verborum substantialium sacramenti altaris contra Lutherum. 19. b
Deum curare opera nostra. 59. b
b. Dionysius nihil ad Lutherum, si Luthero credas. 63. a

E

Ecclesia omnibus euangelistis præposita. 65. a

Ecclesia habet discernere verbum dei à verbis hominum.78.b
Ecclesiæ fides in traditionibus valet.62.a
cur Episcopi soli baptizatis manus imponunt vt accipiant spiritum sanctum. 64.a
Exitus Luthero credentium.26.a
Exorcismi in ecclesia.46.a
Extremæ vnctionis consideratio.89.a

F

FIdelium coniugium cur potius sit sacramentum, quàm infidelium.66.a
Fides & ratione & scripturis suffulta.47.a

G

GRæcia Romano paret pontifici.9.b
Gratiam in sacramento matrimonij infundi.71.b.item in sacramento ordinis.81.b.88.b

H

HAereticos plerosque omnes scripturis niti.79.b
Heluidius.62.a.64.b
b.Hieronymus pro charactere.68.a
b. Hieronymus quantum Romanæ sedi deferat.9.b
Hugo de sancto Victore.44.b.62.b

I

IAcobi epistola asseritur authore Hieronymo.90.b
Iacobi epistola quàm grauis ac sancta, apostolicóque spiritu digna.95.b
Idem potest sumi & offerri.37.a
Impudentia vnica ratio est Luthero probandi omnia.106.a
Infantes olim ad communionem admittebantur.14.b

L

LAici sacerdotes Lutheriani.86.a
Leo decimus.6.a
Libertas Lutheri, Aegyptiaca seruitute deterior.16.b
Libertas transfugientiũ ab ecclesia Christi ad Lutherum.42.a
Lutherus matrem oppugnat.3.b
Lutherus caute legendus.4.b
Lutherus sibi ipsi cõtrarius.6.a.8.a.13.a.b
Lutherus libros suos deuouet igni.8.a
Lutherus nuper Bohemos detestabatur.8.b
Lutherus contrà facit ac docet.ibidem.
Lutherus vnum tantùm sacramentum admittit.11.a
Lutherus vt coluber vitandus.11.b

Lutherus quò tendat.11.b.12.b
Lutherus fugam meditatur ad Bohemos. 16.a
Lutherus adulterat Christi testamentum. 30.a
Lutherus nouus Esdras.34.a
Lutherus vel doctrina vel stultitia singularis.39.a
Lutherus Atlas.40.a
Lutherus populum à missa abigit.40.b
Lutherus Christianis summam decernit licentiam.47.b
Lutherus vndequaque constrictus.50.b
Lutherus in Labyrintho.51.a
Lutherus omnia confundit.54.a
Lutherus verborum prodigus.57.b
Lutherus ridicule ridet ecclesiam.69.a
Lutherus suis ipsius verbis victus.79.a
Lutherus cur irascatur Dionysio.83.b
Lutherus suo telo confossus de epistola Iacobi.91.a
Lutherus & corporum & animarum occisor.95.a
Lutherus apostatico spiritu digna scribit. 95.b
Lutherus cur tam infensus epistolæ Iacobi.95.b

Lutherus reliquit baptiſmum in contumeliam pœnitentiæ.97.a
Lutherus qualis in diſputando.97.a
Lutherus nouus doctorculus, ſanctulus & eruditulus.97.b
Lutherus ceu peſtis vitandus.98.b
Lutherus Proteus.97.b
Lutherus immedicabilis.98.b
Lutherus qua via graſſatur.99.a
Lutherus ſceleſtus.111.a
Lutheri ſuperbia.4.b
Lutheri fictio.5.b
Lutheri conſpicilia.8.b
Lutheri verba contumelioſa in totum clerum.15.a
Lutheri dolus deprehenſus.16.a
Lutheri inſignis miſericordia.17.a
Lutheri argumentum de articulo, retortum.19.b
Lutheri nugax argutia eluditur.19.b
Lutheri faceta illuſio.22.a
Lutheri præcipuum fundamentum ſubuerſum.35.a
Lutheri inſignis inſcitia.37.a
Lutheri mos perpetuus.42.b.61.a
Lutheri techna quàm diſsidet à ſimplicitate Pauli.48.b

Lutheri mos, notissima ceu ignota proponere. 49.a
Lutheri spiritus, qui illum secretorũ admoneat. 57.b
Lutheri inconstantia. 60. a. nugacitas. 61.a
Lutheri baculus arundineus. 65.a
Lutheri noua dogmata. 76.b
Lutheri insignis impudentia. 76.a
Lutheri ecclesia, ecclesia malignantium. 78.a
Lutheri cõtumelia in b. Dionysium. 82.b
Lutheriani sacerdotes laici. 86.a
Lutheri delirium. 88.b
Lutheri fides. 94.b. studium. 98.b
Lutheri apostasia & impuritas vitę, qui cũ moniali scortabatur. 110.b. & 129.a.
Luthero alia est papalis ecclesia, alia Christi. 77.a
Lutherani spiritus indicia. 110.b
Lutheriana vnctio homines reddit immortales. 94.b

M

MAchina Lutheri deprehensa. 76.a
M. Aemilij Scauri exemplum. 55.b
Matrimonij consideratio. 64.b

Matrimonij sacramentum ex Pauli verbis assertum. 67.a
Miraculis clarent, quos Lutherus damnat. 13.b
Missa sacrificium est. 33.b
Missa passionem repræsentat, nedum cœnam. 35.b
Missę excellentia. 39.b
Missam calumniatur Lutherus. 29.a
Modestia fraterculi Lutheri. 10.b
Mulieres rimarum plenæ sunt. 56.a
Mulieribus Lutherus permittit confessiones audire. 55.a
Mysteriũ bene vertitur in sacramentum. 69.b

N

NEmo scit se satis esse contritum. 50.b
Nuptiæ incestæ Lutheri cum moniali. 110.b.129.a.

O

OMne sacramentum est mysterium. 69.b
Opera nostra deo curæ sunt. 59.b.
Ordinis sacramenti consideratio. 76.a
Ordinis sacramentum non esse iterandum. 85.a

Ordinis sacramentum prophanat Lutherus.88.a

P

PAnis sacramẽtum, eucharistiam vocat Lutherus.11.b
Papatus amplitudo.9.a.antiquitas. ibidem.
Pauli verba de matrimonio expẽsa.67.a
Peccatorum reseruationes episcopis & papis.54.b
Petitiones Lutheri in disputando.98.a
Plumbea Lutheri ratio.86.a
Pœnitentia, secunda tabula.43.b
Præparatio Lutheriana ad eucharistiam. 41.a
Probitatis confidentia Aemilij Scauri. 55.b
Promissiones sacrificiorum veteris testamenti.34.b
de Purgatorio Lutherus.7.a

R

REcipienda esse quędam quæ nõ sunt scripta. 61.b
Repudij ius ademptum coniugibus ab ipso Christo.74.a
Rex nemo est Luthero, quia illi omnes

sunt reges.86.b
Romanæ sedis auctoritas.9.b

S

Sacerdotum cœlibatū damnat Lutherus.77.a
Sacerdotes nō nisi ab episcopis fieri. 88.b
Sacraméti definitio secūdū Lutherū.27.b
Sacramentum cōiugij fuisse apud omnes gentes.65.b
de Sacramentorum potestate duę opiniones.45.a
Sacramentis quàm tribuat Lutherus. 44.b
Sacrificia veteris legis a sacerdotibus sumebantur.37.a
Satisfactio necessaria est pœnitētib⁹.60.a
Satisfactionis consideratio.57.b
Spiritussanctus effugit fictum.5.b

T

Tempora plebi ad communicādum à Luthero statuta.41.b
Traditiones etiam esse recipiendas. 61. b & dein
Transsubstātiationis nomē quā vet⁹.22.b

V

Veniæ consequendę fiducia nimia in populo. 49.b

Vnctio extrema non in quouis morbo danda. 93.a
Vos estis regale sacerdotium, vt intelligatur. 86.a
Vouistæ, votarij. 47.b

FINIS.

# ASSERTIONVM REGIS ANGLIAE de Fide Catholica aduersus Lutheri Babylonicam captiuitatem defensio:

*AVTHORE R. D. IOHANNE Roffensi Episcopo.*



PARISIIS
*Apud Gulielmum Desboys sub Sole Aureo, via Iacobæa.*
1562.

REVERENDO ADMODVM
in Christo, patri ac domino, domino Ioanni
inclyto Roffensium Episcopo omnium vigi-
lantissimo, Frater Ioannes Röberch Kyr-
spẽsis, ex institutione Dominicana, Euã-
gelii Christi Praco. S. P. D.

RECepimus hisce diebus digniſ-
sime Præsul, post alia studiorũ
tuorum, aduersus pestiferã Lu-
theri hæresim præclara opera,
& alios duos libellos prælo cõ-
mittendos, alterum quo sacrum sacerdotium ab
iniuriis pessimi nebulonis vindices, alterum
quo eximas Christianissimum Regem Angliæ
Henricum octauum à falsis criminationibus,
quibus impudẽtissimus scurra Harpyiarũ mo-
re, tantæ celsitudinis maiestatem omni virtutũ
decore ornatam, haud verecũdatus est (in suam
malam rem) fœdare. porro leuissime tanquam
spongia abstergis quas maculas frustra immit-
tere tentauit Regiæ Maiest. cuius alioqui inno-
centissima probitas satis seipsa sit defensa.
Priusquam vero amplissime Pater, per epistolã
hortareris id actũ iri à Chalcographis, ne illorũ
diligentia in illis ipsis desideretur libellis, ego
iam calculum meum adiiciendi munus accepi.

Eo quippe tui amore in primis, & authoritate magnifici domini Rectoris huius nostri Cymnasii Magistri Arnoldi de Tongri, viri non vulgari eruditione, & multa probitate fulgentissimi, hanc prouinciam (vt impressores asserunt) mihi demandantis adactus fui, vt diligentia qua licuit homini multipharium occupato (nempe publicis & lectionibus sacræ Theologiæ, & diuini verbi declamationibus) molirer vtriusque libelli scripturas recognoscere. Quod vbi cepissem non parua auiditate, nihil molestius visum est, quàm non potuisse, tantum in illis animum oblectare, quantum desiderio legendi atque sæpius relegendi æstuabam. Mox equidem ab initio lectionis didici, hæc te non potuisse nisi eo spiritu qui omnem docet veritatem scribere. Quomodo nanque diuino spiritu non concitatus vel non afflatus ea scripseris, quæ nihil prorsus quàm diuinum amorem spirant, nihil quàm dei gloriam & honorem prætexunt, nihil nisi proximi (de quo vnicuique mandauit Deus) salutem prætendunt? Erant denique mihi eo gratiores quo te mihi ampliore veneratione habendum commendarunt. Qui acerrime cum impio hoste & omnium crudelissimo digladiaris, Christianãque religionem & sacrosancta catholicæ ecclesiæ sacramenta, ritus, & cæremonias, augiste

satis & fœliciter propugnas, vt nihil penitus subdubitem, quin glorioſum de tanta victoria apud omnes qui recte ſentiant, triumphum ſis relaturus. Quamquam igitur hactenus ego quæ aduerſus huiuſce farinæ homines, ſchiſmaticos, apoſtatas & perniciosiſsimos hæreticos, concepi, edere reformidem, ne rabidorum canum morſibus dilaniarer, vbi abſque comite incederem. Meaque proinde ſcripta in Caroloſtadium, Iuſtum Ionam, Ottonem Brunſuelſium, & nonnullos alios domi deliteſcere ſinam. Satius eſſe arbitratus mihi tyrunculo priuatim vires meas experiri in eorum dogmate cenſendo, & in palæſtra ſcholaſtica decertare ac è ſuggeſtu declamare, magis opportunũ videtur mihi, quàm quòd ego in arenam luctaturus deſcendam cum duræ ceruicis hominibus, & item Pharaone incorrigibilioribus. Qui non ſint populum dei à ſua captiuitate dimiſſuri, niſi in manu forti, & ore gladii. Quod ſi ſcriptis fides tutari queat contra eos, non deſunt veterani milites, qui in dies in campum prodeant multa phalange ſincerito toto conatu fidem ipſam propugnantes: quibus ſi opem tulero, etiam qualem inermes præſtare aſſolent, id æſtimo non ſine laudis præmio fore.

Quamobrem pater integerrime id muneris mei eſſe ratus ſum, ne deeſſem quo minus accu-

rate hi tui libelli, in Zoilorum blateronunque, qui nil nisi calumniari didicere, manus incidant. Ego proinde quæ inter legendum agnoui vel rariora, vel magis prægnantia, in marginibus adnotaui, simul & authoritatum sacri Canonis, quib⁹ niteris, loca designaui, ne calũniatores te arguant temeritatis, ac nudus & inermis Giganti occurrere præsumas, cum non prima fronte, veluti in propatulo conspiciant armaturam ex promptuario sacræ paginæ, qua vndequaque cinctus ornatusque incedis. Quod prudens & consulto non curaueris, tanquam obuersantibus sedulo in scripturis indicare, quæ notissima esse debebant. Quod si calculum citatis authoritatibus adiecisses (proculdubio quod iam aliis euenit) blaterones isti te ambitionis & arrogantiæ nota inurerent, ac si velis non nisi apparatu, authoritatũque numero potius obruere, quàm veritate vincere. Verum ego commonstraturus te virumque glorioſius præstare, effeci, ne criminareris vel asserta non probasse, vel ex locis obscurioribus, quæ absque longa disquisitione ad manum non sint, quandoquidem nemini non perspicuum sit, vnde deprompseris, quot in hostes iacularis sacræ scripturæ lapillos. Et demum ex grauioribus sensibus & magis peculiaribus congesti Indicem ordine alphabe-

fico, vt & segnioribus onus quærendi alleuiarem. Quod si hos labores meos boni consulas, Præsul omnium benignissime, vt persentiam in hisce tibi abs me gratificatum, ad longe grauiora me tibi obsequentissimum præbeo. Vale, ex ædibus Prædicatoriis vrbis Agrippinæ Colonia.

# EPISTOLA REVERENDISS. DOMINI Episcopi Ioannis Roffen. nuncupatoria operis.

Plurimum reuerendo patri & Domino meo amantissimo Domino Elienſi Episcopo.

PRæterierũt iam anni duo, chariſsime pater, ex quo bonam huius libelli partem legeras, & ita legeras, vt eius quod reliquũ erat perlegendi, magno te ſanctè affirmabas accenſum fuiſſe deſiderio. Quamobrem & nec ſemel per internuncios egiſti mecum, vt quamprimum à prælo rediret, tibi communicaretur. Ego pater hactenus emittere diſtuli, partim ob alia negocia quibus eram implicitus, partim quòd nõnulla ſpes quibuſdam fuerat, Lutherum ad ſaniorem mentem aliquando redituru. Nam rumor fuit, eum vnà cum aliquot è ſectatoribus eius meditari palinodiam, & partem aliquam eorum, quę male

prius docuerant, recantare velle. Quare vt respirandi spacium eis aliquod daretur, censui libellū hunc aut omnino supprimendum, si resipiscerent: aut impressionem eius in tempus aliud comperendinandam, si non ab erroribus suis interea desisterent. Cæterum, vt non ignoras, ipsi pergunt in amentia pristina: iam longe, quàm pridem fuerant, insaniores facti. Nunc enim inter se consensu mutuo, sacrorum Bibliorum partitis distributisque voluminibus, non pudet ea commentariis impiis fœdè corrumpere, & ad suarum hæresum nullo non loco peruersum contorquere sensum. Idque faciunt hac arte confisi, se facilè simpliciorum animis imposituros, quos vident sermonis lenocinio citra difficultatē trahi posse, vt suis pestilentibus erroribus fidem adhibeant, & syncerum id credant esse scripturarum intellectum, quicquid ipsi fallaci blandiloquentia sua fuerint interpretati. Sed digni profecto sunt quibus imponatur, qui salutaribus documētis tot insignium ecclesiæ catholicæ pastorum spretis, quorum vitę sanctimonia pariter & eruditionis syncericas tot & tā

clariſsimis miraculorũ indiciis à deo cõprobata fuit: huic fæci hominum, & (vt ne quid acerbius dicam) meris apoſtatis, animas ſuas credunt. Et quid mirum eſt, ſi fallatur in hiſce rebus vulgus, cui ſenſus in ſacris literis parum exercitati ſunt, vt diſcernant quid in illorum commentariis rectum ſit, aut quid erroneum? Nam quî fieri poterit, vt imperita plebecula ſuper iſtiuſmodi rebus iudicium vnquã ſanum ferat, in quibus & eruditiſsimi, niſi plurimum attenti ſint, crebrius hallucinantur? Sed hac de re longe pluribus infra capite vndecimo diſceptaturi ſumus. Nunc igitur auibus (vt ſpero) fœlicibus prodibit hoc opuſculũ, quod & dominationi tuæ dicandum cenſui, quippe quæ multis nominibus mihi chariſsima eſt, non ſolum quòd vt bonum paſtorem decet, tua præſentia diœceſim tuam exornas, & verbo dei plebem tuæ fidei cõmiſſam erudis aſſiduè, verum etiam quòd ad hæc certamina fidenter obeunda nos pridem animaſti plurimum. Adde quòd & à teneris annis mihi non parua tecum in ſcholaſticis exercitationibus fuerat cõſuetudo. Et quãquam in aliud ſtudij genus, nimirum vt

in legibus erudireris, in quibus & summū attigisti fastigium, exercitium tuum commutaueris, dialecticis tamen & philosophicis concertationibus vsque adeo cæteros præcellebas, vt ad hunc vsque diem vix quisquam reperiatur tanto ingenij acumine præditus, qui tibi, quum ingenij vires intenderis, non porrigat herbam. Tuo igitur iudicio fretus, libellum hunc iam tandem edidimus, & tuæ paternitati nuncupauimus vt posteritati futurum sit amoris erga te nostri perpetuum testimonium. Bene valebis Charissime pater ex Roffa, per eiusdem tuę paternitatis amantissimum.

# AVTHOR HOC IN PROLOGO TAXAT

*Lutherum, quem ad vnguem vsque depingit, asserens rationem atque materiam, simul & ordinem eorum quæ prosequetur.*

*Cantic. 2.*

CHRISTI vox in canticis est: Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Qua plane monet hæreticos esse capiendos antequam adolescant. Nam hi vulpinis fraudibus vineas, hoc est ecclesiam Christi demoliri studeant. Optarim igitur vt hãc vocem audiissent hi, quibus ex officio incumbit hæreticos, dum paruuli sunt, comprehendere. Neque enim hodie tam grauis esset in ecclesia tẽpestas & rerum omniũ perturbatio, SI LVTHERVS dum esset vulpecula, fuisset repressus. At nunc euasit in vulpem grandiusculam, annosam, & veteratricem, tot dolis, astutiis, artibus instructam, vt medium teneri difficillimum sit. Sed quid dixi, vulpem?

*Prælatorum negligentia nascuntur errores.*

*Malitia Lutheri depingitur.*

parum est: canem dixissem rabidum, imò lupum rapacissimum, aut sæuissimã quã- dam vrsam, quæ raptis catulis, furore quodam agitur: vel magis hæc omnia simul. Multas enim hoc monstrum intra se bestias alit. Sed & eiusmodi nomẽclaturis apprime gloriatur. Seipsum enim appellat vrsam & leænam. Nam & vtrãque se futurum catholicis pollicetur. Lutherum (inquit) habebitis vrsam in via, & leænam in semitã. In eiusmodi monstrum euasit ex vulpecula iam tandem Lutherus. Vulpem enim egit aliquãdiu fraudibus, mendaciis, subterfugiis. deinde canis factus est, impudentia, latratu, mordacitate. Lupum postea se præbuit rapacitate, feritate, laniatu. Postremo leænam & vrsam ostentat sese, furore, sęuitia, crudelitate. Portentosa certe belua est, adeo vt nec earum bestiarum, quas Daniel in mari vidit, horrenda monstrositas poterit huius vnius beluæ malitiam sufficienter exprimere. Oculos habet quasi hominis, quia nihil supra hominem videt, & tamen perinde atque si fuisset aliquãdo raptus in tertium cœlum, os eius ingentia loquitur: lingua præditus est virulentissi-

*Plurima mala efficit Lutherus.*

*Appropriata Lutheri metaphora.*

*Vulpes.*
*Canis.*
*Lupus.*
*Leæna.*
*Vrsa.*

*Danielis. 7.*

ma: dentibus armatur pluſquam ferreis, quibus & inſatiabiliter carnes hominum vorat, & comminuit omnia, conculcans pedibus quicquid eſt reliqui. Eiuſmodi ſane portentum Lutherus ex vulpecula factus eſt, talemque iam ſpeluncam in qua tuto delitescat comparauit ſibi, vt ſecurus omnem ſui putentis pectoris peſtilentiſsimum halitum ac letale virus hęreſum ſuarum in totum orbem efflet, neminéque non conuiciis, probris, contumeliis, atque id quidem quantum excogitare poterit acerbiſsimis infectatur, ſi quis ei contradixerit, vt nec regum alioqui potentiſsimorum vllam hæc belua ratione habeat.

*Luther' male à principibus defẽſatur ĩ perniciem eccleſiæ.*

*Regis Angliæ cõmẽdatio.*

Nuper enim, eius admonendi gratia, Rex Angliæ, non minus armis, quàm literis inclytiſsimus, quoſdam illius taxauit errores, hortatus ad reſipiſcentiam: cui quum debuit Lutherus, ceu pio monitori, gratias egiſſe, nullum tamen conuiciandi genus prætermiſit, quod non in ipſum iacularetur, & plus quàm cynicè. Neque enim aut ſacræ eruditionis, quam ipſe profitetur, aut reuerẽtiæ tanti principis reſpectũ vllum habuit, ſed velut inſanus & rabidus omnem ſui pectoris furiã in Regem

tam illustrissimum effudit, vt demirer quomodo quisquam illius dogmatibus fidē adhibeat, quum aduertat eum Christi mandatis tam aperte cōtrauenire. Sed miseram plebem ita iactabundis assertionibus, ac vanis pollicitationibus allexit & agglutinauit sibi, vt velut prophetam illum venerentur. Neque enim quisquam aut impudentius, aut arrogātius de seipso iactare poterit, quàm in eius libelli principio, quem aduersus eruditissimum Regem scripsit, Lutherus facit. Sic enim ait. Certus sum dogmata mea habere me de cœlo. Quia etiam aduersus eum triūphaui, qui in vngue nouissimo plus habet virtutis & astutiæ, quàm omnes papæ, reges, & doctores.

*Lutheri malicia et astutia vēto falsæ doctrinæ seducit vulgus.*

*Lutheri iactantia.*

O mirā arrogantiam. O mōstrum horrendum. O frontem impudentissimam. Quis vnquam audiuit beluam tam aperta mendacia de se prædicantem? Sexcentis eius libri scatent erroribus, & tamen affirmare non pudet se certum, sua dogmata se habere de cœlo. Ad quodlibet improperium à statu mentis deiicitur, & fit impos sui, & tamen de dæmonibus triumphare se gloriatur. Cæterū ne vitia quæ-

*Plurimi Lutheri errores.*

*Lutherus cõtorquet scripturas sacras.*

dam apertissima iactantiæ suæ fidem abrogent, ea subdole per scripturas, non absque vi contortas, tegere molitur, vti mox aperiemus. Nos ergo pro virili nostra dabimus operam, vt huius beluæ fraudes, mendacia, caninaque rabies, & impudentissima venditatio sui, quibus in libello contra Regem inuictissimum vsus est, quàm breuissime poterimus, detegãtur.

*Authoris intentio.*

*Materies & ordo agendorum.*

Sed futuram disceptationem, quo fiat apertior, in duodecim capita digeremus, iuxta seriem quam ille seruauit in libello suo.

CAPVT PRIMVM.

Lutheri iactabundam arrogantiam aperte mendacem esse.

SECVNDVM.

Apologiam item inanem, qua vitia quædam insignia tegere laborat.

TERTIVM.

De communicatione plebis, ecclesiæ cõsuetudinem obseruari debere.

QVARTVM.

Non manere substantiam panis cum sacrosancto Christi corpore.

QVINTVM.

Missam haudquaquam testamentum esse

Sextum.

SEXTVM.

Missam recte sacrificiū & opus ab orthodoxis vocari.

SEPTIMVM.

Strophæ quædam & mendacia cauillique Lutherani deteguntur.

OCTAVVM.

Missam non esse promissionem solam.

NONVM.

Quædam quæ Lutherus falso impingit illustrissimo regi, diluuntur.

DECIMVM.

Interpretationi quam de scripturis patres concorditer reliquerunt, fidem adhibendam esse.

VNDECIMVM.

Diiudicationem dogmatum ad patres potius, quàm ad plebem spectare.

DVODECIMVM.

Ordinem & matrimonium esse sacramenta, conferreque gratiam efficaciter.

De singulis igitur horum per ordinem disseremus.

# LVTHERI IACTABVNdam arrogantiam aperte mendacem esse. Caput primum.

I. PRincipio Lutheri iactantiam expendamus, qua se certum esse dicit, dogmata sua se habere de cœlo. Nescio quę Lutherus hic sua dogmata velit intelligi. Nā si placita decretaque Christi ea esse dixerit, nihil repugno, quin hæc è cœlo fuerint. Sin ea quæ præter sensum verborum Christi, Lutherus è suo cerebro perperam adiecit, hæc è cœlo nequaquam sunt. Atque hæc sola dici possunt Lutherana dogmata. Nam reliqua non Lutheri, sed Christi sunt. Talia nimirum sunt, quoties aut suas introducit hæreses plus quàm ex diametro sanctissimorum patrum institutis repugnantes, aut quum scripturas pro sui capitis insanis phrenesibus interpretatur, aut demum quum scripturas hactenus ab ecclesia receptas, pro sua temeritate, quodque suis commentis minime quadret, vel damnet, vel ceu damnatas reiiciat. Damnat autem in primis epistolam Iacobi, nępe quòd

*Varia in libris offenduntur dogmata.*

*Lutherus cripharia corrupit scripturas.*

*Epistolam Iacobi cur*

pe quòd ea suis hæresibus palam aduersatur. Cauillatur igitur eam haudquaquam apostolicam esse, quum tamen à singulis patribus passim approbetur atque inter catholicas ab vniuersa numeretur ecclesia. Sed aduerte quæso cauillum, optime lector. *Lutherus damnat.*

Sic enim in cõmentariis epistolæ prioris diui Petri scribit. Inde facile discitur, epistolã, Iacobi nomine inscriptã, haudquaquam apostolicã esse epistolam. Nullum enim prope elementum de his rebus legis. Summum momentum habet hic articulus fidei. Nam nisi resurrectio esset, nihil prorsus vel consolationis vel spei haberemus, frustraque essent quæcunque Christus tum fecit, tum passus est. Hactenus ille.

Vbi vides lector quam ob causam Lutherus epistolam Iacobi neget apostolicam esse, nimirũ quòd in ea Iacobus nullam de resurrectione Christi mentionem fecerit. Verum si propter hunc cauillum epistola Iacobi non erit apostolica, nec Pauli quædã epistolæ (præsertim ea quæ ad Philemonem inscribitur, & vtraque ad Timotheum) erunt apostolicæ, quum *Nõ passim agit Paul. de resurrectione.*

in his de resurrectione nec verbum quidem vllum habeatur.

Adde, quòd ad hunc modum neque posterior epistola Petri, quam tamen apostolicam Lutherus approbat, erit apostolica, quum etiam in ea nihil de resurrectione Petrus loquatur. Quare si cauillus ille foret admittendus, multas ex epistolis quas ecclesia recipit, nos reiiceremus.

*B. Iacobus meminit resurrectionis. Iacobi. 5.*

Cæterum etsi Iacobus de resurrectione non expresse meminerit, meminit tamen & passionis, & aduentus futuri, quæ duo nequaquam absque media resurrectione queunt intelligi. Meminit item & potentis verbi, quo regenerati sumus, idque sine eisdem ferme verbis quibus & Petrus de eodem loquitur. Nam Petrus ita de

*1. Petri. 1.*

deo scribit. Qui regenerauit nos in spem

*Iacobi. 1.*

viuam. Iacobus autem ad hunc modum Is destinata voluntate progenuit nos sermone veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ suæ. Simile quiddam & Paulus

*Hebr. 3.*

ad Heb. dicit. Participes Christi facti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmũ tenuerimus. Hoc certe quòd à Christo regeniti simus & participes eius facti per initiũ substãtiæ eius

*In verbo regenerationis ẽã*

vim refert & resurrectionis, & natiuitatis, & passionis, atque adeo cuiuslibet alterius negocij, quod nostri causa suscepit Christus. Quamobrem neque sanum est istud Lutheri dogma, nec è cœlo manasse credendum est.

*mysteria humanitatis intelliguntur.*

Alterum est Lutheri dogma, nempe quòd Petrus & Paulus, imò beatissima virgo, Christi genitrix, nihil plus aut dignitatis aut honoris habeat quàm quilibet alius Christianus. Sic enim & in eisdē commentariis traditur ad verbum.

II.

Quia vero renati sumus filij & hæredes dei, pares sumus in dignitate & honore D. Paulo, Petro: S. deiparæ virgini, ac diuis omnibus. Habemus enim eūdem thesaurum à deo, bonaq; omnia tam largiter quàm ipsi. Siquidem & ipsos nō secus atque nos renasci oportuit. Quare nō plus habent quàm quilibet reliqui Christiani. Hæc Lutherus illic.

Verum ista scripturis palā aduersantur. Nam qui fidem & gratiam præ cæteris cumulatiorem acceperunt, eos haud dubie plus accepisse credendum est, quādoquidem eatenus aut pluris aut minoris quiuis Christianus habendus est, quatenus am-

*Amplior dignitas & honor debetur his qui gratiā præstant.*

pliorem fidem & gratiam est consecutus. Et quãquam omnes de plenitudine Chri-
Ioan. 1. sti nonnihil accepimus, vti Ioánes tradit, non tamen æqualiter singulis impartitum
Roma. 12. est. Nam vt Paulus ad Ro. ait, Habemus dona iuxta gratiam nobis datam varia. Et
Ephes. 4. rursum ad Ephe. Vnicuique nostrum data est gratia, iuxta mensurã donationis Chri-
Roma. 12. sti. De fide quoque Paulus ait, eam nõ ad eandem mensuram singulis esse traditam. Atque ideo iubet ne quis arrogãter de se sentiat, sed vt cuiq; deus partitus est mensuram fidei. Et profecto nisi fides esset in aliis tenuior, in aliis copiosior, non dixis-
Luca. 17. sent ad Christum apostoli: Domine adauge nobis fidem.

Adde, quòd fidem in Petro laudauit
Luca. 22. Christus, & tamen alibi vocat eum homi-
Matt. 14. nem pusillæ fidei. Atqui si fuerint omnes renati, non tamen in ipsa renascentia singuli parem omnino donationem acceperunt. Et constat item beatam virginem, priusquam ex aqua renasceretur, plenam fuisse gratia, gratiamque præ cæteris peculiarem apud deum inuenisse, atque eam sane multo cumulatiorẽ quàm alius quiuis præter Christum, inuenerit vnquam.

*Maria ante baptismum fuit plena gratia.*

Neque dubium cuiquam esse potest, quin si gratiæ quicquam adiici potuisset, posteà per animi sui consensum longe copiosiorem acceperit. Sed quid multis moror? hoc dogma, profecto, si tamen glossa non adhibeatur, patentioris insaniæ est, quàm vt egeat pluribus confutari.

III. Sustulit insuper suis dogmatibus arbitrij libertatẽ Lutherus, deumque prædicat in nobis & bonorum & malorum authorem, atque id apertissime contra scripturas. Nam, vt innumeras alias prætermittam, Petrus in epistola priori sic ait. Patrem inuocatis, qui citra personarum respectum iudicet iuxta cuiusque opus. Ecce lector, secundum opus vniuscuiusque, & citra personarum respectum, deus cunctos iudicat. At quomodo non erit personarum respectus apud deum, si me deus adigat ad peccandum, & in me nihil præter opera mala producat? Si mihi sit malorum operum author, & contrà bonorum alteri, quomodo non illius personam respicit benignius quàm meam, aut quomodo iustè iudicabit me secundum opera, quæ mea non sunt, neque libero meæ voluntatis arbitrio patrauerim vn-

*Deus nõ est causa peccati.*

1. *Pet.* 1.

quam? Consimiliter idem Petrus in actis
Acto. 10. ait idipsum recensens. Re (inquit) ipsa comperio, quòd non sit personarũ respectus apud deum, sed in quauis gente, qui timet ipsum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Ecce, si ego mea sponte iustitiam non operor, frustra sperabo me deo fore acceptum. & contra, si eam operer, acceptus ero, quum apud eius tribunal nullus sit personarum respectus, sed operum, siue bonorum, seu malorum, quæ per eos operata sunt, iustum examẽ fiet: atque ita de singulis, iuxta districtæ iustitiæ libramentum, iudicium rectè feretur.

IIII. Docet insuper, iudicium de scripturis, hoc est, quid euãgeliũ sit habendum, aut secus: & quid apostolica epistola, aut non apostolica, id ad omnes ex æquo spectare christianos, perinde atque nihil pro iudicato sit tenẽdũ, quicquid citra apostolorũ tẽpora maiores nostri iudicauerint, quãtauis eruditione fulserint, aut vitæ sanctimonia miraculisve claruerint. Quod dogma quantum contineat impietatis, nemo qui non insanus fuerit, ignorare potest. Nam si vnquam in ecclesia syncerũ

& exactum solidumque fuisset iudicium, profecto fuerat in his qui temporibus apostolorum erant viciniores, quique pro fidei suæ tum magnitudine tum puritate copiosius diuinorum charismatum fulgoribus illustrati sunt. Quamobrem si Christianis iam extantibus licebit in dubium reuocare, quod maiores nostri suis antea iudiciis comprobauerint, quid vnquam in ecclesia certum, firmum, stabile, futurum sperari queat? Sed de hac re pluribus alibi. Neque tamen istud interea prætermittemus intactum. Dicat velim Lutherus. An credat maiores nostros (de priscis illis loquor) fidem habuisse veram nec ne? Si non credat, quis iam non intelligit, quàm sit ab omnibus iure exibilãdus? Sin credat eos veram fidem habuisse, tum non effugiet, quin confiteatur eorum iudicium verum & firmum a cunctis habendum esse. Nam sic in commentariis epistolæ Petri scribit.

*Veteres certius iudicabant.*

*Lutherus asserit fideles quosque recte iudicare.*

Fides res est tam eximia atque magnifica, vt per eam rerum omnium quæ ad salutem pertinent, certam & claram cognitionem habeamus, potẽtes iam de omnibus quæ in terra sunt, iudicare atque li-

„ bere pronunciare. Hæc doctrina synce-
„ ra, illa falsa est. vita hæc proba est, illa re-
„ proba. hoc factum bene, illud secus. Et
„ quicquid istiusmodi homo definit, id ita
„ se habet ac verum est. Non enim potest
„ falli, sed seruatur & custoditur virtute
„ dei, manetque iudex omnis doctrinæ.
Hæc Lutherus.

In quibus verbis perspicis lector, eum qui fidem habet, potentē esse, vt de rebus singulis iudicet, eius quoq; iudiciū verū esse, nec falli posse. Quare quum ipsi maiores nostri fidem veram habuerint, consequitur etiam vel ipsius Lutheri sententia, quòd eorum iudicium falli nō potuit. Quod si iudiciū illorum ratum fuerit & stabile, quomodo non per illorum iudicium cæterorum omnium iudiciis, quicūque diuersa iudicauerint, penitus erit præiudicatum? Quocirca quum Lutherus aduersus omnes illos iudicium tulerit, palā est eius iudicium inane, falsum, erroneumque esse.

*Iudiciū Lutheri falsum.*

Cōsequitur igitur ex iam dictis, vt quicquid de sacramentis, de contritione, cōfessione, & satisfactione, de missa, de testamento, de communicatione sub vtra-

*Corollarium. Capita errorum Lutheri.*

que ſpecie, de ſacerdotio, de votis, de primatu Romani pontificis, de præceptis, de peccato, de bonis operibus, de purgatorio, de excommunicatione, de poteſtate abſoluendi, deque cæteris id genus quibuſlibet aduerſus maiorum noſtrorum vnanimem ſententiam Lutherus docuerit, id à veritate penitus alienum cenſeri debeat: tantumque abeſt vt è cœlo veniſſe credatur, vt ab inferis potius & ab ipſo tenebrarum principe Satana neutiquam dubitetur inſpiratum fuiſſe.

V. *Mẽdacia Lutheri cõuincuntur ex propriis eius verbis.*

Cæterum vt os eius non niſi mendaciis natum, ſuis ipſius verbis aperte conuincamus, legatur epiſtola quam calci commentariorum ſuorum appoſuit ad Conradũ Pelicanum inſcripta, vbi cernes lector ipſum tria confiteri. Primum, quòd vndecimo pſalmo turpiter errauerit. Sunt enim eius verba quæ ſequuntur.

*Primus error.*

Si non eſt excuſus pſalmus. xj. velim deleas in fine vltimæ paginæ literæ B. 12. verſus, cum tribus ſequentibus verſibus literæ C. Vides enim quàm ibi fœdè errauerim in vocabulo סביב. Hacten⁹ ille. Ecce errorem vnum, quem nec ipſe poterit inficiari. Alium rurſus errorem fa-

*Secundus error.*

tetur ex psalmo.13.Sic enim ait in eadem epistola.

„ Iam quod oblitus psalmo.13.quicquid de
„ verbo מַשְׂבִּיל somniani, per .26. versus
„ dele quæso.

Ecce tam aperti sunt errores isti, vt nullis mendaciorum fucis Luthero liceat eos palliare. Et tamen hos in suggesto publicè docuit.

Nam in eadem epistola paulo superius id ipsum testatur de eisdem commentariis loquens.

„ Voce(inquit) viua multum auditoribus
„ & lucis & gratiæ accedit, quantum cahos
„ istud literarum neque habet neque capit.

Quis iam affirmabit hæc dogmata è cœlo venisse? Sed audi lector & tertiũ quod in eadem epistola dicit. Monuisse videtur Pelicanus illum de maledicẽtia & immodestia, qua ferocit in omnes. Cui Lutherus respondet.

*Lutherus non est sui ipsius compos.*

„ Recte(inquit)mones modestiæ me. Sen-
„ tio & ipse, sed compos mei non sum. Ra-
„ pior, nescio quo spiritu, cũ nemini me ma
„ le velle conscius sim. Verũ vrgẽt illi etiã
„ furiosissime, vt Satanam non satis obser-
„ uem. Hæc Lutherus.

Hic discе lector non esse compotem sui Lutherū, nempe quòd à spiritu satanico rapiatur. Et quāquam dicat primum se nescire quo spiritu, subiungit tamen postea, se non satis obseruare Satanam. Nam huius haud dubie spiritu concitatur & agitur in has tam insanas furias. At vide quàm aperte mentiatur. Ait enim se nemini male velle, quum tamen famam, rem omnium precioſiſsimam, suis probris & conuiciis cuique qui sibi contradicit, eripere studeat. Cæterum hactenus ista recensui, vt candidus lector intelligat qualia sint Lutherana dogmata, de quibus dicit sēcertum esse quòd habuerit ea de cœlo. Et ego sane, si more Luther scripturas torquere vellem, possem etiā ostendere Lutherum ea dogmata de cœlo susceпisse. Nam & Christū dixisse memini: Vidi Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Is forte secum attulit è cœlo dogmata, quæ Luthero submini ſtraret. Ego certe nulla prorsus alia ratione fieri posse comperio, quòd è cœlo tam pestifera Lutherus hausisset dogmata. Nam & Satan ipse est, aduersus quem se triūphasse Lutherus iactitat. Aduersus eū (inquit): trium-

*Mendacia Lutheri aperta.*

*Luce. 10.*

„ triumphaui, qui in vngue nouissimo plus
„ habet virtutis & astutiæ, quàm omnes pa-
„ pæ, reges, & doctores. Quis enī alius hic intelligi potest quàm Satan, quem in vngue nouissimo tantam habere virtutem & astutiam asserit? Quòd si de Satana Lutherus triūpharit, quid ni pariter & illius diripuerit spolia? hoc est omnia mysteria diabolica. Et profectò nisi totus esset spiritu satanico plenus, nunquam aduersus optimum regem, & orthodoxæ fidei cultorem, defensorémque præcipuum, tantū bilis, imò fellis & veneni potuisset euomere.

VI. *Lut. animo fallendi fingit dogma sunum è cœlo esse.*

Sed procul dubio vel fingit ista Lutherus, quo maiorem apud vulgum sibi comparet authoritatem, vel turpissime fallitur. Nam qua ratione certus esse potest de cunctis suis dogmatibus, quòd è cœlo fuerint, nisi planè fuisset id ei reuelatum? Imò si reuelatum id ei fuisset, reuelationes tamen eiusmodi plerumque fallunt. Nam quæ putātur à deo manasse, plerunque comperiuntur à malignò prodiisse spiritu. An non dicit Paulus: Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis? Et in. 3. Reg. nonne legitur quòd dixerit spiritus

*2. Corin. 11.*

*3. Reg. 22.*

quidam

quidã ad dominum: Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum Achab? Sed & nostris temporibus erat vir non indoctus Hieronymus Florẽtinus, qui multa constanter Florentinis prædixit euentura: qua ratione mirificam à populo simul & principibus comparauit sibi gratiam. Cæterum quòd post eius obitum nihil eorum acciderit, quæ pridẽ vaticinabatur, eo discerniculo plane iam constat (si Hieremiæ credimus) illius prędictiones haudquaquam à deo fuisse. Sic enim cap. 28. Hieremias ad Ananiam falso prophetantem dixit. Propheta qui vaticinatus est pacem, cum venerit verbũ eius, tunc scietur propheta quem misit dominus in veritate. Delusus igitur (vt videri potest) ipse Hieronymus fuit, tametsi vir insignis erat, verboque & vita (quantum humano iudicio sciri potuit) venerandus, nec latum vnguem vnquam ab orthodoxis patribus in doctrina sua dissidens, nisi quòd excommunicationem in se latam contempserit, & docuerit ab aliis esse cõtemnendam. Quòd si reuelationibus ille vir tantus & tam catholicus potuit seduci, quam nos de Lutheri reuelationibus

*Iohan. Frã. Picus Mirandulan⁹ in apologia sua excusat eũ, & Florentini adhuc summa veneratione eũ colunt.*

habere possumus certitudinẽ? Ille quamquam sibi graues ab Alexandro tum summo pontifice visus fuisset iniurias accepisse, nunquam tamen in eius authoritatẽ oblocutus est, sed tantum in authoritatis abusum. Fuit enim ingenti modestia, humilitate, patientia, charitate prędítus. Nũquam in pontificiam dignitatem, sed in vitam & mores inuectus est. Neque quicquam vnquam docendum præsumpsit, quod esset contra communem ecclesiæ catholicæ fidem. At Lutherum haudquaquam pudet ecclesiæ dogmata conuellere: patrum sententias contemnere: pontifices optimos & sanctissimos impostores vocare: authoritatem quam Petro Christus cõtulit, pro nihilo ducere. Reges eximios conuiciis & cõtumeliis afficere: plebem pernicioſissimis hæresibus inficere: cœlum & terram replere mendaciis: & tamen adeò perfrictæ frontis est, vt certum esse se iactitet omnia sua dogmata se habere de cœlo.

VII. Sed videamus primũ quid habeat vulpes ista, quod suæ prætexat maledicentiæ.

„ Rex (inquit) impetiit prior. At regem id iustissime fecisse mox fiet apertissimum.

Sed

Sed acerbius insectatus est. At Paulus ait: «
Bene loquamini de iis qui vos insectãtur. «
Sed verbis incessiuit asperis. Quid tum? «
An non Paulus vetat ne cuiquam malum «
pro malo reddatis, neque maledictum pro «
maledicto? Sed iniuriam istam ferre non «
potui, nec alius patebat vlciscẽdi modus. «
At potius audire Paulum debueras, qui sic
monet: Non vosmetipsos vlciscẽtes dilecti, sed date locum iræ. Nunquam equidẽ *Roma. 12.*
aliquis mihi persuadebit se viciſſe Satanã, *Iohan. 8.*
nisi prius ipse seipsum vicerit. Quisquis
ab ira vincitur, is iræ seruus est & peccati, *2. Petri. 2.*
Satanæque mancipium, atque stulte iactitat se de Satana triumphasse. Neque enim
Lutherus defendere potest, quin ira graue peccatum sit, & maxime quũ alibi palam affirmet, in omni opere, quantumuis
bono, peccatum esse. Non potest igitur
non esse graue peccatum ira, quando quidem & irascentem fratri Christus gehen- *Matth. 5.*
næ ignis reum facit. Quòd si propter irã
qua fratrem suum quis fatuum appellat,
hunc Christus reum facit gehennæ ignis,
quanto magis qui principem, & eundem
optimum, ac fidei Christianæ cultorem
pientissimum, tot blasphemiis impetiit?

Istud haudquaquam sapit Christi spiritum, sed plane diabolicum. Nam Christi
Roma. 13. spiritus in Paulo iubet, vt omnis anima potestatibus excellentibus subdita sit. Iubet & honorem eisdem impendi, quum non sine causa gladium gestent. Lutherus verò nec principis aut regis in vlla re maiorem quàm infimi cuiuslibet homuncionis rationem habet. Quis enim, nisi prorsus insanus & amens, in abiectissimum homuncionem ita fureret, ac tantis intemperiis totque furiis effreneſcentem iracundiam effunderet, atque Lutherus in regem & eundem inclytissimum debacchetur? Multo satius esset profecto sacras omnino nescisse literas, quàm eisdem aperte contrauenire. Sed quid de
*Lutherus omnib⁹ prĩcipibus cõuiciatur.* principibus regibúsve loquor? Cæsaris ipsius iussa Lutherus contemnit, neque summo pontifici quicquam censet honoris deferendum, imò contra probris eum afficit, conuiciis onerat, contumeliis insectatur. Paulus olim quum per ignorantiam, ei qui princeps esset sacerdotum
Actor. 23. maledixisset, eo quòd is præter legem iussisset illum percuti, mox tamen vt fuerat admonitus eum fuisse principem sacer-

dotum, suam ignorantiam excusauit dicens: Nesciebam fratres, quòd princeps esset sacerdotum. & protinus adiecit, Scriptum est,

Principi populi tui non maledices. Hanc reuerentiam Paulus exhibuit principi veteris sacerdotij, quod alioqui non dubitauit antiquatum fuisse. Et Lutherus eum qui non veteris, sed noui & æterni sacerdotij princeps est, nempe Christi vicarium, & apostolorum principis indubitatum successorem, omni maledicentiæ suæ virulentia conspurcat. Paulus admonitus humiliter obtemperauit, honorem illi sacerdotio deferens: at Lutherus tantum sibi licere contendit, vt nullum agnoscat superiorem, nullius potestatem reuereatur, nullis denique legibus teneri se permittat, certus quicquid dixerit, id habere se de cœlo, seque de Satana triumphasse penitus. O nimis quàm impudentem hominis arrogantiam. O caput insanissimum. Quis ista non perspicit mera esse mendacia? Et tamen Lutherus vsque adeo malitia est excæcatus, vt hac tam arroganti gloriatione toti orbi se sibi persuaserit impositurum. *Exod. 22.*

VIII. Sed neminem opinor vsqueadeo leuem esse, vt iis tam crassis mendaciis facilè fidem adhibeat. Neque enim exiguæ res est aduersus Satanam triumphare, quando Iob dixerit non esse potestatem super terram, quæ comparetur illi. Magnum est si quis ei restiterit, maius si vicerit, at triumphasse maximum est. Vix istud verbum Christo scripturæ tribuunt, nisi post illam eximiam crucis victoriam, quando Paulus dicit Christum expoliatos principatus & potestates ostentasse palam triumphantem illos per semetipsum. Et quanquam aliàs cum Satana cõflictatus esset, eundemq; ter confutauerit, Lucas tamen quid scribit? non vtique quòd triumphauerit de Satana Christus, sed quòd consummata omni tentatione, diabolus ab illo recesit vsque ad tempus. O rem mirandam. Christus non nisi mortuus de Satana triumphauit: at Lutherus iam triumphat adhuc in carne peccatoque viuens.

*Triũphare aduersus diabolum difficile est. Iob. 41.*

*Coloss. 2.*

*Matth. 4.*

*Luce. 4.*

Sed & si quis dæmoni cuipiã restiterit, non istud suis viribus asscribere debet, sed magis gratiæ dei. Diuus enim Paulus quum ob iustas causas ingentia quædam de se

*1. Cor. 15.*

de se prædicarit, subdit tamen: Non ego, sed gratia dei mecum.

At Lutherus quum aduersus Satanam adeo magnifice se triumphasse gloriatur, nec verbum quidem vllum facit de gratia dei. Paulus his qui vicerint, relabendi metum incutit, dicens: Qui stat, videat ne cadat. Et alibi: Tu fide constitisti? ne efferaris animo, sed timeas. *1. Cor. 10. Roma. 11.*

Lutherus iam triũpho potitus, perinde securus gloriatur, quasi non posset relabi. Diuus Petrus quanquam spiritum sanctum visibiliter accepisset, non tamen vsque adeo firmatus erat, quin posit relabi: & vt Lutherus author est, postea reuera mortaliter peccauit. At Lutherus aduersus Satanam adeo triumphauit, vt non posit denuo captiuari.

Cæterũ ex eo fortasis Lutherus colligit se triumphasse, quòd desperationem euaserit, qua non semel insinuat se fuisse grauiter impetitum. Verum desperatio nemini contingit, nisi propter horrenda quædam & abominanda flagitia, qualia si se commisisse Lutherus fateatur, & nũc adhuc pergit in his quæ nihilo sunt leuiora, hoc est inimicitiis, litibus, æmula- *Quibus vitiis Lutherus sit implicitus.*

tionibus, iris, concertationibus, seditionibus, sectis, inuidiis, & his similibus, quæ
Galat. 5. Paulus ad Galatas inter opera carnis numerat, & prorsus affirmat quòd qui talia agunt, regni dei hæredes non erunt: quomodo non pudet eum gloriari quòd aduersus satanam triumphauerit? aut quomodo certus esse potest quòd habuerit è
Sapien. 1. cœlo sua dogmata? Nam sapientia quæ de cœlo est, si libro Salomonis credimus, in animas sanctas se transfert, non in eas quæ tantis furiis & flagitiis inquietantur. Et Iacobus apertissime docet Lutheri sapientiam è cœlo nequaquam esse. cap. 3. Quis (inquit) sapiens & scientia præditus inter vos? ostendat ex bona conuersatione opera sua cum mansuetudine sapientiæ. Quòd si æmulationem amaram habetis, & contentionem in corde vestro, nolite gloriari & mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia è supernis descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim æmulatio & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autem è supernis est sapientia, primum quidem casta est, deinde pacifica, modesta, tractabilis

bilis. Hæc Iacobus.

Ecce vides optime lector, quòd si Lutherus è cœlo suam haberet sapientiam, esset castus, conuersatione mansuetus, & pacificus, modestusque & tractabilis, expers item æmulationis, contentionis, & omnis amarulentiæ. Quamobrem quum ille contrà prætergressus omnem modestiam ita furiat, insaniat, debacchetur in omnes qui suis peruersissimis hæresibus aduersantur, manifestum est eum non è cœlo cuncta sua hausisse dogmata, sed à Satana potius (aduersus quem se triũphasse iactitat) afflatum esse. Cæterum ad reliqua iam transeamus, quibus adhuc euidentius apparebit neutrum horum verum esse, hoc est, vel è cœlo venisse Lutheri dogmata, vel eum de Satana triumphasse.

*Sapientia Lutheri non est è cœlo.*

Apologiam item inanem, qua vitia quædam insignia tegere laborat.

Cap. II.

I. SEcundo loco Lutherus apertissima quædam sua vitia tegere conatur, & de duobus in primis nititur se purgare, de quibus rex illustrissimus illum taxauit obiter. Altero, quòd erat sibi contrarius. Altero, quòd conuiciis infectatus fuisset pontificem. Sed attende lector quanta versutia rem suam agit versipellis iste. Nam eum omnino male habet, quòd hæc duo sibi fuerint obiecta, quum ex isto plane consequatur victum potius à dæmone Lutherum, quàm de dæmone triumphasse. Ex illo quoque conficitur, quòd è cœlo nequaquam fuerint illius dogmata. In his duobus itaque amoliendis, multa verbositate gannit & garrit Lutherus, quanquam profecerit nihil, vt postea fiet perspicuum.

*Luthe. frustra molitur sese purgare de vitiis sibi obiectis.*

II. Sed miraberis forte lector, cur tã enixe argumentis suam inconstantiam purgare studuerit. Nimirum, quòd dolosa vulpes perspiciat, id vitium haud mediocriter apud omnes authoritatem sibi detracturum. Nam quum inconstantia cuiuis magistro turpis sit, ei cum primis qui sua do-

*Luth. incõstantiæ timet argui.*

gmata iactitat habere se de cœlo, non solum turpis est, verumetiam probrosa, pudendaque, sed & fidem cæterorum prorsus abrogat dogmatum. Nam qui dicit omnia sua dogmata se habere de cœlo, quũ primum vel in minimo fuerit mendacio deprehensus, nullam in cæteris meretur fidem. Et profecto Lutherus in seipsum sententiam imprudens tulit, quum Regi pridem sic obiecerit.

*Luthe. proprio ense iugulatur.*

Curandum est (inquit) aduersus hæreses scripturo, vt ne suspicio falsi in eo deprehendi possit. Nunc ergo quum sese totum inuoluat mẽdaciis, quis credat vlli parti scriptionis eius? Hæc Lutherus aduersus regem.

Sed regeremus hoc ipsum lõgè facilius in Lutherum. Nam si tantopere curandũ ei sit, qui contra hæreticum scribit, ne quicquam in se falsi deprehendi possit, multo magis id ipsi curandum est, qui iactitat omnia sua dogmata se habere de cœlo: quoniam si vel vnum in eo mendacium deprehendatur, id satis fuerit ad cætera cuncta quæ docet, penitus explodenda. Cæterum quàm immunis à mendacio rex illustrissimus fuerit, quantisque con-

trà Lutherus mendaciis seipsum inuoluerit, ex dicendis erit apertissimum.

III. Sed primum obserua Candide lector, quibus technis hic Lutherus vtatur. Insimulat regem illustrissimum, exemplum nullum attulisse, quo Lutherana conuinceretur inconstantia. Sic enim ait:

» Nec vnum quidem locum profert saltem
» exempli gratia, quo meam inconstantiam
» conuincat. Solum rhetoricatur glorioſus
» rex, hoc modo. Lutherus sibi pugnat, quis
» ei credat? Sic dixisse satis fuit nouo defen-
» sori ecclesiæ. Hæc ille.

Cæterum vt perspicias hic lector, non modo Lutheri stropham, verumetiam apertissimum eius mendacium, ipsius illustrissimi regis verba subiiciã, quibus ipse, quum de indulgentiis loqueretur, Lutherum breuissime perstrinxit, velut inconstantem, & sibimetipsi contrarium. Sic enim scripsit.

*Exempla regis de inconstantia Lutheri.*

Ante fassus est Lutherus indulgentias hactenus saltem valere, vt præter culpam etiam à pœnis absoluerent, quascunque videlicet vel ecclesia statuerat, vel suus cuique sacerdos iniunxerat. Nunc vero non eruditione (vt ipse inquit) sed mali-

tia tantum profecit, vt sibiipsi contrarius indulgentias in vniuersum condemnet.

Ecce lector exemplum vnum quod rex ipse protulit, quo perspicue docetur Lutherum sibi contrarium esse.

Adhuc alterum accipe. Prius papatum Lutherus negauerat esse diuini iuris, quamquam humani fuisse concesserat. Nunc verò secum dissidens, neutrius iuris esse confirmat.

Accipe rursus tertium. Bohemorum schisma detestabatur, quòd se ab obedientia Romanæ sedis abscinderent, pronuncians eos peccare damnabiliter quicunque papæ non obtemperarent. Nunc in idem quod tum detestabatur, incidit.

Audi præter hæc & quartum. Quin istud quoque similis est constantiæ, quòd quum in concione quadam ad populum, excommunicationem doceat esse medicinam, & obedienter patienterque ferendam, paulo post excommunicatus ipse, idque meritissimo iure, sententiã tamen tam impotenter tulit, vt rabie quadam furibundus in contumelias, conuicia & blasphemias, supra quàm vllæ pos-

sint aures ferre, proruperit. En audisti lector quatuor exẽpla simul vno loco prolata, quum tamen Lutherus mendaciter asserat nec vnum quidem exemplum Regem protulisse. Sed neque tam breuibus cum rex taxauit, atque Lutherus recensuit. Sic enim regia celsitudo: Quid attinet cum eo pugnare, qui pugnat ipse secum? Quid argumentis promoueam, si cũ eo agam, vt donet quod ante negauit, qui nunc idipsum negat, quod ante donauerat? Hæc ipse rex. Vides ergo lector bis hoc vno loco mendacem esse Lutherum, semel, quòd negauerit regem exemplum aliquod inconstantiæ suæ protulisse: atque iterum, quòd falso recẽsuerit, ac vim argumentationis regiæ fraudulenter subticuerit, affirmans regem nihil aliud dixisse, quàm hoc modo, Lutherus sibi pugnat, quis ei credat? Et subdit. Sic dixisse satis fuit nouo defensori ecclesiæ, O perfrictæ frontis hominem, quem nihil pudet tam aperte mentiri. Ex hoc etiam collige lector, quot ipse totus libellus mendaciis scateat, quum hoc vno loco bis mendax esse deprehendatur. Patet insuper non vno solum exemplo, sed pluri-

*Bis Lutherus in eodẽ mẽdax est.*

bus per ipsum regem productis Lutherũ sibi contrarium esse.

Hic optarim, pij lectores ad memoriã reducerent, quàm constanter Lutherus olim, quum sua dogmata cœperat publicare, protestatus esset.

IIII. *Lut. absq; controuersia secũ pugnat.*

Protestor (inquit) me nihil dicere, aut tenere velle, nisi quod in & ex sacris literis primò, deinde ecclesiasticis patribus ab ecclesia Romana receptis huc vsque seruatis, & ex canonibus, ac decretalibus pontificiis habetur, & haberi potest.

Sic enim olim protestabatur, nunc autem quid?

Contestatos (inquit) esse vos volo, me prorsus nullius quantumlibet sancti patris authoritate cogi velle.

Hoc quantum ad patres. De canonib⁹ verò & decretalibus epistolis quid sentiat, apertissimum est vel inde, quòd eas igni tradiderit. Sed neque sacras literas admittit, nisi tantũ eas, quas pro sua vafricie perperã inuertere queat. Nã epistolã Iacobi, quam nullo modo potest in suam hæresim adaptare, recipiendã haudquaquam ducit. O dementiam intolerabilẽ. Epistola Iacobi, quam ecclesia tot annos

*Quare Lutherus reiiciat epistolam B. Iacobi.*

vt vere catholicam venerata est, non fuit è cœlo: at pestifera Lutheri dogmata tot mendaciis referta certum est è cœlo manasse? Ecce vides lector optime, Lutherũ tam à seipso quàm a scripturis dissidere. A seipso, quia quod protestatus est, minime seruat. A scripturis, quoniam epistolam diui Iacobi suis hæresibus palàm repugnantem neutiquam admittit.

*Regis verba.* Rex ergo vehementer Lutherum perstrinxit dicens: Quid attinet cum eo pugnare, qui pugnat ipse secum? Quid argumentis promoueam, si cum eo agam, qui nunc idipsum negat, quod ante donauerat? Num non indulgentias aliquousque validas fuisse primum fatebatur, quod postea negauit? & Leonem decimum an non multis antea laudibus extulit, mox postea vocat impostorem, & mille malis nominibus denigrare molitur? Antea se, patres omnes, ab ecclesia Romana receptos, admissurum potestabatur, nũc prorsus reiicit. Pridẽ se canonibus & decretalibus epistolis pariturũ pollicebatur, nũc omnino recusat. An nõ hæc omnia inter se repugnant? Veraciss imus itaque rex repertus est, qui Lutherũ vt suis ꝓpriis de-

cretis contrarium coarguit. At Lutherus è regione bis etiã & hoc loco mẽdax erit. Semel, quòd in altero cõtradictoriorum quæ vicissim docuit ac spopõdit, nõ potuit non esse mẽdax: atque rursum, ꝙ negarit seipsum in vllo fuisse mendacem.

*Lutherus bis mendacii conuictus.*

Sed habet hæc vulpes multa latibula, diuerticulaque multa. Vide quo iam diuerticulo subterfugiũ parauit sibi. Metuit ne forte lector mendacẽ illũ esset deprehensurus, aut putaret ex hoc se sibi cõtrariũ esse: atque ideo duo rerum genera distinguit de quibus ipse se scripsisse memorat. Alterũ de iis quæ in sacris literis cõtinẽtur, nẽpe de fide, de charitate, de spe, de operibus, de passionibus, de cœlo, de inferno, de pœnitẽtia, de cœna dominica, de peccatis, de lege, de morte, de Christo, de deo, de libero arbitrio, de gratia, de baptismo, & iis similibus. Alterũ de iis quæ extra scripturã habentur, vtpote de papatu, de doctoribus, de purgatorio, de academiis, de episcopis idolis, de cultu sanctorũ, de conciliorũ decretis, de indulgẽtiis, atque cæteris id genus. At hic aduerte quã technã struat. Quid enim attinet hoc loco tot commemorasse titulos,

V

*Distinctio eorum de quibus Lutherus scribit.*

“
“
“
“
“
“
“
“
“
“
“

quũ de illo tantũ obiiciatur quod postremo positũ est? Quid enim si in cæteris omnibus cõstet secũ Lutherus, modò fuerit in hoc postremo deprehensus a se dissidere? Nunquid non istud satis est vt sibi cõtrarius esse conuincatur? Omnino. Sed dolos meditatur vulpes ista. Sperat enim hac rerum vniuersitate sic obruere lectoris mentem, vt ad rem de qua disceptatio sit, nequaquam attendatur.

VI *De indulgentiis cõtradictoria asserit Lutherus.*

De indulgentiis (vt audisti lector) rex Lutherum taxauit, vtpote sibiipsi repugnantem. atque id quidem propterea, q eas, quãtum ad pœnas, quas vel priores patres præfixerant, vel proprius cuique sacerdos iniunxerat, prius fatebatur aliquousque valere: nunc autem asserat esse penitus inualidas. An non ista planè contradicũt? Quæ (precor) magis è diametro pugnant, quàm valere, & nõ valere? Certũ est vtrũque dogma nequaquam è cœlo manasse. Et tamen impudẽter affirmat Lutherus omnia sua dogmata se habere de cœlo. Sed neque tergiuersari potest, quin & hoc & illud affirmarit aliquãdo, atque id citra quàm a maligno spiritu cœpisset afflari, hoc est citra quàm hæresim instituisset

instituisset suam. Quamobrem si spiritus suus eum in priori fefellit, cur non potuit idẽtidem in posteriori fallere? potuit haud dubie. Neque enim super hoc posteriori maiorem è cœlo certitudinem, quàm super priori suscepit. In vtroque sanè fallacissimam sui spiritus coniecturam secutus est. Nam quicquid sibi visum fuerit nec argumentis, nec scripturis improbari posse, tametsi falsissimum sit, hoc tamen sibi persuadet è cœlo dilapsum esse. Quapropter neque potest constare secũ, neque non sæpius asserere mendacia, quũ humana coniectura mutari creberrime solet, vt quod hodie verum esse cẽseat, cras diiudicet esse falsum. Cæterum vt intelligas hunc morem Lutherum fuisse secutũ, nunc euidentiam eius rei clarissimam accipe. Fatetur enim in exordio Babylonicæ captiuitatis, quam ipse commentus est, se beneficio Syluestri nouum de indulgentiis intellectum concepisse. Sic eñ ait. Velim nolim cogor indies eruditior fieri, tot tantisque magistris me certatim vrgentibus & exercentibus. De indulgẽtiis ante scripsi, sed sic vt me nunc mirum in modum pœniteat editi libelli. Nam

*A Satanæ deceptus est Luth.*

*Lutherus ab hominibus didicit.*

*Lutherus.*

postea beneficio Sylvestri ac fratrũ adiutus, qui strenue illas tutati sunt, intellexi eas aliud non esse quàm meras adulatorum Romanorũ impostoras. Hæc Lutherus. An non his verbis palàm indicat eo se de indulgentiis opinionem mutasse, q̃ Sylvester eas tam frigide tutabatur? Itaquicquid Lutherus vel conuiciis, vel ingenij prauitate, aut scripturis per vim cõtortis possit a modestioribus ingeniis euincere, hoc sibi pro cœlesti dogmate firmum habet. Cæterum an è cœlo profluxerint ea dogmata, viderint alij: ego certe, vel ab humano, vel à maligno spiritu profecta potius esse non dubito. Tales enim è corde suo non è cœlo prophetãt, ad quos Ezechiel dicit: Væ prophetis insipientibus, qui sequũtur spiritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in deserto prophetæ tui Israel erant. Iudicent igitur alij num non rectè Lutherum qui vel suum vel malignum spiritum sequitur, vulpem appellauerimus: quum hic Ezechiel eiusmodi prophetas vulpes vocet.

Ezech. 13.

*Lutherus rectè vulpes nũcupatur.*

*Epilogus.* Mihi verò iã satis est monstrasse, parũ sibi congruere duo ista dogmata, hoc est indulgẽtias aliquousque prodesse, & eas-

dem nihil omnino prodeſſe. Similiter & eum quiſquis iſta docuerit, nequaquã ſibi conſtare, ſed plane contrarium eſſe: ac proinde non habere cuncta ſua dogmata è cœlo.

VII. *Cõtrarietas dogmatũ quæ cẽſeatur.*

Sed aliam adhuc aſtutiam habet doloſa vulpes iſta. Contendit enim contraria non eſſe dogmata, niſi quæ quis eodem tempore ſimul aſſeruerit, neutrumque reuocauerit penitus. Sed neque ſinemus eam in hoc latibulo deliteſcere. Nam etſi reuocarit opinionem quam pridem aſſeruit, num ob id non falſa eſt quam reuocauit, & prorſus ei contraria quam iam tenet? Neque enim ſi quis iſta quæ de indulgentiis diximus, non eodem tempore protulerit, eo minus erant contraria, quandoquidem in ipſis indulgentiis nulla ſit interim facta mutatio, ſed in eius cerebro dumtaxat, quem certe conſtat in alterutro palàm aberraſſe. Neceſſe eſt enim vt, in altero falſum & errorem docuerit. At quod falſum & error eſt, è cœlo palàm eſt non fuiſſe. Sed adhuc vulpes iſta non ceſſat noua ſubterfugia quærere. Paulus (inquit) mutauit ſententiam ſuã, "

„ nimirum quando ſtercora vocauit et
„ quæ pridem ſibi lucra viſa fuerant. Qua-
„ re & damnabimus ita Pauli epiſtolas
„ vniuerſas. Hoc Lutherus, & hac defen-
ſione ſe tutum opinatur, quo poſſet vi-
ciſsim contradictoria dicere ſine contra-
rietate & quauis inconſtantia. Sed i-
ſtinc facilè beluam hanc extrudemus
hac ratione. Si Paulus alicubi in epi-
ſtolis ſuis approbaſſet ea ſtercora, & ea-
dem poſtea reprobaſſet, nemini dubium
eſt quin fuiſſet ſibiipſi contrarius, ſuſpe-
ctaſque reddidiſſet cæteras omnes à ſe
conſcriptas epiſtolas, ne putarētur è cœ-
lo manaſſe. Sed hæc haud dubie quæ ſi
ſibi ſtercora videri dixerat, non citra id
temporis quàm a Chriſto fuerat voca-
tus, neque citra quàm afflatus erat à ſpi-
ritu, cenſuit eſſe lucra. Verum Luther
citra quàm ſuam hæreſim inſtituit, vtrum-
que ſcripſit editis libellis, hoc eſt, tam in-
dulgentias aliquatenus valere, & eaſdem
nihil omnino valere. Quamobrem non
modo conuincitur ſibi eſſe contrarius
verum etiam proinde cætera quæ ſcripſit
manifeſtat è cœlo nequaquam eſſe. A
habet adhuc Lutherus & aliud diuer

*Paulus non cōtrariatur ſibiipſi.*

culum. Damnabimus (inquit) & Augustinum, qui singulari libro multa retractauit, & longe contraria primis docuit.

Sed neque istud Lutheri propugnat errorem. Nemo negat quin licuerit Augustino, sua quæ pridem haud recte docuisset, posse reuocare. Licebit item Luthero, si voluerit, omnes hæreses reuocare, quas hactenus docuerit. Sed vt Augustini reuocatio non effecit, quin ea quæ prius asseruit, planè repugnarent his quæ postea affirmabat, ita nec Lutheri reuocatio poterit eum à contrarietate & inconstantia penitus excusare. Sed neque Augustinus vnquam vsque adeo fuerat impudens aut arrogans, vt vel assereret se cuncta sua dogmata è cœlo suscepisse, vel contenderet non esse cõtraria, quæ variis ipse temporibus fuisset opinatus. Ecce nihil egit vulpes istastrophis suis: prorsus media tenetur, neque quoquam effugiet. Non elabetur nisi prius concesserit se quædam docuisse, quæ sibi pugnantia planeque contraria sint, & proinde non omnia dogmata se habere è cœlo, quum necesse fuerit alterum eorum esse falsum: cuiusmodi

*Augustinus ea retractauit, quæ male docuerat.*

*Aug. nõ excusauit sua dogmata contrarietatis.*

nihil è cœlo promanat.

VIII. Sed attende quò iam vulpes callida ſubterfugere moliatur. Subdole conatur diſputationem in aliud genus cauſę transferre. Negat enim ſe ſibi contrarium fuiſſe in his quæ ad ſacras literas pertineant, hoc eſt in illis quę ſpectãt ad primum genus rerum de quibus antè longum catalogum contexuit. At iſtud rex ei nequaquam obiecit. Neque enim hoc loco dixit eum quantum ad fidem, aut ſpem, aut charitatem fuiſſe contrarium ſibi, ſed indulgentias nominatim expreſsit, nimirum quòd eas pridem approbans, poſtea penitus reprobauit. Neque iam in quæſtione eſt, an Lutherus in his quæ ad ſacras literas pertinent, fuerit ſibi contrarius, ſed an in quibuſlibet indiſcriminatim ſcripſerit contraria. Scripſiſſe autem contraria Lutherũ rex euicit. Atque id ſatis eſt quãtum ad præſentem diſputationẽ attinet. Sed & dogma de indulgentiis, tametſi falſa Lutheri opinione nõ ſpectat ad ſacras literas, noſtra tamẽ & cõmuni totius eccleſię ſententia planè ſcripturis nititur. Nos enim nihil ambigimus indulgentias ex Chriſti pollicitatione ſuã vim

*Indulgẽtię nitũtur diuinis literis.*

habere. Certum est enim haud frustra Petro dixisse Christum: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Quæ verba tam aperta sunt totius ecclesiæ sententia, vt nulla possit in iis fieri tergiuersatio. Si monstrare Lutherus ex aliis queat scripturis, Christum aut hoc non dixisse, aut si dixerit, non tamen ita sensisse, tum aliquanto iustius asseret nihil prodesse indulgentias. Sed neutrum vnquã faciet. vsque adeo sunt huiꝰ pollicitationis clarissima verba, vt nulla prorsus in aliquo verbulo vel obscuritas sit, vel ambiguitas. Neque dubitamus quin eadem potestas quæ tunc collata Petro fuerat, iam successori Petri sit integre cõseruata, quando non pro illis duntaxat, qui tum fuerant, istud promiserit Christus, sed pro tota Christianorum successione. At Lutherus contendit hanc pollicitationẽ omnibus apostolis & toti prorsus ecclesiæ fuisse factam. Sed hoc Lutheri proprium dogma est, non Christi. Ego istud nusquam in euangeliis reperio. Lego palam in iis dictũ fuisse Petro, Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris

Matt. 16.

*Christus non dedit passim omnibus ligãdi facultatem.*

ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Quòd ſi negat Luther⁹ iſtud Petro fuiſſe dictum, probet quod negat, atque id ex ſcripturis, quemadmodum vrget vt nos probemus noſtra. Turpe nimirum erit ei, toties obiicere nobis, quòd abſque probatione multa frequẽter aſſerimus, quum eodem ipſe laboret vitio. Aſſerit vbique ſcripturas apertiſsimas eſſe, & eaſdẽ iuxta meram grammaticam intelligi debere. Quamobrem, quum nullus grammaticus alio quouis pacto ſcripturam hanc torquere poſsit, niſi quòd Petrus pro ſuo potuiſſet arbitrio quicquid ſibi viſum eſſet ſoluere, & quicquid ipſe ſic ſoluiſſet, idẽ & in cœlis foret ſolutum: non video cur iſtud non debeat ab omnibus vere credi. Nec inficiamur quin ſimilia verba cæteris fuiſſent apoſtolis à Chriſto pronũciata: verũtamen ea non mediocrẽ ab iis diſcrepantiã, vt alibi docuimus, prę ſe ferũt.

*Matth. 18.*

IX. At Lutherus adhuc contendit nihil prorſus in peccatore relinqui poſt cuiuſlibet ſacerdotis abſolutionem, quod pontifex deleat. Sed iſtud eum identidẽ oportet probare. Nos vtique nonnihil relinqui credimus, quod niſi fuerit in hac vita

*Poſt abſolutionẽ remanet reatus.*

prius vel deletum vel expurgatũ, id purgatoriis ignibus tandem expiandum est. Et profecto nimis quàm stultus erit, qui prætermissis indulgentiarum salutaribus remediis velit in re tam seria, Lutheri nudis assertionibus credere. Nam si iuxta fidem ecclesiæ receperit quispiã indulgentias, inde nullum sibi periculum imminet, neque damni quicquam ex ea re patietur. At si prætermissis illis quidpiam in eius animo purgandum remanserit, istud saltem incommodum sustinebit, quòd igniũ illorum cruciatus ab introitu in cœlum tamdiu remorabitur, quoadusque plena consummataq; facta fuerit expiatio. Quãobrem & præter obstinatam animi duritiem, etiam aperta stultitia est indulgentias omnino contemnere. Nam esto fuerint indulgentiæ prorsus inutiles, nemo tamen eos in altera vita ridebit, qui iam Christi verbis digne crediderint. Quòd si contra reperientur vtiles, an non earum explosores tum merito ridebuntur, simul & contẽptus sui pœnas luent? Quòd etiã aliquid peccati relĩquatur absolutione iã facta, Lutherus negare non potest, sed dicet omnem pœnã peccato debitam prorsus pœnæ temporalis.

*Consultissimum est indulgentias quærere.*

*Veterum authoritate comprobatur quipiã peccati post absolu-*

tionem remanere.

sus condonari, vt nihil postea sit opus vllis indulgentiis. At istud neque vllis probare scripturis potest, neque id vllus patrum ante Lutherum ausus fuit vnquam asserere, præsertim ex his qui purgatorium affirmarint. quæ sola res auertere debet omnium animos, ne Luthero fidant.

Sed & nos præter sententias patrum, ex ipsis scripturis multa citauimus, quibus dilucidum est, absolutos à culpa manere adhuc pœnæ cuidam obnoxios. At esto, verum sit quod Lutherus pollicetur, per sacerdotis cuiuslibet absolutionem simul & pœnæ debitum esse deletum penitus: an non tutius est peccatori, propter sententias patrum, qui negant omnem pœnam tolli, indulgentias suscipere, quàm eas vsque adeo temere cõtemnere cum Luthero? Si Lutherus cõtenderet nonnihil pœnæ debitæ manere post absolutionem sacerdotis, & idipsum per indulgentias deleri non posse, tum certe rectius potuisset asserere pontificem studio fallendæ plebis indulgentias excogitasse. At nunc, quum singulo cuique sacerdoti tantũ tribuat potestatis, vt omnem penitus delere pœnam possit, id quod ex scripturis pro-

bare nunquam poterit, quid habet in quo pontificem accuset, qui quum non solum ex priorum patrum sententiis, verumetiam ex scripturis credat post deletam culpam nonnihil pœnæ debitæ manere, per eiusmodi veniam pollicetur, & pœnæ istius debitæ solutionem? Tantundem enim ex vnica Lutherus absolutione pollicetur, atque id sine scripturis & patrum testimoniis, quantum pontifex ex duabus, neque solis patrum testimoniis, verumetiam scripturis innixus apertissimis. Sed iam reuertamur vnde sumus digressi.

*Papæ innixus scripturæ sacræ, largitur indulgentias.*

X. Lutherus citra quàm hæresim erigere suam aduersus ecclesiam est conatus, indulgentias aliquousque profuturas docuit, & easdem postea docuit nihil profuturas. Ergo & in hoc dogmate sibi contrarius & inconstans habendus est: nec vtrunque credi potest è cœlo manasse. Hunc laqueum non rescindet vulpes.

*Intentio authoris.*

Cęterum quia tam perfricta fronte negat in prioris generis rebus sua dogmata pugnare, quàm aperte mentiatur, iam ostendere conabimur.

Sed primum in ſumma, quis non videt illum in hac re latiſsimum diſputandi campum nobis obtuliſſe? Nam quum ſua dogmata (quãtum ad has res attinet) nihil aliud eſſe fateatur quàm Chriſti dogmata, iam quoties illum oſtendemus à Chriſti dogmatibus diſsidere, protinus conſequetur & illum ſibi toties contrarium eſſe. At illud ferè fit in omnibus eius articulis per Leonem decimum condemnatis: quod & ei perſpicuum fore non dubitamus, qui noſtram ſuper eiſdem confutationem aliquando ſit lecturus. Cæterum & ſpeciatim in aliquot illius dogmatibus age iam oſtendamus. Primùm, an non iſta palàm pugnantia ſunt? nempe vix vnus quiſpiam Chriſtianus fidem habet, & omnes Chriſtiani fidem habent? At iſta planè ſequuntur ex dogmatibus Lutheri de fide. Sic enim in libello de fide & operibus docet. Fides eſſe nullo modo poteſt, niſi ſit viuax quædam & indubitata opinio, qua homo certus eſt ſuper omnem certitudinem, ſe placere deo. At quis hominum certus eſt ſuper omnẽ certitudinem ſeſe placere deo? Et maxime quũ alibi Luther⁹ affirmet neminẽ certũ

*Rationes quibus Luthe. probare nititur vix vnum reperiri qui fidem habeat.*

I.

esse se nō peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ vitium. At quisquis dubitat an peccet mortaliter, nō est certus super omnem certitudinem se placere deo. Nam qui peccat mortaliter, is gratia caret. At qui gratia caret, non placet deo. Nemo ergo qui dubitat an peccet mortaliter, certus esse potest super omnem certitudinem se placere deo. Quare si fides, vt Lutherus affirmat, nullo modo esse potest, nisi sit viuax & indubitata opinio qua homo certus est super omnē certitudinem se placere deo, nemo fidem habet, nisi forte cuipiam reuelatum fuerit se gratiam habere, & carere mortali peccato, seq; ita deo placere. Quod, opinor, non nisi paucissimis contigit.

Similiter in libello de Christiana libertate docet, quòd qui fidem habet, per eam liber est ab omni lege, & ex mera libertate omnia gratuitò facit quæcunque facit, nihil quærens aut commodi, aut salutis (quum iam satur & saluus sit gratia dei ex fide sua) sed solum beneplacitum dei. Hæc ille. II.

Quot mihi dabit Luther⁹ ex toto Christianorum cœtu, qui faciunt omnia gra-

tuitò,& qui ſolum dei beneplacitum ſibi proponunt, nihil præter ipſum quærẽtes aut commodi,aut ſalutis? Quare ſi ſoli tales fidem habeant, iam rariſsimus eſt qui fide potiatur.

III. Rurſum in eodem libello tradit, quòd qui fidem habet, is in omnibus operibus ſuis ea debet eſſe formatus opinione, & huc ſolũ ſpectare, vt aliis ſeruiat & proſit in omnibus quæcunq; fecerit, nihil ante oculos habens niſi neceſsitatem & cõmoditatem proximi. Profecto ſi verum iſtud ſit, pauciſsimi ſunt qui fidem habẽt. Vix enim quiſquam reperitur, qui in omnibus operibus ſuis eò ſolum ſpectat, vt in cunctis quæ facit, ſeruiat & proſit aliis, nihil ante oculos habens præter neceſsitatem & commoditatem proximi.

IIII. In reſolutionibus item aduerſus Eckium ſic aſſerit: Quum fides ſit recta & bona opinio de deo, opinio autem quælibet per ſe ſolam trahit in opera, non eſt dubitandum quin omnia opera faciat, qui fidem habuerit. Si enim opinio & amor mulieris non ſinit eſſe ocioſum, ſed ſine lege & magiſtro facit plura quàm poſtuletur, quomodo non fides multo magis

idem præstet? Hæc Lutherus.

Et ex hoc vides lector, quòd vix aliquis est, qui fidem habeat, quum vix quisquam sit qui tanto ardore quæ deo placitura sint opera omnia faciat, quanto vir quispiam amore captus mulierculæ.

Præter hæc, inter articulos articulo duodecimo sic ait Lutherus: Dixi per impossibile, quia satis supradictũ est fidem sine contritione esse non posse, quum gratia non infundatur nisi cum magna concussione animæ.

Intelligis ex hoc lector non infundi gratiam absque magna animi concussione, neque fidẽ sine contritione esse posse. Quamobrẽ vbi non est magna animi concussio, & vera cõtritio, nec gratia poterit esse, neq; fides. At quot quęso Christianorum magnã istam animi cõcussionem sentiunt, aut si pridẽ senserint, nõ post id peccarint mortaliter, nec citra id tẽporis nouam aliam senserint cõcussionem? Quamobrem & rarissimus erit qui fidem habet. Ex his ergo dilucidum (opinor) est, quòd iuxta Lutheri dogmata vix vnus aut alter sit qui fidem habeat.

XI. *Hic quinque rationibus probatur vix quãquam reperiri secundũ Lutherũ, qui nõ habeat fidem.*

Quare iam ex dogmatibus eius etiam alterum ostendamus, nẽpe quòd vix quisquam sit nominis Christiani qui non habuerit fidem. Inter acta sua sic diffinit fidem: Fides autem nihil aliud est quàm illud credere quod deus promittit aut dicit. Ecce lector, si fides non sit aliud quàm dei promissa dictaque credere, quis Christianorum (qui credit verum esse quicquid in vtroque testamento continetur) non habebit fidem, quantumuis alioqui pessimus fuerit & sceleratus?

Adde, ꝙ vbique clamat, opera nec ad fidẽ nec ad iustificationem exigi debere. Quãobrem si neutiquam ad iustificationẽ exigantur opera, quemadmodũ asserit Lutherus, quid facilius erit quàm credere? Nam in opere ferme tota difficultas est. Audit ista miser populus, & facilè creditLuthero, se fidem habere, tametsi nihil operentur.

Ad hæc sub articulo. 14. fidem affirmat in corde certissime sentiri posse, si quis eam habeat. Quis istud audiens ex populo nõ persuadet sibi se fidem habere, protinus vt in suo corde compererit se credendis assentire? Nam quis aliter deprehende

hendet in corde suo se fidem habere, nisi per assensum mentis, quem illic dum seipsum examinat, experitur?

His accedit, quòd articulo. 15. dicit, nihil oportere eos qui ad eucharistiæ sacramentum accedunt, orationes & præparatoria præmittere, sed satis esse si credant se gratiam ibi consecuturos: quæ sola fides eos (vt ait) dignos & puros facit. Quis iam ex iis verbis non sufficere sibi putabit vt eucharistiã recipiat, modò gratiam credat ex ea se consequi posse?

Rursum in captiuitate Babylonica tale producit exemplum. Si cuiquam mendico, aut etiam indigno & malo seruo, legaret ditissimus dominus mille aureos, certe cum fiducia eos postularet & acciperet, nec indignitatis suæ, nec magnitudinis testamenti habita ratione. Quòd si quis ei resistens, obiiceret indignitatem suam, & magnitudinem testamenti, quid putas dicturus est? Scilicet, quid ad te? non ego merito meo, nec iure vllo proprio accipio, quod accipio. Scio me indignum, & maiora accipere quàm merui, imò contraria merui, sed iure testamenti & alienæ bonitatis peto, quod peto. Si illi non fuit

indignum, tanta, & tam indigno legare, cur ego propter indignitatem meam contemnã accipere? Hactenus ipse Lutherus.

Et hic clare vides lector, sensisse Lutherum, neminem ab Eucharistia debere abstinere, qui credit eam legatam esse peccatoribus. Et quid facilius quàm istud credere, modo nõ desit pseudoapostolus quispiam, qui contra Pauli sententiam populum instruat hanc sufficere fidem, quum tamen ipse Paulus doceat oportere accedentem prius probare seipsum, ac deinde probatum accedere, quin & plectendum affirmet indigne accedentem? Lutherus contra contẽdit audaciter sufficere fidem, simul & eum, quisquis credit, asserit satis idoneum esse, qui sumat Eucharistiam.

1. Cor. 11.

Credit autem quisque, quum Lutherus velit: & rursum quum nolit Lutherus, nemo credit. Hęc nimirũ est eius plus quàm vulpina fraudulentia, qua fit vt quicquid opposueris, teneri nequeat, sed aliquo sim per effugiat diuerticulo. Propter quod vti vides lector, duplicem Lutherus excogitauit fidei rationẽ. Alteram qua rudem populũ sibi dolose cõciliet, nempe quòd fides nihil est aliud, quàm illud credere

*Fidei ratio duplex secundũ Lutherum.*

quod deus promittit & dicit: quam fidem vix quisquam è Christianis est, qui se non putet habere. Alterã, qua se tueatur à doctoribus, hanc videlicet qua dicit, quòd fides esse nullo modo potest, nisi sit viua quædam & indubitata opinio, qua homo certus est super omnem certitudinem sese placere deo. Et iuxta hãc verissimum est, quòd hęc sola sufficit ad Eucharistię sumptionẽ absque alia quauis animi prępara-tione. Nam qui certus est super omnẽ certitudinem sese placere deo, quid prohibet hunc quoties velit Eucharistiam sumere? Sed iam populus misere fallitur qui longissime remotus est ab hac fide, nisi forte cuipiam ex iis fuerit ita persuasum, quòd tãta sit benignitas dei, vt nemo Christianus vel in flagitiis suis possit displicere deo, quod & impiissimum est credere. Cęterum, vt ita sit institutus quispiam, quòd per viuacem quandam & indubitatam opinionem certus sit super omnem certitudinem se placere deo, rarissimum est, nec citra reuelationem vix fieri potest. Secundum aliam tamen fidei rationem, quiuis Christianorum facile opinabitur se veram habere fidem, quum sentiat se

*Luth. decipit vulgus.*

credere cuncta vera esse quæ promiserit & dixerit deus. Atque ita citra quamuis aliam præparationem, videbitur sibi satis idoneus, qui ad sacrosanctũ Christi corpus accedat. Perspicuum igitur esse cunctis opinor, quàm lubricus, quàm inconstans, quàm denique sibi contrarius sit Lutherus in his dogmatib⁹ quæ de fide sunt. Nam si non sit aliud fides, quàm credere quicquid promittit & dicit deus, quisquis ita credit, fidem habet. Et idem si non sit certus supra omnem certitudinem se deo placere, non habet fidem, quum iuxta Lutherum, nullo modo fides sit nisi fuerit viuax quædã & indubitata opinio, qua quis certus est super omnem certitudinem sese placere deo. At habere fidem, & nõ habere, manifestissime sibi contradicunt.

*Cõcluditur incõstantia & repugnãtia Lu.*

*XII. Pugantia asserit Lutherus.*

Sed adhuc aliud excutiamus ad eãdem rem pertinens. Affirmat Lutherus nõnullis locis fidem esse motum aliquem, non qualitatem in anima residentem. Affirmat & fidem mereri gratiam. Affirmat denique & quicquid antecedat gratiam in homine, hoc est omnem animi conatum, omnem mentis præparationem, omnémque actum interiorem ante gratiam, esse

peccatum. An non ista male cohærent? Nam si fides meretur gratiam, antecedat in anima gratiam oportet. Et quum sit motus quidam (vt Luthero placet) erit motus mentis interior, prior gratia. quamobrem & ante gratiam peccatũ erit. Prolixum foret, de spe, de operibus, de peccato, de libero arbitrio, deque cæteris id genus ante memoratis similes inconstantias & contrarietates adducere. Sed hæc quæ de fide produximus, sufficiũt vt agnoscatur vulpes ista quibus dolis & artibus sua dogmata tradat. Quare iam ad reliqua transeamus,

*In plurimis sibiipsi cõtradicit Lutherus.*

Ad alterum nempe vitium, de quo se purgat, nempe mordacitatis: vbi primum quid ei rex obiecerit, in medium afferemus. Postquam itaque rex Lutherum inconstantiæ simul & contrarietatis coarguisset, quòd indulgentias, quas ante probasset, nunc meras vocet impostoras, ilico subdit. Qua in re quàm non scelerate modo, verumetiam furiose bacchatur, nemo est qui non videt. Nam si nihil omnino valent indulgẽtiæ, sed meræ sunt (vt Lutherus ait) impostorę: tunc necesse est impostores fuerint, non hic tantum pontifex

*XIII. De mordacitate Lutheri.*

*In Luthe. Regis verba.*

Leo decimus (cuius innocens & inculpata vita, moréſque ſanctiſsimi ab ineunte ætate per orbẽ totum ſatis explorati ſunt, quemadmodum in epiſtola quadã ad pontificem Lutherus etiam ipſe fatetur) verumetiam tot retro ſeculis omnes Romani pontifices. Hactenus regia maieſtas.

At nihil horum Lutherus diluit, ſed nec diluere poteſt: tantum exempla quædam attulit, quibus velit ſibi licere, quoſuis mordere pro libidine ſua.

» Cur (inquit) alioqui Chriſtus ipſe
» Matth. 23. tanta vehemẽtia ſcribas & phariſæos mordet, & hypocritas, cæcos, ſtultos, plenos immundicia, hypocriſi, homicidas criminatur? Et Paulus quoties vehemẽs eſt in cõciſiones (vt vocat ipſe) ſuas, & pſeudoapoſtolos quos adulterantes & cauponantes verbum dei, canes, doloſos operarios, apoſtolos Satanæ, filios diaboli, plenos dolo & malitia, deceptores, vaniloquos, faſcinatores & circulatores vocat. Hæc Lutherus.

*Cõfutatio reſponſionis.* Vides hic lector omnia congeſsiſſe Lutherum quæ vel in Paulo, vel in euangeliis corradere potuit, quæ notam aliquam reprehenſionis præ ſe ferrent, vel à Chri-

sto in phariſæos dicta, vel à Paulo in peccatores & inimicos crucis Chriſti. Et tamẽ ille ſexcenties plura nihil eſt veritus aduerſus vnum pontificem totius Chriſtianæ religionis principem euomere.

Cæterum non admodum congrue Lutherus ex iſtis exempla deſumpſit, quorũ longe diſsimilimus eſt. Sumpſiſſet exemplum potius à Chore, qui aduerſus Moſen & Aaron populum concitauit, & criſtas erexit, dicens: Sufficiat vobis quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in his eſt dominus. cur eleuamini ſuper populum domini? Similiter & nunc Lutherus æquare populum põtifici ſtudet, atque id quidem longe atrociori contumelia quàm Chore tum fecerat erga Moſen. Sed in hoc à veſtigiis patrum ſuorum diſcedit nihil. Id enim fere cũctis hæreticis in morem fuit, nempe põtificem criminari Propter quod & Iudas apoſtolus in epiſtola ſua quum de illis loqueretur, In contradictione (inquit) Chore perierũt. Et paulo ſuperius, Dominationem autem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant. vel, vt maiori luce traduxit Eraſmus, Dominos vero ſpernunt, in poteſtate præditos maledicta cõ-

*Nume. 16.*

*Omnes hæretici criminantur papam.*

*Nemini parcit Lutherus.*

gerunt. Sic enim Lutherus iam facere non veretur. Nullius enim ipse reueretur authoritatem, sed maledicentissimæ linguæ frena laxauit in omnes. Chore igitur exemplum protulisset, quod & ei multo fuisset accommodatius, quàm aut Pauli, aut Christi. Ille magis pharisæorum personam refert, qui contra Christum oblatrarunt: aut pseudoapostolorum qui resistebant Paulo. Rectéque nos erudit illis exemplis quæ citarat, quē in modum illū inceſſam⁹, qui vel phariſęis ipsis vel pseudoapostolis multo meretur acerbi⁹ repre hēdi. Parum igitur apte Lutherus pro se vel Christi vel Pauli producit exemplū.

Deinde quis nō videt Arrium, Nouatum, Nestorium, Donatum & cæteros horum similes, calumniis, conuiciis, cōtumeliis, quibus illi sui temporis pontifices insectabantur, eadem exempla (quæ nunc Lutherus affert) suis improbitatibus prętexere potuisse? Verum quis approbaret ea? Nemo certe, nisi qui sectis illorum fuisset addictus. Nam cæteri protinus explosissent & exibilassent ea penitus.

Tertio, nec Christus, neque Paulus illis increpationibus fuissent vsi, nisi prius

authoritatem suam plane miraculis vterque confirmasset: quæ sane tanta fuerunt, vt merito fuisset obiurgãdus quisquis eorum doctrinis repugnasset. Nam Paulus ita Romanis scripsit: Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obediẽtiam gentium, verbo, & factis, in virtute signorum, & prodigiorum, in virtute spiritus sancti. Et Corinthiis item ita: Nulla in re inferior fui cæteris apostolis, tametsi nihil sum. Signa quidem apostoli peracta fuerũt inter vos cum omni patiẽtia, & signis, & prodigiis, & potentibus factis. Aduerte lector, quòd dicit in omni patiẽtia, & se nihil esse. Paulus qui tot signa, prodigia, potentia facta gesit in omni patientia, se nihil esse reputauit: & Lutherus qui quum miraculis careat, impatientissime tamen loquitur, se magni æstimat, & neminem non afficit contumeliis.

*Roma. 15.*

*2. Cor. 12.*

XIIII. De Christo quoque notum est, eum priusquam pharisæos reprehenderit, operibus, quisnam esset, indicasse. Ioan. 5. Ipsa opera quæ ego facio, testãtur de me quòd pater miserit me. Et. 10. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimo-

nium reddunt de me. Et eodem: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Et rursum. Si mihi non creditis, operibus credite. Et. 14. Propter ipsa facta credite. Et. 15. Si opera non feciſſem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Ecce primum. Luthero non licet hanc maledicentiam aſtruere Chriſti exemplo, niſi prius authoritatem ſuam claris miraculis comprobauerit: quemadmodum nec ipſe Chriſtus antea quicquã ipſis phariſæis exprobrarit, quàm oſtenderit miracula, quibus par fuit vt fidẽ adhiberent. Deinde, niſi Lutheri malitia prorſus eum excæcauerit, perſpicere poteſt, nos, quantumuis eius dogmata vera fuerint, à peccato liberos eſſe, niſi prius ea nouis miraculis corroborarit. Nam ea quæ nos credimus, abunde comprobata ſunt, non modo Chriſti verbis & factis, verumetiam apoſtolorum & ſanctorum patrum apertiſsimis editis miraculis: vt ſi iam fallamur, auſim aſſerere, deũ ipſum nos data opera fefelliſſe.

*Noua doctrina non ſine miraculis ſuſcipitur.*

*Doctrina Lutheri lõge diuerſa*

At Lutherus dicet: Mea dogmata nequaquam alia ſunt quàm quæ Chriſtus & apoſtoli docuerunt. At iſtud falſiſsimum

est. Nam sic & Arrius cauillabatur, se videlicet nihil dicere, præter verba Christi, quum tamé verba Christi pro suo spiritu deprauabat in suam partem: quemadmodũ & nunc facit Lutherus. Verba certe Christi, iuxta Christi mentẽ intellecta, pro Christi dogmate accipienda sunt. Cæterum iuxta mentẽ hæretici concepta, nõ dogma Christi sunt, sed hæresis potius appellari merentur. Nam ista verba, quibus Arrius nitebatur, nempe, Pater maior me est: iuxta sensum Christi, verè Christi dogma sunt, & non ad sensum ipsius Arrij, hoc est eo modo quo Arrius interpretabatur ea. Ad sensum enim quẽ de eis Arrius conceperat, non Christi dogma, sed Arrianum dogma prorsus expresserant. Et quia patres sensum Christi secuti sunt, iccirco quod patres, & non quod Arrius docuit, ecclesia comprobauit. Sed & idem ipsa fecit, quoties inter patres & hæreticos fuerat controuersia. Nam semper hæretici contendebant veram apud se notitiam scripturarum esse. Sed ecclesia semper Christi spiritu sufficienter instructa, repulsis hæreticorum interpretationibus, patrum sententiis constanter

*est à doctrina euangelica.*

*Verba Christi sensa hæreticorum hæreses sunt.*

adhærebat.

Non est ergo quod Lutherus iactitet, Mea dogmata non sunt alia quàm Christi dogmata: quandoquidem ipse dissentiat à patribus. Nam Lutherana dogmata nihil aliud sunt quàm contra verum sensum Christi peruersæ scripturarum interpretationes. Quamobrem quum adhuc Lutheri dogmata nullis corroborata sint miraculis, haudquaquam Christiani tenẽtur fidem illis adhibere: nec periculũ inde cuiquam imminet, si non crediderit eis, præsertim quum de seipso Christus dicat: *Iohan. 15.* Si non fecissem inter eos opera quę nemo alius fecit, peccatum non haberent. Verũ quisquis nolit his quæ ab ecclesia catholica docentur, credere, certissimum animæ suæ discrimen incurrit, quum ea sint tam Christi quàm apostolorum, atque sanctorum patrum miraculis apertissime comprobata.

XV. *Non licuit Luthero tã acerbe obiurgare.*

Vt ergo veniamus ad rem: Christo licuit tam aspere pharisæos incessere, quia suam doctrinam à deo processisse, per miracula manifestissimè comprobauit. Licuit & Paulo pseudoapostolos & male Christianos redarguere, quoniam sui de-

gmatis veritatẽ, signis & mirificis operibus abunde testatus est. At non idem Luthero licet, qui vere pseudoapostolus est & Satanæ mancipium, ac plane præcursor Antichristi. necdum suas hæreses & pestilentissimas scripturarum inuersiones, vllis confirmauit miraculis, nisi forte miraculum sit, hominem tot irarum & æstuum furiis distentum nõ euestigio rumpi. Nõ alio certe miraculo suam pernicioſam doctrinam hactenus confirmauit. Quare nihil aut Christus, aut Paulus in hac parte Luthero suffragatur: imò Pauli exemplũ, quod ex Actis ante retulimus, plane condemnat Lutherum, quando sacerdotij tũ antiquati pontificem Paulus agnouit, & reuerentiam ei detulit, scriptũ esse recensens, Principem populi tui ne maledicas. Lutherus tamen haudquaquam noui sacerdotij principem dignatur agnoscere, sed maledicis cõtumeliis insectatur. Hoc Pauli exemplum quod imitari debuisset, simul & cætera, quæ rex illustrissimus obiecit ei, reuocare merito potuissent eum ab hac amentia, nisi plane Satanæ mancipium esset, & filius perditionis. Rex enim opposuit multos optimos fuisse pontifi-

*Lutherus pseudoapostolus.*

*Actor. 23.*

ces, quorum aliqui remissionem annuam, alij triennem, alij quadragesimas aliquot, quidam totius pœnitentię partem aliquã, nonnulli plenariam tam à pœna quàm à culpa remissionem indulserunt: quibus & tantam fidem adhibendam esse merito iudicauit, vt potius vnum fraterculum ouẽ fuisse morbidam esset crediturus, quàm tot olim pontifices perfidos fuisse pastores. Verũ ad hoc Lutherus nihil respõdet. Subinde rex multis rationibus euidentissimè docet, quàm nihil omnino charitatis Lutherus habeat, quum non vereatur tot summis & eisdem sanctis pontificibus tãtum crimen impingere, nempe quòd essent impostores. Si deus (inquit) in Leuitico dicit omnibus, Non eris criminator, nec susurro in populis: quid de Luthero censendum est, qui tam immane crimen non in vnum aliquem hominem, sed in iã multos, tam venerandos spargit antistites, idemque nõ in vna quapiam vrbe susurrat, sed per totum buccinat orbem? Et hic omnino Lutherus silet.

*Pontificibus potius quàm Luthero fidẽdum.*

*Verba regis.*

*Leuit. 19.*

*Deute. 27.*

Ad hæc rex adiecit: Si maledict⁹ in Deuteronomio dicitur, qui clam percusserit proximum, quanta maledictione percuti-

tur, qui palam tantis opprobriis insultat in præpositos? Et hic omnino tacet Lutherus.

Postremo rex adiũgit: Si homicida est (vt ait Euãgelista) nec vitã habet æternã, qui odit fratrem, an nõ hic æterna dignus morte parricida est, qui odio persequitur patrem? At has omnes rationes Lutherus aure surda pertransiit, vitium suum extenuans vocabulo mordacitatis, quum caninam potius iracundiam & beluinam rabiem vocare debuisset. 1. Ioan. 3.

Mira est huius vrsæ furentis impudẽtia, quòd quum nihil apud Paulũ damnatur crebrius quàm arrogantia, contentio, fraternæque charitatis violatio: nihilque cõtra sæpius extollitur, quàm quod iis contrariũ est: illam tamen haud pudet è Paulo suæ patrociniũ improbitatis & impietatis arripere. Paulus ait: Benedicite, & nolite maledicere. At Lutherus docet nõ solum esse maledicendum, verumetiam rixandum & opprobrandum, conuiciandum, cõtumaciisque & cõtumeliis quemque nobis aduersarium impetendum: atq; id exemplo Pauli & Christi. Rom. 12.

Hoc dogma si è cœlo defluxerit, alij

diiudicent. Sat scio, doctrina Christi nequaquã est: & tamen audacter asserit Lutherus: Non mea doctrina (inquit) sibi vlla ex parte pugnat, nec pugnare potest, quum sit Christi. Sic mentiri nõ erubescit os impudentissimum, quum ferme nihil habeat cum doctrina Christi cõsine. Opinor profecto neminem hactenus hæreticorum fuisse, qui non in multo pluribus cum doctrina Christi conuenerit, quàm Lutherus. Sed nec doctrina Christi est, quicquid Christus dixerit, nisi pro Christi mente & spiritu fueris interpretatus. Quãdo igitur Lutherus sæpenumero verba Christi contra sensum & mentẽ Christi interpretatur, palam est eius doctrinã nequaquam esse doctrinã Christi, sed cũ ea pugnare magis.

Cæterũ attende lector, quid adhuc pro sua defensione Lutherus afferat. Sic enim
» de Rege loquitur. Abũde (inquit) cogno-
» uit papatum apud me pro Antichristi re-
» gno haberi, cui etiam Iob maledici man-
» dat per eos qui parati sunt suscitare Le-
» uiathan: & vbique spiritus præcipit mun-
» dum arguere de peccato impietatis, & o-
» mnino sanctam & iustam hanc mordaci-

tatem

tatem tum laudat, tum exigit. Hactenus ille. Nos ad singula respondebimus. Cognouit vtique Rex vere catholicus, hæreticũ esse Lutherũ, & male sensisse de summi Pontificis authoritate. Quid ergo? nũ propterea non debuit maledicã Lutheri linguam castigare, quæ sic insaniebat in potestatem quam omnes orthodoxi nihil ambigunt à deo constitutam esse?

Deinde ꝙ subdit Lutherus, Iob mandasse maledici papatui per eos qui parati sunt suscitare Leuiathan: Pergit semper Lutherus sui similis esse, hoc est pro suo cerebro scripturas peruerse cõtorquere. Sic enim habent verba Iob, vbi diei suæ maledicit. Maledicãt, inquit, ei, qui maledicũt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan. Quis ex iis verbis colligere potest Iob mandasse quatenus papatui maledicatur per eos qui parati sunt suscitare Leuiathan? nisi velit ad hũc modũ Lutherus argumentari. Mandat Iob vt hi diei suæ maledicant, qui maledicunt diei, nẽpe qui parati sunt suscitare Leuiathan. ergo mãdat Iob vt hi papatui maledicant. Sic iste qui se magistrum totius orbis facit, scripturas interpretatur, vt per diẽ papatum

« « « *Hic rursus contorquet scripturas Luther. Iob. 3.*

intelligat. Nam quis poteſt alioqui ſenſum priorē ex iis verbis colligere? Sed quis potius iā paratus eſt ſuſcitare Leuiathan, quàm Lutherus ipſe? Nemini dubium eſt, quin ab hęreſum vexatione multo iam tempore quieuerit eccleſia, ita vt quantum ad hoc negotiū attinet, iam diu dormiit Leuiathan. Lutherus igitur quoniam ex iis eſt qui dormitantem Leuiathan excitare conantur, quos forte ſanctus Iob ſpiritu præuidit eſſe maledicentiſsimos, optauit vt hi diei ſuæ maledicerent: nimirum qui vix ad aliud quicquam nati videtur, quàm ad maledicendum. Cæterum Hebræi locū iſtum aliter intelligunt. Sic enim ad verbum reddi poteſt: Maledicant ei, maledicentes diei, attendentes vigilare ſocietatē ſuam. Per maledicentes diei, magiſtri Iudæorum intelligunt lamentatrices, quę ad luctum & planctum pro mortuis deputatę ſunt: & Leuiathan interpretātur ſocietatē earum: vt ita ſanctum hunc virum optare ſentiamus, Maledicāt diei qua natus ſum, hæ quæ deputatæ ſunt ad lugendū & plāgendum mortuos: quarum officium eſt, tā fodales quàm alios ad luctum & plāctum excitare. Sed eſto per Leuiathan (vt Lu-

*Lutherus ſuſcitat Leuiathan.*

*Expoſitio Hebræorū.*

thero placet) diabolũ intelligamus. Profecto nemo magis idoneus ad hoc officiũ inueniri queat, q̃ Lutherus. Neque enim Satanas quando soluetur, facilè maiorem in ecclesia tumultũ concitabit, quàm modo per Lutherum excitatur. Verum vtcũque fuerit, nullo modo torqueri poterit hæc scriptura contra papatum, quemadmodum Lutherus facit. Et tamen quum scripturas ita torqueat & corrumpat, nihil pudet eũ toties iactitare, venisse è cœlo sua dogmata.

Sed iam ad illud, quòd dicit spiritum vbique præcipere vt mundus arguatur de peccato iniquitatis, & omnino sanctam & iustam hanc mordacitatem tum laudare, tum exigere: hic profecto scripturæ nihil huic magistro nostro suffragantur. Nunquam enim in scripturis memini laudatã, aut exactam à quouis mordacitatem, quin magis prohibitam inuenio. Sic enim Paulus quum ad Galatas dixisset: Tota lex in vno verbo completur, nempe hoc, diliges proximum tuum sicut teipsum: illico subdit: Quòd si alius alium vicissim mordetis & deuoratis, videte ne vicissim alius ab alio consumamini. Hic spi-

XVII.

*Mordacitas prohibetur. Galat. 5.*

ritus in Paulo mordacitatem nec laudat nec exigit vt omnino ſanctam & iuſtam, ſed plane damnat vt vitioſam & iniquã. Falſum igitur eſt, quòd vbique ſpiritus laudat & exigit hanc mordacitatem vt omnino ſanctam & iuſtam.

Aduerte quæſo lector, hũc totius orbis magiſtrum, qui ſua dogmata ſe iactat habere de cœlo, iam de ſcripturis plane mẽtiri. At hoc toties facit, & ita prorſus mẽdaciis aſſueuit, vt quum mentiatur, nõ intelligat ſe mentiri. Sed Lutherus dicet Chriſtum apud Iohannem de ſpiritu prædixiſſe, quòd ille mundum arguet de peccato. Certe quòd arguet prædixit Chriſtus, ſed non quòd mordebit, aut mordere faciet, quum in ſcripturis (quod memini) ſemper hoc verbum in malam partem accipiatur. Cæterũ vt illic ipſe Chriſtus locum illum interpretatur, De peccato (inquit) arguet, q̃ non crediderint in me. Neque ſic diſcipulos ſuos Chriſtus inſtituit, vt morderent, ſed vt mites eſſent & patiẽtes potius. Sed & Paulũ hac de re loquentẽ audiamus. Timotheũ hortatur, vt arguat, obſecret, increpet: at eueſtigio ſubiungit, in omni patientia. Et alibi di-

*Lutherus non intelligit ſe mẽtiri.*

*Iohan.* 16.

*Mordere ſemper in malam partem accipitur.*

*Matt.* 11.

*Lucæ.* 21.

2. *Time.* 4.

cit: Seruum dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, & cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati. Et iterum iubet vt sectetur inter cætera patientiam & mansuetudinẽ. At magister noster Lutherus nihil erubescit cõfiteri se patiẽtiam amisisse, planeque profitetur, neutiquam sibi iam habendam esse patientiæ rationem. Hæc nisi dixerit in libello suo maledicentissimo cõtra regẽ, ego mentior. Sin dixerit, æquum est vt habeantur eius dogmata, qualia vere sunt, non velut è cœlo, sed magis à Satana promanasse. Christi spiritus vbique laudat & exigit lenitatem, mansuetudinem, modestiam, atque id genus cætera. Quãobrẽ quum aduersus Samaritas apostoli commouerentur, Christus eis dixit: Nescitis cuius spiritus estis.

2. Timo. 2°

2. Timo. 4.

Luth. amisit patiẽtiã.

Lucæ. 9.

Intelligis itaq; lector, quàm citra nebulam aliquam aperte Lutherus & docet & facit aduersus Cristi dogmata, neq; tamen erubescit regem Angliæ ceu læsæ diuinæ maiestatis reum accusare, quòd illũ de rebus hisce reprehenderit. Aduersus diuinam (inquit) maiestatem mentitur, & regem meum, qui est rex gloriæ, bla-

sphemiis suis conspurcauit. Hæc Lutherus. Et cur ista dixerit? Nimirum ob id, quòd eum rex ostenderit, quum de indulgentiis loqueretur, fuisse sibi contrarium. Sic Luthero deblaterare, mentiri, contraria dicere, scripturas perperam interpretari licebit, & quicquid velit facere, nec audebit ei quisquam hæc obiicere, nisi protinus fiat diuinæ maiestatis reus. Luthero cūctos p̄ sua libidine mordere, lacerare, vorare, cōterere liberum erit: at qui vicissim quicquā horū Luthero facit, iā Lutheri Regē blasphemiis cōspurcat.

XVIII. Verùm quisnam est iste Rex Lutheri? Profecto non alius, quàm is de quo Iob loquitur, inquiens: Et ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Nec tamen idem Rex gloriæ dici potest, nisi quatenus olim in cœlo seditione facta, gloriam illā per ambitum inuadere sit conatus.

Iob. 41.

*Insimulat catholicos cōtrarietatis Luth.*

Iā nihil à me prętermissum est, opinor, quātū ad hanc partem attinet, in quo non respondérim Luthero, præter vnum locū vbi docere nititur orthodoxos asserere repugnantia dogmata. Papistarū, inquit, insaniæ pugnant, vbi Matth. 16. petrā faciunt Christum & Papam, quum Chri-

stus sit sanctus, Papa autem impius: & sanctitudini cum impietate conueniat ceu luci cum tenebris, & Christo cum Belial. Sic enim papatus non nisi incõstantibus, pugnantissimis, mendacissimis constat (seu potius corruit) dogmatibus, quæ vtraque simul docet, asserit & tuetur. Videat itaque lector ex vno hoc argumento, quàm asinina ruditas sit Thomistarũ, vel puerilis animi impotentia, quæ non sinat eos sua ipsorum verba intelligere, & audent tamen assertiones sacramentorum scribere, & magnificas ampullas suæ incredibilis insciticæ testes iactare. In hoc enim hunc libellum Regis scriptum arbitror, ne stuporẽ & insciticã sophistarum, præsertim porcellorum istorum (Thomistas dico) falso à me traduci crederet mũdus. fuit enim meum iudicium tali ipsorummet opere & sigillo comprobandum & confirmandum. Hæc Lutherus.

*Thomistas insectatur malitiose Luthe.*

Primum hic perpende lector, quanta iaculetur in Thomistas opprobria, quibus & illius diui gloriam denigrare studet, cuius nomen & doctissimis & eruditissimis viris in magna sẽper hactenus habitũ fuit veneratione, quippe quẽ Theo-

logiæ florem passim appellarunt. Sed & expende simul quàm friuola ratione fecerit istud, vt de mendacio nihil dicam. Ego nusquam legi diuum Thomam, aut Thomistas, papam aliquem præter vnum Petrum vocasse petram. Porro petrã fuisse Petrum, non solum Thomas, verumetiam Hieronymus & nonnunquam etiã Augustinus palàm asserunt. Et quid istud prohibet, quando Christus illum ita cognominandum prædixit, in Iohanne dicens: Tu vocaberis Cephas? Quod si interpreteris, lapis aut saxum dicetur, vt illic euangelista testatur. Et quid quæso discriminis est inter saxum & petrã? Quid ergo vetat Petrum petram dici, quando & idem saxum aut lapis dicitur? Et tamen idem ipse Petrus se peccatorem agnouit, quum Christo dixerit, Exi à me domine, quia peccator ego sum. Nihil ergo vetat Petrum qui peccator alioqui fuit, petram ob id dici, quòd Christus dictus sit petra. Sed quid? Num propterea non erit lapis Christus, quòd quis christianus item dictus sit lapis: aut vicissim nemo christianus vocari lapis potest, eo quòd Christus lapis dictus sit? An Petrus pugnantia di-

*Petrus recte petra appellatur.*

*Ioan. 1.*

*Luc. 5.*

xerit, quum in epistola priori sic scribebat. Ad quem accedētes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à deo autem electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis. At cōsequetur hac Lutherana ratione Petrum hic pugnātia dixisse. Lapidem enim vocat quemlibet christianum simul & Christum, quum tamen Christus sit sanctus, at contra christiani complures sint peccatores, & sanctitudini cum peccato non magis conueniat, quàm luci cum tenebris, & Christo cū Belial. Quamobrem si christianus qui peccator est, dici potest lapis, quemadmodum & Christus dictus est lapis, quid prohibet Petrum eadem appellatione cum Christo petram dici? An non Christus seipsum vocat lucem? Ego, inquit, lux mūdi sum. & apostolos item suos lucem mūdi nominat. Vos, inquit, estis lux mundi. Num Christus ob hæc, pugnātia dixerit?

1. Pet. 2.

*Christianus vocatur lapis.*

*Iohan. 8.*

*Matth. 5.*

Hic perspicis optime lector, quàm friuola sit Lutheri dialectica, simul & quàm iniuste contumelioſus fuerit in Thomam & Thomistas, quum illi tantum de Petro dixerint eum petram fuisse. Et velit nolit

Lutherus, super hanc petram, hoc est super Petrum Christus ædificauit ecclesiam suam. Nunquid nõ dicit Paulus ad Ephesios de Christianis, quòd superædificati sint super fundamentum apostolorum & prophetarum summo angulari lapide Christo Iesu? Quis hic non videt summũ & supremum lapidem Christum Iesum: deinde prophetas & apostolos tanquam lapides etiam in fundamento locatos: postremo christianos cæteros ceu viuos etiam lapides huic fundamento superædificatos? Propter quod & diuus Augustinus prophetas & apostolos Ecclesiæ fundamenta vocat, iuxta id quod Dauid cecinit: Fundamẽta eius in montibus sanctis. quanquam & vnum præcipuum non neget esse fundamentum, nempe Iesum Christum, quem & fundamentum fundamentorum appellat, sicut & eundem sanctum sanctorum, ac pastorem pastorum alibi vocatũ affirmat. Hactenus diluci-dum opinor euasit, Lutherum nec de Satana triũphasse, neque illius omnia dogmata promanasse de cœlo, quin potius eum & diabolicam habere sapientiam. Subinde monstrauimus & in pluribus si-

*Ephe. 2.*

*Apostoli fundamenta.*

*Psal. 86.*

*1. Cor. 3.*

*Hebr. 13.*

*Epilogus.*

biipſi contrarium eſſe, nec ſolum in his de quibus (vt contendit) ſcripturæ nihil agunt, verumetiã in aliis de quibus eædẽ apertiſsimè loquuntur. Tertio liquet, quòd Lutheri mordacitas nullis fucis, nulliſve rationib⁹ excuſabilis eſt. Poſtremo, quòd apud orthodoxos, quibus tamẽ idipſum Lutherus impingit, nulla repugnantia eſt, nomenclaturã petræ tam Petro quàm Chriſto fuiſſe communem.

## De communicatione plebis, eccleſiæ conſuetudinem obſeruari debere. Caput. III.

NVnc ad ipſa capita rerum, de quibus præcipua controuerſia eſt, calamum dirigamus, quæ ſane plurima ſunt, de quibus & agemus ſingulatim. Iam igitur tertio loco de cõmunicatione ſub vtraque ſpecie diſſeremus. Principio tamen refellenda ſunt ea de quib us in genere ſe Lutherus diſputaturum promiſit. I.

*Intentio authoris.*

Nam hic Lutherus primum opponit Regi, quòd nulla authoritate ſcripturæ, neque ratione quauis vrgenti, probat ea

*Rex Angliæ nititur auctoritatibus firmis.*

quæ dicit, sed vsum tantum allegat & cõsuetudinem, & Thomisticam, vt ait, disputandi formam imitatur, nempe, Mihi sic videtur, Ego sic sentio, sic credo, oportet sic esse. Quasi diuus Thomas nullis solidioribus argumẽtis fuisset innixus: quod est mendacium apud cunctos euidentissimum. Sed mendaciis ita Lutherus assueuit, vt mẽtiri illum nihil omnino pudeat. An non & hoc quoque mendacium apertissimum est, quòd Rex nullam vrgentem attulerit rationem? Id quod plane falsissimum esse mox ostendemus. Ceterum illa oppositio Lutheri nihil est. Nam vbi scripturæ defuerint ad ostendendam aliquam veritatem, magni semper apud omnes maiores nostros momẽti fuit vsus & consuetudo. Neque semper scripturas attulerunt Apostoli, quibus probarent sua: quod tamen alibi, sed falso, Lutherus affirmat. Liquet enim ex Actis apostolicis, eos tantum dixisse: Ita spiritui sancto visum est, & nobis. Et hoc illis persuasum fuit à spiritu sancto profectum esse, quicquid ab illis vnanimiter esset approbatum. Sed & Paulus quum de velãdis mulieribus Corinthios

*Non pudet Lutherum mentiri.*

*Consuetudo bona pro lege habetur.*

*Apostoli non omnia scripturis probant.*

*Acto. 15.*

doceat, nullis eam rem ſcripturis probat, ſed ratione ſimul & cõſuetudine. Nos, inquit, eiuſmodi conſuetudinem non habemus, nec eccleſia dei. Sed & multas non eſt dubium à ſpiritu ſancto conſuetudines introductas in eccleſiam fuiſſe citra quàm ſcripturæ nobis traditæ fuerunt, de quibus in ſcripturis nulla fit mentio. Sed & per apoſtolos, ex ipſis ſcripturis apertum eſt, multa fuiſſe tradita, de quibus nihil in ſcripturis explicatur. Quamobrem & manifeſtũ eſt, quod vbi ſcripturæ deſunt, illic rationem aut conſuetudinem attuliſſe ſufficiet. Neque rationes Lutheri, quas tamen in contrarium plures adducit, tanti ſunt roboris, vt vim conſuetudinis eneruẽt: quod mox aperte docebimus. Verum iſtud interea conſiderandum eſt, quòd inter conſuetudines plurimum intereſt. Nam quædam bonæ ſunt & ſanctę, quædam contrà malæ prauæque. Sed inter has nihil difficile eſt cuiuis internoſcere diſcrimen. Si praua ſit, iam credibile eſt eam a maligno ſpiritu fuiſſe introductam. Sin contrà ſancta ſalutariſque fuerit, & generatim ab omnibus approbata Chriſtianis, hanc ego nihil ambigo quin

1. Cor. 11.

*Deficiente ſcriptura recurritur ad conſuetudinem.*

*Conſuetudinum diſcrimen.*

*Cõsuetudo bona pro lege seruatur*

a spiritu sancto fuisset inspirata. Neque talem consuetudinem quisquam, nisi quiptinax suæ positionis defensor fuerit, audebit inficiari validam esse, & a Christianis omnibus obseruandam. At eiusmodi satis dilucidum est hanc ecclesiæ consuetudinem esse, de qua iam loquimur, nempe qua laici sub sola panis specie communicãtur. Hæc vtique consuetudo tot probis conditionibus & rationi tam consentaneis edita est, vt nemo, qui non omnino fuerit improbus, eam quouis modo censebit abrogandam.

Decem enim eiusmodi conditiones habet: quarum prima est, quòd eius primæua introductio, tam ex parte cleri, quàm plebis, careat omni corruptionis suspicione. Neque enim suspicari quisquam potest aliquam siniſtram intentionem vel in clero, vel in populo fuisse, cuius gratia vel clerus alteram sacramenti partem laicis auferre moliretur, vel ipsi laici non prorsus facto reclamarẽt, quum certum sit nihil inde quęstus aut lucri temporarii vel his vel illis obuenisse penitus.

Secunda conditio est, quòd manifesta

*Pericula* periculorũ & magnitudo & multitudo si

clerũ quàm populũ ad iſtã cõſuetudinem paulatim induxit. Fuit em̃ periculũ in miniſtratione, ne ſanguis videlicet effunderetur: quod & ſæpius accidit, præſertim quũ ingens multitudo fuiſſet cõmunicãda. Periculũ item in cõſeruatione, ne vini ſpecies in acetũ verteretur, quũ parochi tenerentur eã ob ęgrotos ſemper habere paratã. Periculũ etiam quũ ad morituros apportaretur, ſiue quis equesaut pedes eũ ferret. Periculũ quoque ſumpturis, maxime his qui nauſeam (vt nõnulli ſolent) ex guſtato vino facilè paterẽtur. Periculum ob inopiã vini, cuius in pleriſq; chriſtianitatis partibus magna penuria eſt: ne ſi cui defuiſſet vini ſpecies, is minime crederet ſe totũ Chriſtũ accepiſſe. Periculũ demũ infidelitatis, ne videlicet nõ ſub vtraq; ſpecie totus crederetur Chriſtus, ſi nũquam nõ vtraq; ſpecies cũctis chriſtianis exhiberetur. Ecce quãtus & quot periculorum antea metus erat, quæ iam per iſtam conſuetudinem prorſus euitantur.

*ſub ſpecie vini communicandi ſunt diuerſa.*

Tertia cõſuetudinis huius cõditio eſt, quòd nulli totius legis p̃cepto repugnat. Lutherus enim ipſe nullũ habet ſcripturę p̃ceptũ quod prętexat, p̃ter hoc vnũ, Bi-

III.

*Nõ repugnat legi diuinæ cõmunicatio*

*Sub vna specie.*

bite ex eo omnes. At hoc nihil obsistit. Nã solis duodecim tũ locut⁹ est Christ⁹. Neque enim aliis tum loquebatur, quàm iis quibus ante porrexerat poculum, dicens,

*Matth. 26.* Accipite hoc, & diuidite inter vos. Et hi duodecim erant, vt plane scribit Lucas.

*Lucæ. 22.* Accubuit (inquit) & duodecim apostoli cum eo. Neque enim si plures quàm duodecim fuissent, vnum poculum tot conuiuis suffeciſſet. Quare tam rationi, quàm scripturæ consentaneum est, quòd solis apostolis illud dictum fuerat, nempe, Bibite ex eo omnes. Male ergo scripturam hoc loco deprauat Lutherus, qui contendit istud omnibus christianis fuisse dictũ, quod solis dictum fuerat apostolis. Neque aliam pro hac re scripturam afferre poterit seu rationem quamuis, nisi quam aduersariis opprobrare solet, nempe, Sic oportet, Ita necesse est, Non potest aliter fieri. Renunciauit enim sexto capiti Iohannis, quod & plane fatetur nihil Bohemis suffragari posse. Et sanè gratissimum orthodoxis istud spectaculum esse potest, videre mutuas horum hæreticorum pugnas inter se, quum vnus dicat scripturas hunc sensum habere, alius contendit habere

*Solis apostolis dictũ est, Bibite ex hoc omnes.*

bere contrarium. Sed nos rem nostram prosequamur. Clarum ex his est, quãtum ad nostram disputationem spectat, hãc sacræ communionis cõsuetudinem sub altera specie, nulli scripturarum præcepto repugnare.

Quarta consuetudinis huius conditio est, quòd ei, nouæ legis exemplа plurimũ faueant. Fauet enim huic quod postremo Lucæ scriptum est de duobus illis discipulis, cum quibus dominus Iesus intrauit in castellum Emaus. Et factum est (inquit) dum accumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & agnouerunt eum. Et ipse euanuit a conspectu eorum. Ecce hic habes, quòd ad esum huius benedicti panis, quem pro more scripturarum, panem vocamus, protinus eorũ oculi fuerunt aperti. Quo nimirum indicio Chrysostomus, Theophilus, [a] Augustinus, colligunt idipsum fuisse verum corpus Christi. Sed & ex verbis ipsis patet, quũ & simili prorsus modo fit vsus in sui corporis consecratione. Accepit (inquit) panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Cæterum ex eo quòd oculis eo-

IIII.

*Lucæ.24.*

*a Theophylactus.*

rum cuestigio se subtraxerit, satis perspicuum est, solam hanc sacramenti partem eos accepisse, hoc est sub specie panis, nó item sub vini specie.

V. Quinta consuetudinis huius conditio est, quòd ei veteris legis figura ꝓbe quadrat. Nam quod sub ea lege liquidum offerebatur, quod & libamé vocabãt, haudquaquam à laicis, sed à solis sacerdotibus recipiebatur. Obuenerat enim id in partem sacerdotum, quemadmodum & nunc ea sacramenti pars quæ liquida est, solis est reseruata sacerdotibus, non item laicis exhibita.

*Leuit. 6. 9. 14. & in aliis locis.*

VI. Sexta consuetudinis huius cõditio est, quòd neminem vllo prorsus afficit dispẽdio. Nam quantum sub specie panis continetur, tantumdem est & sub vini specie. Corpus enim & sanguis, & anim⁹, & deitas Christi sub vtraque specie plenissime comprehenduntur. Quocirca non minus ille sumit qui sub altera specie cõmunicat, quàm qui sub vtraq;, quantũ ad Christum attinet. Neque enim species quicquã adiiciũt virtutis, quũ signa tantũ sint, nec operentur quicquam in humanum animum.

*Tantum vna specie continetur quantũ sub vtraque.*

Septima conditio est, quòd nulla præceptorum vi, sed consensu quodam tacito tam populi quàm cleri sensim irrepsit dicta cõsuetudo. Nam visis tot periculis, quæ toties pridem acciderunt per ecclesias omnium christianorum, ea res, quasi tacitis omniũ suffragiis recepta fuit, priusquam vllo conciliorum decreto legimus eam fuisse firmatam. Istud quoniam euidenter patet in compluribus diuersorum authorum libris longe ante concilium Constantiense aut Basiliense conscriptis & editis, nulla penitus indiget probatione.

VII. *Cõmuni cõsensu introducta est consuetudo communicãdi.*

Octaua conditio quæ neque minimi ponderis est. Apud eum populum hæc cõ suetudo nata est, qui spiritu sancto regitur. Nemini enim dubium est, ecclesiam spiritu sancto regi, nisi quis forte Christi non crediderit euãgelio. Nam in eo promissus est spiritus ipse sanctus, spiritus inquam veritatis, vt in ecclesia maneat in ꝑpetuum, & vt eam doceat, & ducat in omnem veritatem, annunciet que quod Christi est, & quod audierit à Christo, ac demum vt suggerat omnia, quæcũque Christus pridem dixisset apostolis. Hæc aper-

VIII. *Consuetudo cõmunicãdi à spiritu sancto est.* *Iohã. 14.* *Iohã. 16.*

tissime Iohannes ex ore Christi. 14. & 16. tradit. At quid est aliud suggerere, quàm insinuare siue submini strare menti quicquid est veritatis christianæ? Certum est ergo quòd spiritus ipse sanctus, quem & spiritum veritatis Christus appellat, in ecclesia perpetuo maneat, Ecclesiam instruens, & ecclesiam ducens in omnem veritatem, eique annuncians, & suggerens, ac submini strans, & demum insinuans quicquid est Christi, simul & illustrans ea quę pridem obscure Christus protulisset.

*Suggerere quid sit.*

IX. Nona conditio, quæ & plurimum conducit, nimirum, quòd ea consuetudo talem rẽ concernit, ex qua non minima pẽdet salus animarum. Nam corporis & sanguinis Christi communicatio valde pertinet & spectat ad salutem animarũ: quod Lutherus negare non potest, quum asserat huius rei fide remissionem peccatorum, simul & cœlestem hereditatem conquiri.

X. Decima conditio, quòd videlicet per totius ecclesiæ proceres, & per concilia duo generalia fuit prorsus approbata. Quoties enimuero de scripturis quæuis oritur controuersia, quemadmodum per

*Consuetudo cõmunicandi ab ecclesia approbata est.*

hęreticos notiſsimũ eſt ſępenumero contigiſſe, oportet aliquem vel aliquos hic in terris haberi iudices, quorum interpretationi ſtabitur: alioqui nunquam eius controuerſiæ dirimendæ ſpes vlla fuerit. Nam contendet hęreticus hanc ſcripturam hunc ſenſum habere: orthodoxus cõtrà negabit. Quando igitur erit contendendi finis, niſi iudices quidam huiuſce rei conſtituantur? Et horum item iudicium, niſi ſpiritu ſancto regi credatur, hęreticus facillime ſubterfugiet. Quamobrẽ omnino credendum eſt Chriſtum in eiuſmodi fluctuationis periculo non deſerturum eccleſiam ſuam, pro qua ſanguinem fundere non eſt dedignatus. Quis ergo dubitare poteſt, quũ ex omni totius Chriſtianæ ditionis loco patres congregati fuerint ad ſpiritum Chriſti conſulendum quid ſuper ea lite facturi ſint, quin aderit Chriſtus & ſpiritus eius? Et maxime quãdo ſic affuturum ante promiſerit, dicens: Vbicunque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic ſum in medio eorum. Et rurſum: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Quando igitur ne-

*Mat.18.*

*Mat.28.*

queunt omnes Christiani simul in vnum aliquem conuenire locum, & patres semper existimati sunt ceu potior totius Christianitatis pars, par est, vt quicquid illi in spiritu sancto congregati decreuerint, id ab omnibus christianis verum esse credatur. Cuius rei plurima sunt in actis apostolicis exempla. Nam ad ea concilia, de quibus ibi traditur, non omnes accersebantur christiani, sed apostoli & seniores, qui quasi mediastri fuerant inter deum & plebem, vt quod illi spiritu sancto congregati decreuerint, id non tanquam humanum decretum, sed vt diuinum reliqua susciperet multitudo. Sic enim plane factum fuit in concilio quod ob controuersiam de cæremoniis antiquæ legis dirimendam congregabatur. Nam quod ab apostolis & senioribus illic decretum fuit, ad cæteros christianos qui tum complures erant tam Antiochiæ quàm in Syria, simul & Cilicia, mittebatur. Neque eius decreti rationem aliam assignarunt, nisi quòd ita spiritui sancto, sibique visum fuisset vnanimiter congregatis. Hic videre licet ecclesiæ primæuæ ritum,

Actor. 15.

quem essent & posteri seruaturi. Quanquam enim tunc haud tantus fuisset Christianorum numerus, quin potuissent omnes ad vnum aliquem locum vocari, non sic tamen factum est, sed seniores quid sibi visum fuerat definierunt, suamque definitionẽ ceu legẽ cæteris obseruandã tradiderũt, nullo sacrarũ literarum allato testimonio, nullisve rationibus in medium productis, compertissimum habentes, id à spiritu sancto profectum, quicquid vnanimes ipsi decreuissent.

Epilogus.

Atq; ita factum est ob huius veritatis habendam certitudinem, tam in concilio Constantiensi, quàm in Basiliensi. Per vtrumque sanè concilium sic dicta consuetudo fuit approbata, vt patres vnanimiter adiudicarint eam à nemine violari debere. Quando igitur ea nullius occasione corruptionis ortum accepit, & à multis discriminibus liberat, nullique repugnat euangelico præcepto, quin magis congruat ei tam nouæ legis exemplum, quàm veteris instrumẽti figura, neminẽ afficit dispendio, nulla vi, sed tacitis

omnium suffragiis irrepsit, & in ea republica que sancto spiritu gubernatur, atque in eo negocio quod salutem animarum concernit, sitque demum per tot ecclesiæ proceres bis approbata, quis tam insanit, vt non putet eam à spiritu sancto fuisse profectam? Sed hactenus pro consuetudine statuenda.

*Lutheri inanes cauilli confutantur.*

Iam vestigemus quàm sint nullius momenti Lutheranæ rationes, quas ad hanc consuetudinem abrogandam attulerat. Primum adducit testimonium ex Matthæo: Sine causa colunt me doctrinis & mandatis hominum. Ex qua scriptura colligere molitur, quòd consuetudo per homines introducta, infirma sit & inualida. Sed Christus hanc scripturam dissoluit ipse. Nam ad eos illam attinere dicit, qui dei præceptum irritum faciunt propter traditiones hominum. Verum nihil eiusmodi fit per hanc consuetudinem, quum ipsa nulli diuino præcepto repugnet, vt superius ostendimus. Protulit hanc scripturam Christus è lege veteri, quæ populum obedire voluit mandatis hominum, vti liquet Num. 11. & Deuter. 17. Erant enim sub ea lege septuaginta se-

*Matt. 15.*

*Bona cõsuetudo nõ aduersatur euangelio.*

niores, quorum præceptis & inſtitutis populus obtemperare ſub mortis pœna tenebatur. De quibus & Chriſtus ait Matth.23. Super cathedram Moſi ſederunt ſcribæ & phariſæi. Omnia ergo quæcũque dixerint vobis, facite. Quòd ſi Chriſtus iuſſerit vt illis obtemperaretur in omnibus quæcunque dixerint, multo magis hanc obedientiam apoſtolis ſuis & eorum ſucceſſoribus exhiberi voluit, vt iis videlicet parerent cunctis: de quibus & dixit, Qui vos ſpernit, me ſpernit. Non damnat itaque Chriſtus hominum mandata, neque vetat quenquam his obtemperare, quin iubet potius in omnibus quæ dei præceptis haudquaquam repugnant, obtemperent penitus. Quamobrem quum iſta conſuetudo nullis dei præceptis aduerſetur, nihil prorſus Luthero confert dictum teſtimonium: & tamen hic mirum eſt vt inſultat Lutherus, quaſi vel hac vna ſcriptura penitus triũphaſſet. *Lucæ x.*

Cætera verò quæ ſubinde producit, irriſionem exigunt potius quàm reſponſionem aliquam. Nam quod de diuturnitate fidei Turcarum in medium affert, *Lutheri deliramẽta reſponſo indigna.*

quis non rideat, quum nihil habeat huic
*Secundus cauillus.* noſtræ conſuetudini ſimile, præter ſolam diuturnitatem? Et tamen Lutherum haud pudet hanc pro ſua defenſione citare. Qua ratione (inquit) probabimus
» Turcarum fidem eſſe erroneam, quæ iam
» ad milleſimum ferè annum durat, antè
» orta, quàm Germania ad fidem conuerſa eſt? Hæc Lutherus. Quaſi nos propter ſolam diuturnitatem, conſuetudinem iſtã approbaſſemus: quod falſum eſt: ſed plures alias bonas & iuſtas conditiones habere docuimus, nempe quòd à periculis pluribus eripiat, neque præceptis vllis diuinæ legis obuiet, ſitque iuſtas ob cauſas introducta in eo populo qui lege cœlitus data ſpirituque ſancto regitur, & demum à præpoſitis & præſidibus illius populi communibus ſuffragiis approbata.

*Crimina non excuſantur conſuetudine longa.* Cæterũ Turcarum fidem, quantumuis diuturna fuerit, cæteris tamen carere cõditionibus apertiſsimum eſt. Certum eſt enim eam & impiam eſſe, & contra legem dei, neque gentem ipſam ſpiritu ſancto gubernari, quemadmodũ de Chriſtianis apertiſsima Chriſti promiſsione

compertissimum est. Proinde nec valet quicquam quod de Iudæis tertio loco producit. Sic & Iudæos (inquit) quis non merito iustificet huius inuicti Thomistæ exemplo, quum tanta nos superent longitudine temporum.

*Tertius cauillus.*

Cui respondemus, quòd nec fidei nec legis Iudaicæ diuturnitas quicquam eisdem suffragatur, quum plane constet eos infidelitatis, authore Christo, conuictos fuisse, fidemque illorum esse reprobatam, & legem iam olim antiquatam esse.

Rursum de gentibus sic obiicit: Et cur gentes per orbem nouam Christi fidem non dicentur, authore Henrico Angliæ, meritò fuisse persecutas, cum idololatria eorum hoc pulcherrimo & Thomisticissimo argumento, recta & sana fides conferi debuerit, quòd tot milibus annorum, tot regionibus populorum, tam constanti vsu firmabatur?

*Quartus cauillus.*

Et hic respondemus, quòd nec idololatriæ quantumuis longa consuetudo, saluarit gẽtes, quum aduersus deum non solum impia sit, verumetiam per eius leges damnatissima. Veruntamen ipsa

de qua iam sermo est, consuetudo, nec in deum impia est, neque legibus eius contraria.

Camillus. 5. Quinto suum errorem cõmunibus hominum erroribus stabilire molitur, sic inquiens:

» Atque eodem Hẽrico magistro etiam-
» num asseramus, impiorum hominum er-
» rores esse sanam fidẽ, quòd ab initio mun-
» di illorum superarit multitudo & diutur-
» nitas & potentia, piorum paucitatem &
» ignobilitatem.

Cui respõdemus, quòd errores hominum, quos ab initio mundi Lutherus durasse contendit, nihil tueri potest tanta diuturnitas, quum non alium habeant authorem, quàm Satanam, eundem videlicet quem habent Lutheri dogmata.

Vides ex iis responsionibus nostris lector, q̃ solida scilicet is nouus totius orbis magister argumẽta produxerit, qui se certum iactitat sua omnia dogmata se habere de cœlo, quique de Satana se triumphasse gloriatur. Vides quæ iam spolia reportarit ex tam glorioso tríumpho.

Camill'. 6. Sed non prætereundum est quàm Herculeam rationem & inuincibilem postre-

mo loco producit.

Summa (inquit) Si hominum dicta va- cc
lent articulos fidei, cur non & mea verba cc
faciunt articulos fidei? An nõ sum homo? cc

Respondeo, Me sanè putare quiduis a-
liud te esse præter hominem. An non tibi
credam, qui teipsum vrsam & leænam ap-
pellasti? Quando igitur vrsam aut leænam
nemo recte vocauerit hominem, sed be-
luam, non mihi plane videris homo, sed
belua. Nam si homo esses, aliquod in te fo
ret humanitatis indicium. Non tot men-
daciis libelli tui scaterent. Non tot con-
uiciis abundares. Non tot insaniis & a-
mentiis fureres. At istis missis, ad cætera
pergamus.

Subinde cauillatur, Turcam risurum, *Cauill°. 7.*
si nostrã consuetudinem è spiritu sancto cc
manasse diceremus: nec proinde pluri- cc
mum à Turcarum consuetudine differre, cc
quum eam sine scripturis asseramus. Pri-
mum, istud absque scripturis non asseri-
mus, imò scripturas ob idipsum astruen-
dum antè produximus. Deinde nec scri-
pturis nostris Turca fidem haberet, tam-
etsi validissimas produceremus. Tertio,
neque Turca Luthero crederet, quãtum-

uis affirmet se certum esse omnia dogmata sua se habere de cœlo, vel si scripturis idipsum cõfirmarit: quod nunquam facit.

*Cauill⁹. 8.* Præter hæc & verbositate multa gannit & garrit nos aliud fundamentum præter Christum ponere, qui paremus hominibus. quod etiam falsissimum est. Nam supremum fidei nostræ fundamentũ Christus est, deinde apostoli, quos & Paulus

*Ephe. 2.* ipse (quanquam homines erant) fundamentum etiam appellat, quod supra Christum summum angularem lapidem stabilitum est. Post hos etiam apostolici viri ceu viui lapides superædificantur, quibus omnibus tandem innituntur & Christiani cæteri.

*Cauill⁹. 9.* Post hæc, Paulum affirmat magna au-
» thoritate sancire, fidem nostram oporte-
» re niti verbis dei. 1. Corint. 2. Sermo meus
» & prædicatio mea non in persuasibilibus
» humanæ sapiẽtię verbis, sed in ostensione
» spiritꝰ & virtutis fuit, vt fides vestra nõ sit
» in sapientia hominum, sed in virtute dei.

Verùm hæc scriptura multo magis contra Lutherum facit, q̃ contra nos. Docuit enim sua Paulus, ostẽsione spiritus & virtutis, hoc est clara miraculorũ operatio-

ne. Docuerũt & sua patres qui Paulo succesſerũt, simili modo, hoc est mirificis operibus è cœlo conteſtata. Quare nostra quę credimus, ex ostẽsione spiritus & virtutis abunde sunt cõfirmata. Nam vt suo tẽpore Paulus ea quę docuit, claris miraculis confirmauit omnia, ita reliqui patres suam doctrinam sequentibus temporibus magna vitæ sanctimonia, multaque miraculorum luce comprobabant. Quare si iam Lutherus velit alia superinducere quàm hactenus ecclesia crediderit, & plane diuersa iis quæ adhuc credit, oportet eum ostensione spiritus & virtutis, hoc est signis & miraculis istud comprobare, potius quàm deprauata scripturarum interpretatione, contra sensum Christi simul & tot sanctissimorum atque eruditissimorum patrum concordes sentẽtias, qui per multa secula nos præcesserunt. Optarim potius vt humanę sapiẽtiæ verba Lutherus proferret, quàm tot mendacia diabolica, maledictaque & conuicia congereret, quibus ferme quicquid scribit, refertissimum est. Nam vbique plus mendaciorum & conuiciorum quàm efficacium argumentorum inueniet lector.

Cauill⁹.10 Post multa igitur conuicia tandem di-
» cit Christum ecclesiam suam ædificasse
» non super longitudinem temporum, ne-
» que super multitudinem hominum, ne-
» que super Oportet sic esse, neq; super v-
» sum & dictum sanctorum, denique neque
» super Iohannẽ baptistã, nec super Eliam,
» nec super Hieremiam, aut vllum ex pro-
» phetis, sed super solam & solidã petram,
» super Christum filium dei.

Nos etiam & hoc ipsum afferimus ec-
clesiæ præcipuum fundamentum esse, cui
tamen fundamento propinquius innitun-
tur tam apostoli quàm prophetæ, quos &
constat homines fuisse. Deinde nos item
superædificamur, quemadmodum Paulus
ait, Superædificati super fundamentum
Ephe.2. apostolorum & prophetarum ipso sum-
mo angulari lapide Christo Iesu, in quo
omnis ædificatio crescit in templum san-
ctum in domino. Sed contendet Luthe-
rus nihil aliud per hoc fundamentum in-
telligi debere, quàm Christum. Ego ve-
rò viciſsim istud negabo. Quare iudice
quodam opus erit, qui litem hanc inter
nos dirimat. Augustinus igitur hunc lo-
cum explicans Psalmo.86. vocat apostolos &

los & prophetas fundamenta ciuitatis huius, hoc eſt eccleſiæ Chriſti: & Chriſtum vocat fundamentum fundamentorum, quemadmodũ & idem paſtor paſtorum, atque ſanctus ſanctorum nonnunquam dicitur. Vides ergo lector apoſtolos & prophetas eccleſiæ fundamenta dici, nec eſſe de horum veracitate metuendum, quanquam homines fuerint, quum & ipſi fundati ſint in ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Et rurſum ex eodem conſequitur, per petram in prioribus Chriſti verbis Petrum debere intelligi. Nam cur alioqui Chriſtus eum alibi ſaxum appellauit, nempe quum dixit: Tu vocaberis Cephas, quod ſi interpreteris (vt Ioannes ait) lapis aut ſaxum interpretatur? Et quid eſt lapis aut ſaxum aliud, quàm petra? Quòd ſi neget Lutherus hunc locum ſic accipiendum eſſe, Iudices oportet habeamus, quos neque paucos aduerſus illum produximus articulo. 25. confutatarum aſſertionum.

*Apoſtoli ſunt fundamenta eccleſiæ.* 1. *Pet.* 5. *Daniel.* 9.

*Ioan.* 1.

Sed aduerte lector quem in modum probat non ſuper iis fundamentis eccleſiam Chriſti fundari, ſed ſuper ſolum Chriſtum:

*Cauill.* 11.

„ Quoniam (inquit) hic mẽtiri & fallere non potest: at omnis homo mendax. Nescio quid hic sibi velit, nisi forte moliatur hoc verbo sua mendacia tegere, nempe ꝙ non sit pudendum Luthero si mentiatur, quandoquidẽ scriptura dicit omnem hominem esse mendacem. Nec opinor illum sentire quòd Paulus fuerit mendax, aut Petrus aut alius quispiam apostolorum in iis quæ tradiderunt ecclesiæ. Nam ita quicquid scripserint, id totum in suspicionem adducetur. Quòd si de illis idnolis accipi, quid prohibet eos dici fundamenta, quibus ecclesia post Christum fulciatur?

XII. Producit adhuc & alias duas scripturas, quæ nihil inseruiunt eius instituto, quin officiunt magis. Nam hæc, Si quis loquitur, quasi sermones dei: manifestè Lutherum damnat, qui nihil habet in ore frequentius, quàm conuicia, probra, maledicta, quæ magis diaboli sermones sunt quàm dei. Sed ne dixerit Lutherus, nos huius rei nulla exempla produxisse, non grauabimur vnum aut alterum in medium proferre. An non diabolica sunt conuicia quæ paulò antè in fautores diui Tho-

*Diabolica Luthe. conuicia.*

mæ iaculatus eſt? Hæc ſunt arma (inquit) «
quibus hęretici vincuntur hodie, ignis, & «
furor inſulſiſsimorum aſinorum, & Tho- «
miſticorum porcorum. Sed pergant por- »
ci illi, & ſi audent, exurant me: hic ſum, & «
expectabo eos. cineribus ſolis poſt mor- «
tem etiam in mille maria proiectis, perſe- «
quar & fatigabo hoc abominabile vul- «
gus. Summa, Viuens, papatus hoſtis ero: «
exuſtus, bis hoſtis ero. facite porci Tho- «
miſtæ quod poteſtis, Lutherum habebitis «
vrſam in via, & leænam in ſemita. vndique «
vobis occurret, & pacem habere non ſi- «
net, donec ferreas veſtras ceruices & æ- «
reas frontes contriuerit, vel in ſalutem, «
vel in perditionem. Hactenus ſatis fuerit «
patientiam perdidiſſe: deinceps, cum per- «
gatis indurati & occæcati cornua erige- «
re, & ſponte facti ſitis incorrigibiles & «
indomiti, nemo à me expectet quicquam «
dici in vos (deplorata portenta) ſuaue «
aut blandum. Irritatos enim volo magis «
ac magis, donec effuſis omnibus viribus «
& furoribus, concidatis in vobiſipſis. Qui «
primus alterum compeſcuerit, ſit ipſe vi- «
ctor: ſicut vultis, ſic fiat vobis. «

En tibi lector ſermones Lutheri. Num

tibi videntur dei sermones esse, an diaboli potius? Et rursum de summi pontificis cultoribus ad hunc modum ait:

» Tacens eos contemnam: vel si agendum est cum illis, quanto possim impetu
» in eos ferar, irritaturus satis, imò prouocaturus tam stupidos truncos, tam rudes
» asinos, tam crassos porcos, cum digni alio
» officio non sint, nisi vt prouocétur in pœnam suam. Idque faciam in gloriam Henricianæ ecclesiæ, & ipsius Henrici egregij
» defensoris Thomistæ, ne frustra meâ mor
» dacitatẽ sacerrima sua maledicentia damnasse queri possit.

Hi scilicet sunt sermones dei, quos tam crebro Lutherus habet in ore? imò plane diabolicos esse quis non diiudicat?

Cæterum vt ad institutum nostrum re-
1. Pet. 4. uertamur, docet Petrus superioribus illis verbis, Christianos quæcunque loquantur, ea modestia sobrietateque loqui, ac si loquerentur eloquia dei. Quare nihil hęc scriptura Luthero confert: sed multo minus quàm nihil, altera quam subinde producit. Affert enim alteram, sed è suo cerebro confictam, quippe quæ nusquam scripta sit.

Et omnis (inquit) prophetia ſit analogia fidei. cc

Non hoc dixit Paulus, ſed ita: Siue prophetiam ſecundum proportionem fidei, hoc eſt, quòd prophetiæ donum in hominibus vel maius vel minus eſt pro magnitudine fidei. Quid hoc ad rem attinet, q̃ nobis nihil ſine ſcripturis licebit loquiꝫ Cæterum quanquam hoc non probent hæ ſcripturæ per Lutherum adductæ, nemo tamen negat, quin prophetantibus id ſit loquendum, quod ſcripturis conſentaneum fuerit: nihilque omnino proferri ab his debere, quod ſcripturis quouis pacto contrarium ſit. *Roma. 12.* *Conſentanea ſcripturis doceri oportet.*

XIII.

Et quanquam nec ſcripturis nec ratione Lutherus iſta probauerit, audi tamen lectorem quàm iactabunde loquitur.

Hæc ſunt (inquit) robora noſtra, aduerſus quæ obmuteſcere coguntur Henrici, Thomiſtæ, papiſtæ; & quicquid eſt fecis, ſentinæ, & latrinæ impiorum & ſacrilegorum eiuſmodi: neque habent quod poſſunt hic reſpondere, ſed cõfuſi & proſtrati iacent à facie verborum iſtius tonitrui: & expectamus quoque quid aduerſus hæc mutire audeat Rex cum omnibus cc cc cc cc cc cc cc cc cc *Inanis iactantia Luth.*

» suis sophistis.

An non vides lector beluam istã prorsus insanire: qui quũ ipse nihil præter meras nugas effutiat & deblateret, alios tamẽ appellat nugigerulos: & putat oris sui fœtorem pestilentissimum adeo formidabilem esse, vt omnes obmutescere cogat?

» Subdit Lutherus. Stat enim fixa sententia,
» fidem non deberi nisi certo verbo dei, si-
» cut dicit Roma. x. Fides ex auditu, auditus
» autem per verbum Christi.

*Fides ecclesiæ Rom. à Christo & apostolis.*

Et istud sanè plurimũ nostræ parti suffragatur. Nam ea quæ nos credimus, ab orthodoxis accepimus, & hi ab aliis audierunt similiter orthodoxis, atque hi vicissim ab aliis, idque continua serie donec ad ipsos priscos apostolorum auditores peruenerimus. At si Lutherum petas quonam audito fidem acceperit suam, non poterit alium indicare, quàm aut VVicleffistam, aut Husitam quempiam. Lutherus enim uero quicquid libet, ex quauis scriptura colligere nouit. At certe parũ dialectice consequitur, Fides habẽda est verbo dei, ergo soli verbo dei.

» Cæterum iam donemus istud Luthero:
» Solis dei verbis, & his quæ sequuntur ex

dei verbis, fides adhibeatur. Neque enim dubitamus quin eiuſmodi negotium iſtud ſit, de quo iam agimus. Nam hæc ſunt verba Chriſti: Et rogabo patrem, & alium *Iohan. 14.* conſolatorem dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis. Et rurſum: Quum venerit ille, qui eſt ſpiri- *Iohan. 16.* tus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Atque iterum de eodem ſpiritu loquens ait, De meo accipiet, & annunciabit vobis.

Ad hæc: Paracletus autem ille qui eſt *Iohan. 14.* ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixi vobis. Quis iã has ſcripturas exacte penſitans dubitare ſecũ poteſt de ſpiritus huius conſolatione? maxime quum apoſtolici viri & ſeniores in vnum locum ex toto Chriſtianorum orbe confluxerint eius conſulendi gratia, nempe quid eſſent in cauſa fidei facturi, & ea certe cauſa, quæ plurimum concernit animarum ſalutem. Nam ſi ſpiritus veritatis ſit, & maneat nobiſcum in æternum, ocioſus eſſe non poteſt in monſtranda veritate. Et ſi ducturus eſt in omnem veritatem, cur & iſtam adeo

suppliciter imploratus non indicabit? Et si docebit vos omnia & suggeret quæcúque Christus ante dixerit, cur & hunc scrupum in Christi verbis iam requisitus non explicabit? Hic profecto liceret nobis in beluam istam insultare, & in caput eius omnia sua conuicia regerere, & maxime quum præter illas scripturas exemplum etiam habeamus ex facto Christi,
*Lucæ.24.* qui sub vna specie, nempe panis, hoc sacramentum duobus è discipulis suis porrexit: neque Christi modò, verumetiam apostolorum eius, quos nõ semel idipsum feciſſe literis proditum est. Cæterum hac de re pluribus in articulorum cõfutatione diximus.

XIIII. At adhuc blaterare Lutherus haudquaquam desinit. Colligere molitur ex his quæ superius adduxit, quicquid vltra verbum dei producitur, hoc nostri arbitrij
» esſe, ceu dominorum, credere non credere, damnare probare, sicut scriptum est:
» Omnia vestra sunt, siue Apollo, siue Cephas, siue Paulus: vos autem Christi. Nec
» istud certe probat id quod Lutherus molitur. Neque enim ita Paulus intellexit Christianos esse Christi, vt non debeant

præpoſitis ſuis obedire. Nam iſtud ad Hebræos vltimo præcipit. Obedite (inquit) præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. & rationem ſubnectit dicens: Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Ecce Paulus Chriſtianos obedire vult & ſubiici præſidibus ſuis, qui deo rationem pro animabus eorum reddituri ſunt. Et Chriſtus item iuſsit, Omnia quæcunque dixerint vobis, facite. *Matt. 23.*

Poſtremo docet noſtrum eſſe iudicare pontificem, & non iudicari à pontifice: Quia ſpiritualis (inquit) à nemine iudicatur, & ipſe iudicat omnes. XV. "" "" ""

Sed hæc conſecutio planè ſtolida eſt, ni Lutherus prius doceat plebem eſſe ſpiritalem. Nam de præſidibus hoc Paulus dixit, & non de plebe: quod illic apertiſſimum eſt. Mox enim ſubdit: Nos autem ſenſum Chriſti habemus. hoc de præſidibus. Et de plebe quid? Adhuc enim carnales eſtis. Et quare carnales eos appellarit, oſtendit: Quum enim ſint inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis? Ecce lector, hic prorſus euaneſcit Lutherani iudicij authoritas, quum tam aperte factioſus & contentioſus fuerit, ac proinde *Cuius ſit iudicare alium.* *1. Corin. 2.* *1. Corin. 3.*

carnalis. Si carnis opera, quæ Paulus ad
*Gala. 5.* Galatas enumerat, carnalem efficiunt
*Lutherus carnalis.* quempiam, Lutherus vtique totus carnalis est. Nam & totus conflatus est ex inimicitiis, contentionibus, æmulationibus, iris, rixis, dissensionibus, sectisque & inuidiis. Quamobrem nec ipse, neque sectatores eius idonei iudices esse queunt.

Quod de Augustino denique produ-
» cit, nempe quòd (eius sententia) solis ca-
» nonicis libris is debeatur honor, vt firmis-
» sime credatur nihil erroris in illis esse: cæ-
» teros, quantalibet sanctitate doctrinaque
» præpolleant, non æquo honore dignos: nihil contra nos militat. Neque enim ob id vult Augustinus, vt nihil omnino credatur, nisi quod in scripturis positum fuerit, quum ipse contra Donatistas multa docet esse credenda, quæ nequaquam in sacris literis continentur, de quibus & inter confutandum articulos Lutheranos ipsi meminimus. Sed & generalium synodorum decretis Augustinus deferendum censet haud aliter quàm à sacro profectis spiritu.

*Modestia authoris.* Nihil hactenus omisimus lector, quod erat aliqua responsione dignum. Conui-

cia tamen innumera præteriuimus, ne te nimio prolixitatis onerarem⁹ tædio. Multis autem verbis poſt hæc Lutherus ſubterfugere conatur, ne videatur in laudando Leone pontifice, & eodem rurſus impoſtore vocando, fuiſſe ſibi contrarius: ſed nihil agit. Si impoſtor fuit Leo decimus, vt eum Lutherus vocat, vir bonus haudquaquam fuit: & idem à Luthero ceu vir bonus laudatur. Luthero certe bonus & non bonus erit, niſi forte adulandi gratia fateatur ſe (dũ iſtud ſcripſerit) fuiſſe mentitum.

*Luther. vel mẽtitus eſt vel ſibi cõtrariatur.*

De papatu ſubinde Lutherus oggan- XVI.
niens, illuſtriſsimum regem inſimulat ad
ſcripturas quas attulit, magis mutum fuiſſe, quàm piſcem: quũ tamen omnino nullas quibus papatum conuelleret, in toto Babylonicæ captiuitatis libello produxiſſet. Cæterum quia nos inter confutandum articulos, ſatis abunde Luthero papatum impugnanti reſpondimus, iam paucioribus agendum eſt. Neminem opinor dubitaturum hac de re, qui verba Chriſti cum ipſo rerum euentu digne conferat. Quis enim tam cæcus eſt, vt non videat eam quam hodie vocamus eccleſiam, ex

*Eccleſiæ Ro. ex Petro dimanauit.*

Petro dimanasse? Nec inficior quin à cæteris apostolis ecclesiæ complures institutæ fuissent, nimirum à Paulo, Iohanne, Iacobo, Matthæo, Barnaba, reliquisque quos olim ad totum orbem conuertendũ Christus ipse miserat. At successiones eorum vel penitus interierunt, vel ita schismatibus & hæresibus ab ecclesia receserunt, vt ad eam haudquaquam pertinere credantur. Quum enim ecclesia non segregatio, sed congregatio dicatur: qui non cum cæteris membris adunati sunt, meritò cẽsentur nõ esse de ecclesia. Retinet igitur sola illa Christianorum successio, quæ à Petro defluxit, ecclesiæ nomenclaturam. Quamobrem quum & illi Christus dixit:

*Matt. 16.* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & eũdem alibi promiserit vocandum esse saxum aut lapidẽ, quis non dilucide perspicit Petrum illis verbis petram fuisse vocatum? Nam quum alibi nusquam per totum euangelium inuenias Petrum saxum vocari, quumque certissimum sit, Christi verba frustrari nõ

*Iohann. 1.* posse, quibus Petro dixit, Et tu vocaberis saxum: reliquum est, vt Petrus hoc loco iure petra sit vocatus, supra quam ipse to-

tam eccleſiæ ſuæ ſucceſsionem ædificauit: aduerſus quam ſucceſsionem hactenus inferorum portæ nec præualuerunt, nec præualebunt vnquam. Manet enim ad hunc vſque diem hæc interrupta ſucceſſio, & manebit haud dubiè quandiu mũdus iſte durabit. Quid ad nos ſi Bohemi & Indi nolint hanc petram ceu catholicæ eccleſiæ fundamentum agnoſcere, ſed vltro ſe ſeparauerint? Vnica nihilominꝰ eſt columba Chriſti, à qua ſe faciunt exteros, quòd ab ea ſponte receſſerint. De Hieronymo quòd ais eum Romanam eccleſiam, ſuam dumtaxat, non orbis matrem appellare, argumentum iſtud nihil efficit, quũ ſit mere negatiuum. Sed & quia Hieronymus nequaquam ſub diœceſi Romana, ſed Hieroſolymitana tum degebat, non vocaſſet Romanam eccleſiam, ſuam matrẽ niſi quatenus & ipſa totius orbis fuiſſet mater. Cæterum de Romana quid ſenſerit Hieronymus eccleſia, iam audi quũ ad Damaſum eccleſiæ Romanæ pontificem ſcribat: Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam domini tunicam & deſuper textam minutatim diſcerpſit, ideo mihi cathedrã

*Cant. 6.*

*Hieron. de eccleſia Romana.*

& fidem apostolico ore laudatam censui consulendam. Et rursum ad eundem: Beatitudini (inquit) tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior. super illam petram ædificatam ecclesiam scio. Ecce quid Hieronymus de Petro dixerit: Super illam petram ædificatam ecclesiã scio. Ad hæc: Si quis (inquit) cathedræ Petri iungitur, meus est. Quamobrem & ingenue fatetur se Vitalem non nosse, Miletũ respuere, Paulinum ignorare, nimirum qui sedis huius & cathedræ fuerãt aduersarij. Sed & demum cunctos affirmat spargere, hoc est schismaticos esse, & extra ecclesiam, qui cum successore Petri non coligunt. Quis ex his non intelligit, quantũ Hieronymus ecclesiæ Romanæ censuerit deferendum? Non est igitur cur Lutherus garriat, Regem Angliæ rudem & indoctum esse laicum: quo vtinam nos ipsi qui sacerdotes sumus, non essemus tam eruditione quàm eloquentia longe inferiores.

XVII. *Ad institutum reuertitur.*

Sed iam tandem veniamus ad rem propositam, quæ hactenus per multã Lutheri verbositatem dilata est. Nam & ad singula respondendum fuit, & ordo quem ille

secutus est, à nobis teneri debuit, quo lectoribus omnia promptius occurrerent. Hic primùm scripturas & rationes diluemus, quas Lutherus sua robora vocat, & à Rege præteritas fálso conqueritur, quũ tamen ipse transiliat multa quæ non mediocriter eum premunt, quibusque respõdit nihil. Et hæc est vna, neque rara, vulpis huius fraudulẽtia, qua suum aduersarium in eo maxime reprehendit, in quo maxime delinquit ipse. Sed nos eius quæ vocat robora iam recensebimus. Septem ea fuisse dicit.

*Confutatio septem roborum Lutheri.*

Primum erat authoritas euangelistarum narrantium constanti & vno sermone, Christum instituisse vtramque speciẽ iis qui memoriam sui essent facturi: & signanter ad calicem adiecit, Bibite ex eo omnes. Hic respondemus verum esse, quòd hoc sacramentum sub vtraque specie Christus instituit: sed negamus quòd omnibus his qui memoriam eius essent facturi, præceperit ipsum sub vtraque specie dari. Nec probat id quod sequitur, Bibite ex eo omnes. quod solis duodecim apostolis, non item omnibus Christianis fuisse dictum, paulò antè monstrauimus.

*Matt. 26.*

*Secundum robur.*

Secundum erat: Si solis presbyteris dixisset Christus in cœna sacramentum, nō liceret vllam partem laicis dare, cum non liceat institutum & exemplum Christi mutare.

Huic respondemus, quòd Christus ipse duobus ex discipulis suis nondum sacerdotibus factis hoc sacramentum sub specie panis dumtaxat ministrauit. Quocirca nec ob id mutatum est Christi institutum, quòd laicis idem sacramentum sub altera tantum specie, nempe panis datur, quum hoc ipsum ipse Christus prius fecerit, laicos communicans in Emaus, quemadmodum ante diximus: quod & vltimo Lucæ manifestum est.

*Lucæ.24.*

## XVIII.

*Instituta Christi possunt immutari.*

*Acto.2.9. 10.*

*Matt.28.*

Dicimus præterea licere cuipiam generali concilio nonnihil è Christi institutis ob vrgentes causas immutare, quemadmodum & primis ipsis licuit ecclesiæ proceribus qui baptismi formam immutarunt, longe aliter quàm instituerat eam Christus.

*Apostoli sacramentum eucharistiæ pro suo arbitrio ministrabant.*

Dicimus tertio, quòd huius sacramenti ministrandi modus arbitrio apostolorum relictus fuit. Quod & Augustinus ad Ianuariū docet inquiēs: Saluator quo vehementius

mentius commendaret myſterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorũ, à quibus ad paſsionem digreſſurus erat: & ideo non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur, vt apoſtolis (per quos eccleſias diſpoſiturus erat) ſeruaret hunc locum. Hæc Aug. Quam rem & Paulus. 1. ad Corin. 11. inſinuat, nonnulla videlicet circa hoc ſacramentũ aliter ordinanda. Propter quod & quum de eodem loqueretur, ſubiunxit, Cætera quum venero, diſponam.

*Tertium robur.*

Tertium. Si poteſt vna pars huius ſacramenti laicis tolli, poterit & pars baptiſmi & pœnitentiæ eadem authoritate tolli: & quicquid Chriſtus vnquam ſtatuit, poteſt partim tolli. Si non poteſt, nec illa pars tolli poteſt.

*Diſcrimen inter euchariſtiæ ſacramentum & alia.*

Reſpondemus, quòd de baptiſmo & pœnitentia nequaquam ſimile eſt, quum neutrum horũ partes duas habeat, in quarum vtraque tota res ſacramenti contineatur. At qui ſacramentum Euchariſtiæ ſumit vel ſub ſpecie panis, vel ſub ſpecie vini, totum Chriſtum ſumit vtrobique. Nam qui ſpeciem alteram ſumit, tantum accipit commodi quantum ſub vtraque

ſpecie comprehenditur, nihilque maius ſub vtraque ſpecie ſuſcipit, quàm ſub altera tantum. Species enim ſigna dumtaxat ſunt, & non res: neque virtutis quicquam adiiciunt quod non in re ſignata, nempe Chriſtus, cõtineatur. Adde quòd baptiſmi verba, contra quàm aperte Chriſtus præceperit, apoſtoli per aliquod tempus in eccleſia primitiua mutarunt, vt & alia nõnulla vbi iuſtas ſibi cauſas occurriſſe conſpexerint. Quamobrem & idem à patribus & ſpiritu ſancto iam fieri poſſe non eſt dubium.

*Quartum robur.* Quartum, quòd CHRISTVS dicit
» ſanguinem ſuum fundi pro remiſsione
» peccatorum noſtrorum: ideo quibus re-
» miſsio datur peccatorum, eis non poſſe
» negari ſignũ remiſsionis, quod illis Chri-
» ſtus dederit.

*Invalidatio.* Concedimus in hoc ſacramento contineri ſanguinem, qui fuſus erat in remiſſionem peccatorum: ſed negamus quòd hoc eſt ſacramentum remiſsionis peccatorum, ſed eſt ſacramẽtum potius vnionis fidelium cum Chriſto, & cum deo patre per Chriſtum. Neque enim ſequitur: Hic eſt ſanguis meus qui pro multis funde-

tur in remiſsionem peccatorum: ergo Eucharistia eſt ſacramentum remiſsionis peccatorum.

Quintum, ſi potuit vinum tollere, poterit & panem, ac per hoc totum ſacramẽtum tollere, & inſtitutum Chriſti penitus euacuare. ſi totum non poteſt, nec partem poteſt. *Quintum robur.*

Reſpondemus, quòd in miniſtrãdo hoc ſacramento ſub ſpecie panis, non ea pericula occurrunt, quæ vix vitari valeant ſi miniſtretur etiam ſub ſpecie vini. Atque iccirco non conſequitur, vt ſi Cõcilio viſum fuiſſet ob iuſtas cauſas laicis hãc partem ſubtrahi debere, pars identidem altera præter omnem rationẽ & cauſam ſubtraheretur. Sed & ob cauſam interdũ pars vtraque ſubducitur, nimirum ipſis moriturís, quando videlicet ex vomitu laborant: & infantibus, qui non ſemper deglutiunt quod in os ingeritur, ſed ingeſtum plerunque reſpuunt. *Inualidatio.* *Quibuſdã iure ſubtrahitur ſacramentum.*

Sextum robur aufugit, nec auſum eſt comparere. Metuit forte ne quod ſodalibus contigit, idem eueniret ſibi. XIX. *Sextum robur.*

Septimum eſt Paulus omnino obſtruẽs os, qui 1. Corint. 11. non presbyteris, ſed *Septimum robur.*

» ecclesiæ & omnibus fidelibus tradit totũ
» sacramentum.

*Inualidatio.*

Respondemus Paulum recensere tantùm Corinthiis quod ipse de hoc sacramento prius acceperat à Christo, nimirum vt ita maiorem eis erga cibum istum reuerentiam incuteret, simulque tolleret abusum, qui iam apud eos aliquantulum inoleuit. Nec inficiamur aliquãdiu sacramentum istud sub vtraque specie cunctis fidelibus administratum fuisse, & maximæ sæuientis persecutionis tempore, quò scilicet ipsi fideles ex crebra sumptione sanguinis Christi, quem ipse pro eis olim fudisset, quemque sub specie vini coram cernerent, magis ad martyrium pro Christi nomine subeundum animarentur. Cæterum quũ iam cessasset ea persecutio, multaque inconuenientia quotidie magis ac magis insurgerẽt, cuiusmodi superius memorauimus, quibus horrere cœperunt fidelium animi, sensim consensu quodã tacito per omnes ecclesias altera species adempta fuerat: atque ita populus ob euitãda crebra pericula, tacitis omnium suffragiis, vt ante diximus, assensum præbuit quatenus laicis sub vna tantùm specie sa-

*Communicabantur olim sub vtraque specie.*

*Rationabiliter mutatus est modus cõmunicãdi.*

cramentum iſtud exhiberetur.

Adde, quòd Paulus in epiſtola ſua generalitatem illam, cui potiſsimum Lutherus innititur, nimirũ, Bibite ex eo omnes, penitus omiſit, ne qua inde fortaſsis anſa credendi caperetur à poſteris, ſibi videlicet fore neceſſarium vt ſanguinem è calice potarent, quemadmodum & ſacerdotes iã faciunt. Præuidit forte Paulus hunc morem aliquando tandem inualiturum, quem iam prorſus inoleuiſſe cõſpicimus. 1. Cor. 11.

Iam dilucidũ eſſe cunctis opinor, quàm prorſus omni robore careant Lutherana robora, quibus iam pridẽ arrogantia pluſquam Gigantea ſuperciliũ extulit, vt meritiſsime regeramus in eum, quicquid in illuſtriſsimum ipſe Regẽ prius euomuerit immeritiſsime. Nos verba tantum immutabimus, quibus Regis facta eſt mentio. *Cõuicia in Lutherum regerenda.*

Intelligis lector ex his Lutheri nequitiam. Vide nunc an vlla ſit in tali corpore gutta Chriſtiani ſanguinis, aut in eius animo ſcintilla quæpiã boni viri. Quem rogo non vrat hæc pluſquam ſophiſtica malitia, ſimul & impudentia, quæ ex animo & de induſtria ſic aduerſus agnitam veritatẽ inſanit, vt nõ modo ſuis auditoribus,

sed & orbi toti velit tam rationabilem & salutarem consuetudinem extinctam & sepultam esse? Planè vas electionis est Satanæ, & dignissimus impugnator ecclesiæ catholicæ. Eo studio & pleraque alia molitur in omnibus quæ scribit. Sed pius lector hoc signo discat eum cauere, ceu sentinam mortis: & suspectum habeat per singulos apices. Nulla venia dignus est, quia nullus error hic est, sed mera nequitia, & indurata malitia ad mentiendum & blasphemandum intenta. Hactenus in Lutheri caput, eius propria verba regessimus, quę rectius in alium neminem competunt quàm in Lutherum ipsum.

XX. *Rex Angliæ corrupit fundamenta Lutheri.*

Sed iam ostendamus Regem abunde satisfeciisse cunctis Lutheri scripturis & rationibus: Lutherum contrà præteriisse multa, quæ sibi per Regem obiecta fuerãt. Primũ quantum ad scripturas, Lutherus, vt supra diximus, nullam attulit quæ præcipiat hoc sacramentum sub vtraque specie cunctis accipiendum esse, præter hanc vnam, nempe, Bibite ex eo omnes. At hãc ipse Lutherus negat vrgere laicos vt sub vtraque specie recipiant: quare factum est vt etiam ob id Rex Lutherum inconstan-

*Primi destructio.*

tiæ damnarit. Sunt enim hæc quæ ſequuntur verba Regis ad lectorẽ: At vide quæſo quàm vacillat ac ſibi repugnat Lutherus. Vno loco dicit, Chriſtum in cœna omnibus omnino fidelibus, non permittendo, ſed præcipiendo dixiſſe: Bibite ex eo omnes. Poſtea vero timens ne laicos, quibus in ſacerdotũ odium adulatur, offenderet, hæc verba ſubiungit: Non quòd peccent in Chriſtum, qui vna ſpecie vtuntur, quũ Chriſtus non præceperit vlla vti, ſed arbitrio cuiuſlibet reliquerit, dicens: Quotienſcunque hæc feceritis, in mei memoriam facietis. Hactenus ipſe Rex. An non perſpicis lector vtrunque Lutherum affirmaſſe, nempe quòd præceperit Chriſtus, & non præceperit: quæ manifeſte pugnant? Propter quod & Rex adiecit: Quid opus eſt ergo nos illi contradicere, qui ſibi toties contradicit ipſe? Palam eſt igitur ex Lutheri verbis, non eſſe cunctis præceptum, Bibite ex eo omnes. Quamobrẽ quum ipſe nullum aliud è ſcripturis præceptum afferre queat, Regia celſitudo ſatis hoc primum Lutheri robur euertit. Et tamen ad inconſtantiam de qua tam aperte conuincitur, ſilet penitus.

*Verba Regis.*

*Lucæ. 22.*

*Epiſcopus.*

*Destructio secundi.*

Secundum etiam robur Lutheri, quod in eo consistit, quòd nõ liceat Christi institutum mutare, satis efficaciter ipse Rex eneruauit, docens Christi institutum ob iustas causas mutari potuisse, quemadmodum aperte constat in plerisq; fuisse mutatum tam ex parte tẽporis, nempe quòd Christus post cœnam ipsum instituit, quũ ecclesia sumendum iubeat à ieiunis: quàm quòd aquam etiam vino commiscendam ecclesia præcipit, quod tamen neque per Paulum neque per euãgelistas vt quisquã faceret erat expressum. Protulit & ex Augustini verbis euidens testimonium, quo non est veritus Augustinus asserere mutationem illam à spiritu sancto processisse. Sed & idem Augustinus paulo post in eodem loco testatur, Christum apostolis reliquisse totius ipsius sacramenti dispositionem & ordinem. Quam rem ex Pauli verbis colligit, quum is de sacramento hoc locutus dixerit: Cætera, cum venero, disponam. Quando igitur perspicuum est quòd Christus neutram partem omnibus Christianis dari iusserit, sed hoc ipsum arbitrio ecclesiæ reliquit ordinandum, quis dubitare potest, quin ecclesia, sancti spiri-

*Ecclesia mutauit instituta Christi.*

1. Corin. 11.

tus(quo iam regitur)inſtinctu ſic ordinauerit,vt ſub altera ſpecie duntaxat hoc ſacramentum laicis conferatur?

Tertium item robur infirmatur ex eo, quòd docetur aliter mandari Baptiſmum quàm Euchariſtiam. Baptiſmus enim palam præcipitur, dicente Chriſto apoſtolis:Euntes docete omnes gentes,baptizãtes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti.Verum nuſquam ita præcipitur de ſacramento Euchariſtiæ: quam rem euicit Rex ex ipſius Lutheri verbis. Lutherus enim aſſeruit non eſſe præceptum laicis vt ex calice biberent.quare non eſt ſimile de Baptiſmo & Euchariſtia. *Deſtructio tertii.* *Matt.28.*

Soluitur & quartum robur,quia nõ eſt Euchariſtia ſignum remiſſionis peccatorum.Nec valet conſecutio:Chriſtus dicit ſuum ſanguinem fundi in remiſſionem peccatorum,ergo hoc ſacramentum ſignũ eſt remiſſionis peccatorum. Hæc ſequela ſi bona foret, multum Bohemis ſuffragaretur,& rectè concitaret laicorum odium in ſacerdotes: in qua re vehementer ipſe Rex Lutherum pungit,inquiens: XXI. *Deſtructio quarti.*

Interim verò libet excutere quàm fraudulẽter per ſpeciem fauoris in laicos *Verba Regis.*

conetur eorum odium concitare in sacerdotes. Nam quum decreuisset ecclesiæ fidem suspectam reddere, ne quid ponderis eius haberet authoritas, atque ita facta via, præcipua quæque Christianę religionis euertere, ab ea re sumpsit initium, cui populum sperabat alacriter applausurũ. Tetigit enim vetus vlcus, quo pridem vlcerata est Bohemia, quòd laici sub vtraq; specie non recipiant Eucharistiam. Eam rem quum prius ita tractasset, vt duntaxat diceret, recte facturum Pontificem, si curaret communi concilio statuendum, vt sub vtraque specie laici communicarent: post vbi nescio quis illud ei negauit, non contentus in eo manere quod dixerat, sic profecit in peius, vt totum clerum condemnet impietatis, quòd istud non faciãt nõ expectato Cõcilio. Hactenus ipse Rex.

*Destructio quinti.*

Diluitur & quintũ robur ex eo, quòd per ecclesiam infantibus adempta sit vtraque species, qui tamen aliquandiu soliti sint cõmunicare. Neq; negat iuste sublatam, quandoquidem in Captiuitate Babylonica recenset ex Augustino, citra sacramentum eos manducare carnem & bibere sanguinem Christi. Sed hic Regem

ipſum iterum audiamus.

At iſtud miror, tam vehementer indignari Lutherum laicis ademptam alterã, quum nihil eum permoueat quòd vtraq; ſpecies adimatur infantibus. nã illos olim cõmunicaſſe, nec ipſe negare poteſt. Quimos ſi recte fuit omiſſus, quanquam Chriſtus dicat, Bibite ex hoc omnes, nec quiſquam dubitat quin cauſæ fuerint magnæ, etiam ſi nunc earum nemo meminiſſet: cur non etiam cogitemus bonis iuſtiſque rationibus, quantũuis nunc ignoratis, abolitam eſſe conſuetudinem, qua laici olim, nec id fortaſſe diu, ſub vtraque ſpecie ſolebant recipere ſacramentum? Hactenus ipſe Rex. Hic aduertis lector quòd tametſi dixiſſet Chriſtus, Bibite ex eo omnes: infantibus tamen vtraque ſpecies adimitur. atque ita quoties occurrerint idoneę cauſæ, vel altera vel vtraque per eccleſiam tolli poterit.

*Verba Regis.*

*Matth. 26.*

Sextũ robur nuſquã cõparuit, quo factũ eſt vt Rex non potuerit illud infirmare.

XXII.

Septimũ robur etiã Rex è Lutheri manibus eripuit: quanquã ſuperbiſsime gloriatur, hoc argumentũ aſſertori ſacramẽtorũ dixiſſe, Noli me tangere. Tetigit &

*Deſtructio 7.*

contriuit penitus:quod & facile fuit,qui omni robore careat.Nihil enim magis efficit,quàm quòd tempore Pauli mos erat fidelibus sub vtraque specie communicare.quod nemo negat.Atque iccirco Rex affirmauit hunc morem ob iustas causas desiisse,dicens : Cæterum, etiam si causas non viderem cur non decernat ecclesia vt vtraque species ministretur laicis,tamen dubitare non possem,quin sint idoneæ,quæ & olim fecerũt vt id omitteretur,& nũc quoq; faciãt ne redintegretur. Sed & subinde robustissima quadam cõiectura docet,clerum non sine iustissimis causis id feciſſe . Nec plane assentior,inquit,totum clerum per tot secula fuisse tam stolidum, vt se obstrinxerit æterno supplicio propter eam rem vnde nihil reportaret commodi temporalis.

Postremo rationem adiicit efficacem dicens: Imò verò quàm nihil sit talis periculi, vel hoc euidenter ostendit, quòd eos qui non tantũ istud fecerunt, verumetiam qui scripserunt esse faciendum,deus non modo suscepit in cœlum, verumetiã voluit esse venerandos in terris,& ab hominibus honorari,à quibus

honoratur ipse. Inter quos fuit (vt de aliis interim taceam) vir eruditissimus & idem sanctissimus diuus Thomas Aquinas. quẽ ideo libentius commemoro, quoniam eius viri sanctitatem, Lutheri ferre non potest impietas, sed quem omnes Christiani venerantur, pollutis labiis vbique blasphemat. Quamquam sunt permulti, qui etiam si pro sanctis recepti non sunt: tamen siue doctrina, siue pietate spectẽtur, tales sunt, vt Lutherus eis comparari non possit, qui hac in re contrarium Luthero sentiunt: inter quos sunt Magister sententiarum, & Nicolaus de Lyra, & complures alij quorum cuilibet magis expedit Christianos omnes quàm Luthero credere.

*Laus sancti Thomæ de Aquino.*

Ecce lector quàm validissimè Rex illustrissimus robur istud Lutheranũ penitus redegit in nihilum, & planè docuit cuncta robora Lutheri perinde esse atque sagittas paruulorum quæ nihil penitus lædant.

XXIII.

At ediuerso Lutherus fortia Regis iacula declinauit penitus. Nihil enim respondet ad illam contradictionem quam ei Rex obiecit, nẽpe quod Christ⁹ præceperit & non præceperit cunctis è san-

*Cõuincitur palàm sibi contradixisse Lutherus.*

guine suo bibere. Et ne subterfugiat Lutherus hanc contradictionem, locos ipsos memorabimus. Sic enim ait in prima captiuitate sua: Ego fateor ista me ratione mihi inuicta superatum, nec legisse, nec audiuisse, nec inuenisse quid contradicam, quum hic Christi verbum & exẽplum stet firmissime, vbi non permittendo sed præcipiendo dicit, Bibite ex eo omnes. Rursum in principio secũdæ Captiuitatis sic ait: Non quòd peccent in Christum, qui vna specie vtuntur, quum Christus non præceperit vlla vti: sed arbitrio cuiuslibet reliquit, dicens: Quotienscunque hæc feceritis, in mei memoriam facietis. Ecce in priori præcepisse Christum affirmat, & in posteriori non præcepisse. Sed & quum Rex nullam in sacerdotibus culpam esse dicit, quos tamen Lutherus ceu reos arguit, nihil is respondet. Et profecto nullam impingere sacerdotibus culpam in hac re Lutherus iure potest, quũ nusquam eis præcipiatur vt dent sub vtraque specie. Nã si sit alicubi præceptum, locum ipse proferat. Si nequeat, cur absq; scripturis istud asserit, qui nihil sine scripturis admitti

*Sacerdotes non culpãtur de alterius speciei subtractione.*

velit? Et quum Rex planè doceat hanc cõ ſuetudinem haudquaquam inuitis laicis inoleuiſſe, hic omnino Lutherus tacet. Sed Regem ipſum audiamus: Hic igitur ſi quis eum percontetur, quî ſciat iſtum ritum inoleuiſſe renitente populo: nõ poteſt, opinor, docere. Cur ergo totum condemnat clerũ quòd laicis inuitis ademerit ſuum ius, quũ id inuitis eſſe factũ nullo poſsit documẽto probare? Quanto fuit æquius, ſi niſi volẽtibus illis rectè nequiuit inſtitui, pronunciare pro tot ſeculorũ conſuetudine plebis interueniſſe conſenſum? Ego certe, qui video quas res à plebe clerus obtinere nõ poteſt, ne tãtum quidem, quin ferme ſub ipſo altari ſuorum condant cadauera: non facilè credo populum fuiſſe paſſurum, vt inuiti per contumeliam in tanta re ab vlla iuris ſui parte pellerentur, ſed cauſis aliquot idoneis è laicorum quoque voluntate conſtitutũ. Nihil ad iſta Lutherus reſpondet.

Et quum Luthero Romanos aſſerenti potius hæreticos & impios atque ſchiſmaticos eſſe quàm Bohemos aut Græcos, ꝙ illi ſolo figmento ſuo (quemadmodũ ait Lutherus) contra euidẽtes dei ſcripturas XXIIII.

præsumunt, Rex ad hunc modum opposuisset: Si Lutherus nihil admittit aliud, quàm euidentes dei scripturas: cur non iubet Eucharistiam, vti dixi, sumi à cœnantibus? Nam sic factum à Christo scriptura commemorat. Quanto melius crederet Lutherus, non humano figmento, sed eodem authore deo, factum in ecclesia ne laici sub vtraque specie reciperent Eucharistiam, quo authore factum est vt reciperetur à ieiunis? Placuit enim, vt ait beatus Augustinus, spiritui sancto, vt corpus domini, quod post alios cibos ab apostolis in cœna receptum est, ante alios cibos à ieiunis reciperetur in ecclesia. Videtur ergo verisimile, quòd spiritus sanctus, qui Christi regit ecclesiam, sicut eucharistiæ sacramentum mutauit à cœnantibus ad ieiunos: ita laicos ab vtraque specie deduxit in alteram. Nam qui alterum mutare potuit, cur non alterare potuerit & alterum? Et hic Lutherus obmutuit prorsus.

*Corpus Christi à ieiunis sumendum.*

Cæterum ne sectatoribus suis nihil fecisse videatur, duas tantum particulas furibundus aggreditur: quas & molitur pedibus omnino cõculcare. Sed nequicquã agit.

*Lutherus detrũcat verba Regis.*

agit. Neque enim Regis argumentum iuste recensuit, sed vulpino suo more meliorem eius partem subticuit. Nam ita Lutherus: Ecclesia (inquit Rex) mane cõmunicat sacramento, quod Christus fecit vesperi. deinde nos aquam vino miscemus: de quo tamen nihil meminit scriptura. Quare si ecclesia hic potuit aliud facere aut instituere, potuit & aliam partem sacramenti tollere. Sic Lutherus Regẽ recenset, atque ita magnis roboribus duas regias argumẽtationes mutilauit. Sed audi lector, quibus verbis Rex ipse priorem extulit rationem. Postquam enim infantibus vtranque speciem ademptam Rex in medium attulisset, & id bonis iustisque rationibus factum, se nihil dubitare testatus esset: collegit æquali iure fieri potuisse, vt adultis altera species ob iustas causas adimeretur. Iam alteram rationẽ prioribus adiungit, his verbis:

Præterea si eam rem ad exactam euangelicæ narrationis formam reuocat Lutherus, neque quicquam prorsus permittit ecclesiæ: cur Eucharistiam non iubet semper in cœna recipi, imò verò post cœnam? Hic lector aduerte quid Rex molia- *Epilogus.*

*Verba Regis.*

tur, nimirum quòd si potuisset ecclesia (quam ipse persuasissimum ex scripturis habet spiritu sancto regi) quippiam ordinationis euangelicæ variare: potuit etiã immutare plus vel minus prout congruẽtia causarum postulauerit. Neque ẽm cæterorum quoduis districtius præcipitur, quàm tempus ipsum. Nam vt Christus ipse carnem & sanguinem sub specie panis & vini dedit, ita & vesperi post cœnam dedit. Quamobrem si propter bonas & iustas rationes ecclesiæ licuit hanc tẽporis circumstantiam variare, idque nõ absque sancti spiritꝰ instinctu fecisse creditur: cur non potuit etiam cæterorum nõnihil, vbi æque iustæ causæ fuerint, similiter immutare?

*Ecclesia mutat ordinationes Euangelicas.*

XXV. *Verba Regis.*

Sed & post hanc argumentationẽ Rex alteram subiecit in hac forma: Denique non minus incommodi fuerit, in hoc sacramento facere si quid feciſſe non debeas, quàm si quid non facias quod feciſſe debueras. Ergo si totius ecclesiæ consuetudo rectum non facit, vt in laicis omittatur species vini: qua ratione aquã in vinũ audet Lutherus infundere? Neq; enim tam audacem puto, vt sine aqua cõsecret

quã tñ vt admiſceret, neq; exemplum habet ex cœna dominica, neque ex apoſtoli traditione cõpertum, ſed ſola eccleſię cõſuetudine didicit: cui ſi putat hac in parte parendum, cur eam in altera tam arroganter oppugnat?

*Aquam nõ infudit Chriſtus in cœna.*

Vides hic lector lõge aliam Regis eſſe rationẽ, quàm Lutherus iã recenſuit. Sic ẽm quoduis argumẽtũ facillime diluetur, ſi liceat aduerſario quicquid opponitur, ad modũ iſtum pro ſuo arbitrio mutilare. Rex nõ aliud molitur, quàm q̃ huius ſacraméti diſpoſitio relicta ſit iudicio procerũ eccleſię: quã rem pluribus argumẽtis in vnũ collectis apertè docet. Nũquã ẽm (vt ait) viri tãta ſanctitate tantaq; eruditione ſimulq; miraculis cõſpicui, rem tam auguſtã auſi fuiſſent aliquo pacto mutare, nec in vlla quidẽ circũſtantia. Nũquã certè vetuiſſent poſt cœnã & cibos Euchariſtiam ſumi, nunquã præcepiſſent admiſcẽdã aquã, niſi planè perſuaſiſſimũ habuiſſent id omnino licere ſibi: ſed neq; laici tã vnanimiter vnquã cõſenſiſſent vel alterã ſpeciẽ ſibi, vel vtrãq; ſuis infantibus adimẽdã. At Luther⁹ iſta ſeorſum & villicatim aggreditur. Et detractis cuique argu-

*Diſpoſitio euchariſtię relinquitur ſacerdotibus.*

*Roſſenſis.*

mẽto ſuis viribꝰ, iã vbi mutilatũ eſt, cõfodere ſtudet: & ſua, non regis argumenta, iugulare conatur. Nullum enim regis argumẽtum harum particularum meminit, extra ſcripturam, & contra ſcripturã: & tamen haud pudet Lutherũ aſſerere regẽ ita fuiſſe argumentatum: Aliquid ſit extra ſcripturam, ergo contra ſcripturã eſt ſentiendum. Nuſquam in toto libello ſuo rex ita eſt argumentatus. Sed neque ad eum modũ, quẽ Lutherus proximè ſubdit: Vinum miſcetur aqua ex teſtimonio ſcripturæ: ergo ſcriptura alteram partem ſtatuens, damnanda. Sic belua perfrictiſſimæ frontis nunquam nõ mentitur. Neque ſolum falſum eſt, quòd iis argumentis Rex fuiſſet vſus, verumetiam quod Lutherus molitur, tã in eo quod antecedit, quàm in eo quod conſequitur in hac poſteriori collectione, falſiſsimum eſt. Molitur enim hoc Lutherus, quòd in ſcripturis vbi traditur cœna dominica, ſtatuatur vtraque ſpecies cunctis accipienda: atque ex eo pendet, quicquid multa loquacitate poſtea blaterat. Sed aduerte lector quàm fraudulenter vulpes iſta loquitur. Scriptura (inquit) alteram partẽ ſtatuens

*Lutherus corrumpit regis argumenta.*

Verum quidem eſt ſcripturam vtramque partem ſtatuiſſe. At non eſt verum quòd vtrãque partem ſtatuerit cunctis accipiẽdã: quod tamen his verbis videri vult Lutherus: imò neutram partem ſcriptura cunctis inſtituit. Quòd ſi ſcriptura neutram partem cunctis accipiendam inſtituerit: quomodo contra ſcripturam erit quòd vel altera vel vtraque pars adimatur? aut quomodo ſcripturas damnãt, qui bonis & iuſtis cauſis moti, nũc alterã, nũc vtramque ſubtrahunt partem?

*Scriptura non ſtatuit cunctis ſub vtraque ſpecie cõmunicãdũ.*

Sed & rurſum id quod in antecedenti Lutherus conatur, nempe quòd extra ſcripturæ teſtimonium aqua vino miſceatur, non eſt vſquequaque verum. Nam licet id in ſcriptura cœnæ dominicæ nequaquam ſit traditum, ex aliis tamen ſcripturis colligere licet. Neque ſolum ex ſcripturis, verumetiam ex reuelatione, ſimul & apoſtolica traditione, quemadmodum ex ſententiis veterũ poſtea referemus: vt exploratiſſimum ſit, Lutherũ fruſtra ſuum ſenſum opponere cõtra tot & tam ſolida teſtimonia. Perſpicuũ enim erit non eſſe figmentum humanum, neque ſignificationem habere peſsimam.

vt Lutherus impiè contendit. Sed nunc argumentationi regiæ finem imponamus, quã ille sic concludit: Qua de re quicquid Lutherus obgannit, ego certe tutius opinor credere, laicos recte sub altera tãtum specie communicatos, quàm per tot secula totum clerum (quod iste disputat) hac vna de causa fuisse damnatum. Nam omnes appellat impios, & tales, vt inciderint in crimen læsæ maiestatis euãgelicę. Hactenus ipse rex.

*Conclusio Regis. Laici recte cõmunicantur sub vna specie tantum.*

XXVI. Et sane longè tutius erit creditu, laicos rectè sub altera tantùm specie communicatos, quàm totum clerum hac vna de causa fuisse damnatum: cum certò constet ecclesiam (vt sæpe diximus) sancto spiritu regi.

Iam igitur ad id quod sumus polliciti, reuertamur, vt ostẽdamus videlicet aquã vino recte miscendam esse.

Cyprianus primùm, & ex scripturis, & ex dominica reuelatione se testatur idipsum accepisse. Sed de reuelatione prius videamus. Sic enim in epistola quadam ad Cæcilium, quam de miscenda aqua in calice scripsit, se fatetur à domino fuisse admonitum, vt ita faceret, hoc est vt aquã

*Aqua vino in calice consecrationis rectè miscetur.*

vino miſceret. Nec hoc putes (inquit) frater chariſsime, noſtra & humana mente conſcribere, aut vltronea voluntate hoc nobis audaciter aſſumere, quum mediocritatem noſtram ſemper humili & verecunda moderatione teneamus. Sed quando aliquid deo inſpirante & mandante præcipitur, neceſſe eſt domino ſeruus fidelis obtemperet, excuſatus apud omnes, quòd nihil ſibi arroganter aſſumat, qui offenſam domini timere compellitur, niſi faciat quod iubetur. Admonitos autem nos ſcias, vt in calice offerendo dominica traditio ſeruetur, neque aliud fiat à nobis quàm quod pro nobis dominus prior fecit, vt calix qui in cõmemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur. Hæc Cyprianus. Ecce lector, primùm hic ſanctiſsimus & doctiſsimus martyr à deo ſibi inſpirante & mandante fuiſſe præceptum affirmat, vt calicem non aqua ſola, nec vino ſolo, ſed vino mixtum offeramus. Deinde Chriſtũ aſſerit idipſum in cœna feciſſe, quod & poſtea ſcripturis confirmat: & potiſsimum ex Salomone. Per Salomonem (inquit) ſpiritus ſanctus typum dominici ſacrificij præmonſtrat, dicens: Sa-

*Chriſtus miſcuit vinum aquæ in cœna.*

*Sapien 9.* pientia ædificauit sibi domum, & subdidit columnas septem : mactauit suas hostias, miscuit in cratere vinum suum, & parauit mensam suam. Et misit seruos conuocans cum excelsa prædicatione ad craterem suum, dicens: Venite & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. Et subdit Cyprianus: Vinum mixtum declarat, id est calicem domini vino & aqua mixtum prophetica voce denunciat. Hæc Cyprianus.

Adde quòd sanguini vitulorum & hircorum, quo Moses vetus testamentum cõfirmauit, aqua admiscebatur: quemadmo-

*Hebr. 9.* dum & Paulus ad Hebræos testatur. Lecto (inquit) omni mandato legis à Mose vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua, ipsum librum & omnem populum respersit. At ille sanguis erat huius figura. Nam vt illo vetus, ita & isto nouum testamentum confirmabatur. Intelligis itaque lector, Cyprianum non modo reuelatione, verum etiam scriptura confirmasse, vino aquam admisceri debere. Lutherus tamen & scripturarum & mysteriorum impudentissimus temerator, suum spiritum & sensum

sequens, contendit melius & tutius fore vt non misceatur aqua vino: quum id (vt ait) sit merè figmentum humanum, & siniſtram, imò pessimam habeat significationem. Sed væ prophetis qui suum spiritum sequuntur. Et maximè væ illi, qui suo sensui contra tot orthodoxorum patrum sententias non veretur inniti. Neque enim Cyprianus hoc solum asseruit, verumetiam Hieronymus apertè subscribit, inquiens: Dominici sanguinis vinum aqua esse miscendum, non solum traditione, sed ipso etiam genere mortis & passionis dominus noster ostendit, ex cuius sacro latere sanguis & aqua lanceę illisione effluxit. Hæc Hieronymus. *Ezech. 13.* *Iohan. 19.*

Eccè hic & præter apostolicam traditionem scripturam item alteram Hieronymus adducit, nempe de sanguine simul & aqua quę fluxerunt è latere Christi, quum esset perfossum lancea.

Accedit huic Chrysostomus. Ad hæc (inquit) & arcanum mysterium consummatum est. Exiuit enim sanguis & aqua. non casu & simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus ecclesia cõstituta est. Sciunt hoc initiati. per aquã

enim regenerati, sanguine & carne nutriti sunt. Hinc mysteria ortum habent, vt quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas. Hæc Chrysostomus.

Astipulatur his & Damascenus, affirmans in cœna Christum in calice vinum
Matth. 26. aqua mixtum habuisse. Similiter (inquit) accipiens calicem ex vino & aqua, tradidit illis, dicens: Bibite ex eo omnes. Hæc Damascenus.

Consentit & Ambrosius, dicens: Ante verba Christi calix fuit vini & aquæ plenus: vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Hæc ille.

Accedit & his Augustinus illud euan-
Iohan. 19. gelicum explicans: Et continuo exiuit sanguis & aqua. Ille sanguis (inquit) in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa, salutare temperat poculum. Et rursum alibi: In eucharistia (inquit) non debet pura aqua offerri, vt quidam sobrietatis falluntur imagine: sed vinum cum aqua mixtum.

Rossensis. Intelligis ex his lector, aquã vino misceri debere, quum ex reuelatione quam

Cyprianus accepiſſe ſe teſtatur, tum ex ſcripturis & patrum teſtimoniis, quæ rem ipſam prorſus aſſeuerant. Iam ex eiſdem oſtendemus non omnino peſsimã (vt Lutherus temere dicit) eſſe mixtionis huius ſignificationem.

XXVII. *Nõ eſt parua mixtionis ſignificatio. Apoca. 17.*

Cyprianus ipſe primùm ſuam dicat ſententiam. Aquas (inquit) populos ſignificare in Apocalypſi ſcriptura diuina declarat, dicens: Aquæ quas vidiſti, ſuper quas ſedet meretrix illa, populi ſunt, & turbæ, & gentes Ethnicorum, & linguæ. Quod ſcilicet perſpicimus & in ſacramento dominici calicis contineri. Nam quia nos omnes portabat Chriſtus, qui & peccata noſtra portabat, videmus in aqua populũ intelligi, in vino oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando autem in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice domini, vt commixtio illa non poſsit ab inuicem ſeparari. Vnde eccleſiam, id eſt plebem in eccleſia conſtitutam, fideliter & firmiter in eo quod credidit perſeuerantem, nulla res ſeparare poterit à Chri-

ſto quo minus hæreat ſemper & maneat in diuina dilectione. Sic autem in ſanctificando calice domini offerri aqua ſola nō poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt. Nam ſi vinū tantum quis offerat, ſanguis Chriſti īcipit eſſe ſine nobis. Si vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem vtrunque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi inuicem copulatur, tunc ſacramentum ſpiritale & cœleſte perficitur. Hæc Cyprianus. Concors huic eſt Hieronymus. Aduertimus (inquit) in aquis figuras gentium deſignari, dicente Iohāne in Apocalypſi: Aquę quas vidiſti, populi multi ſunt. In vino autem ſanguinem dominicæ paſsionis oſtendi. Ac ſic quum in huius ſacramenti oblatione vino aqua miſcetur, eo ipſo deſignatur quòd Chriſto fidelis populus incorporatur iungiturque, & quadam ei copula perfectæ charitatis vnitur. Hæc Hieronymus.

*Apoca. 17.*

*XXVIII. Aquæ & vini mixtio redemptionē humani ge*

Sed & alij myſticam huius mixtionis ſignificantiam intelligunt ex redemptione populi quæ fiebat mediante ſanguine qui pro eis fundebatur. Cuius ſententiæ videtur & Ambroſius fuiſſe, quū dixit priu

in calice fuiſſe vinum cum aqua, poſtea ſanguinem qui redemit plebem. *neris ſignificat.*

Auguſtinus aquam vino miſceri putat ad ſignificandum aquam quę cum ſanguine pariter effluxit de latere Chriſti. Denique Paſchaſius idẽ ſenſiſſe videtur, inquiens: Cur in calice aqua miſceatur, illa permaximè cauſa eſt, quia de latere Chriſti, vbi paſsio completur, ſanguis pariter & aqua manauit. *Iohan. 19.*

Beda ſignificationem duplicem eius rei tradit: alteram, qua Cypriano Hieronymoque ſubſcribit, nimirum iſtam: Verum quia & nos in Chriſto, & in nobis Chriſtum manere oportet, vino dominici calicis aqua miſcetur. atteſtante enim Iohanne, aquæ populi ſunt. Hæc vna quidem ſignificatio eſt. Poſtea verò ſubiungit alterã: Et [ne] vel Chriſtũ (inquit) ſine noſtræ redemptionis amore pati potuiſſe, vel nos ſine illius paſsione ſaluari, ac patri offerri poſſe, confingat. Perinde ac ſi dixiſſet, Miſcetur aqua vino, quatenus aqua plebem, vinum autem ſanguinem in paſſione fuſum referat: vt intelligamus nos abſque Chriſti paſsione minime redimi potuiſſe. *In Lucã. 22 ca. lib. 6. ca. 88.* *Mixtio calicis duo ſignificat.* *Apoc. 17.*

*Luth. orthodoxis reluctatur.*

Cæterum tanta est Lutheri temeritas, vt nihil vereatur contra tot patrum sententias proprium sensum opponere.

» Et meo (inquit) sensu melius & tutius
» foret aquam non misceri vino: quum sit
» merè figmentum humanum, & siniſtram,
» imò pessimam habeat significationem. nō
» enim significat nostram in Christo incor-
» porationem: quum simile signum non ha-
» beat scriptura. Hæc Lutherus, qui certus est sua dogmata se habere de cœlo: quum tamen & hic planè mentiatur. Nam & in sacrificiis in quibus vinum offerebatur, idem aqua mixtum fuerat. Quod & Hieronymus in quæstionibus Hebraicis duxit annotandū. Notandum (inquit) quòd vinum quod deo in sacrificium offerebatur, aqua mixtum erat. Quòd si in sacrificiis quæ offerebantur deo, vinum erat aqua mixtū: ea mixtio non potuit non mysticam aliquam habere significationē: quę nec erat (vt Lutherus affirmat) omnino pessima. Sed quia semel in scripturis in malam partem vsurpatur hæc mixtio: id Luthero scilicet est satis, vt colligat ita semper & vbique fieri oportere, quasi non sint eiusmodi pleraque, quę nunc ob

vnam rationem in malam partem, nunc ob aliam in bonam partem accipi soleant.

Ex his itaque patet aquã debere vino in calice misceri, tam ex scripturis quàm ex reuelatione, simul & patrum testimoniis: neque mixtionem illam pessimam habere significationem. Sed hic forte quispiam dicet, me iam subruisse rationem regiam, quæ propterea collegit licere nõnihil aliter in hoc sacramento mutare, quàm Christus ipsum tradiderit, quòd nos aquam calici miscemus aliter quàm fecisset Christus. Respondeo quòd aduersus Lutherum ratio regis adhuc omnino valida est, quippe quòd Lutherus néget aquam oportere misceri, eo quòd in scripturis quæ ad cœnam dominicam spectant, nulla prorsus aquæ fit mentio. Idem igitur est Luthero, non illic esse, & non debere fieri: id quod Rex omnino conuulsit, & nos antea nec semel ostendimus, multa per apostolos ecclesiæ fuisse tradita, quæ nusquam in scripturis inueniuntur.

*Epilogus.*

*Anthypophora.*

Sed hactenus aduersus primam Lutheri captiuitatem.

## NON MANERE SVBSTANtiam panis cum sacrosancto Christi corpore.

I. QVarto loco contendit Lutherus, post consecratam Eucharistiam manere panem, & eundem esse corpus Christi. Et hic principiò Regem incessit, perinde ac si præter Ambrosij verbum, Et oportet sic esse, nihil attulisset quod Lutheri sententiam refelleret. Quod si verũ fuerit, non est mẽtitus Lutherus. Sin contrà falsissimum sit, vt iam plane deprehendes lector, quis illum tuebitur à mendacio? Ex hoc iterum disce quanta sit hominis huius impudentia: qui quum vbique tam apertis scateat mendaciis, audet tamẽ asserere se certum esse, sua dogmata se habere de cœlo. Perspicies lector nihil hic noui Lutherum adduxisse præter conuicia, quorum se præbet mirum artificem, quibusque multo magis quàm solidis argumentis confidit. Illis auditores ita se fascinaturum sperat, & eorum aures occupaturum, vt errores aduertendi nullum præterea sit ocium. Sed tu candide lector

aurem

aurem alteram illustrissimo regi serua: cõperieſque nihil eorum quibus Lutherus nititur, solidum esse, sed cuncta funditus euersa. Contra panis trãssubstãtiationem in Babylonica sua captiuitate rationem hanc primam attulit.

Est (inquit) meæ sentẽtię ratio magna, « in primis illa, quòd verbis diuinis non est « vlla facienda vis, neque per hominem, ne- « que per angelum, sed quantum fieri po- « test, in simplicissima significatione seruan « da sunt: & nisi manifesta circunstantia co- « gat, extra grãmaticam & propriam signi- « ficantiam accipienda non sunt, vt detur « aduersariis occasio vniuersam scripturã « eludendi. Cum igitur Euangelistæ clare « scribant Christum accepisse panem ac be « nedixisse, & Actuum liber & Paulus apo- « stolus panem deinceps appellent, verum « oportet intelligi panem, verumque vinũ, « sicut verum calicem. non enim calicem « transsubstantiari etiam ipsi dicunt. Hac- « tenus Lutherus.

Hic profecto rex illustrissimus ita nervos omnes intẽdit, Lutherumque sic prosternit, vt nemo quãtumuis in scholis exercitatissimus id vel acumine, vel impetu

queat efficere validiore. Sed ipsum regem audiamus. Hęc est ergo magna, &(quemadmodum ait ipse) primaria Lutheri ratio: quam ego me spero facturũ vt omnes quamprimum intelligant nihil magni habere momenti. Nam primum id quod ait, Euangelistas clarè dicere: quantũuis clarè dicant, pro Luthero tamẽ nihil clarè probat: contrà verò quod pro illo probaret, hoc nusquam dicunt. An nõ scribunt (inquit) accepisse panẽ, & benedixisse? Quid tum posteà? Accepisse & benedixisse, etiã nos fatemur. Panẽ verò dedisse discipulis postquã inde suũ corpus cõfecerat: hoc & nos instanter negamus, & Euãgelistæ nõ dicũt. Quæ res quò fiat apertior, & tergiuersandi minus pateat locus, Euangelistas ipsos audiamus. Matthęus ergo sic narrat:

*Regis verba.*

*Non remanere panẽ post consecrationem.*

*Matth. 26.* Cœnãtibus autem eis, accepit Iesus panẽ, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiẽs calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. hic est sanguis meus noui testaméti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marci verò verba sunt ista:

*Marc. 14.* Et manducantibus illis, accepit Iesus pa-

nem, & benedicens fregit & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes: & ait illis, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Lucas denique narrat hoc pacto: Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicẽs, Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. *Lucæ.22.*

Ex omnibus his Euangelistarum verbis nullum video locum, in quo post consecrationem sacramentum vocetur panis aut vinum, sed tantum corpus & sanguis. Dicunt in manus Christum sumpsisse panem, id quod etiam nunc fatemur omnes: at quum reciperent apostoli, non panis nominatur, sed corpus. At Lutherus Euãgelistæ verba in suam partem conatur interpretatione torquere. Accipite, manducate: hoc (id est, hic panis (inquit is) quem acceperat & fregerat) est corpus meum. Sed hæc est interpretatio Lutheri, non verba Christi, neque verborum sensus. Si *Lutheri interpretatio.* *Cõfutatio.*

panem quem accepit, quemadmodum acceperat, sic tradidisset discipulis: nec antè conuertisset in carnem, ac porrigendo dixisset, Accipite & manducate: rectè diceretur porrexisse quod in manus acceperat, nihil enim fuisset aliud quod porrigeretur. At quum priusquam daret apostolis manducandum, panem conuertit in carnem, non iam accipiunt panem, quem ille susceperat, sed corpus eius in quod panè conuerterat. Hactenus ipse rex.

*Christus cõuertit panem in carnem.*

II. *Roffensis.*

Lector beneuole quisquis hæc legeris, te per eruditionem tuam precor, hic toto adsis animo, diligenterque pensites quàm verè Rex scopum attigerit, & quàm ineuitabile telum hic in Lutherum vibrauerit. Aduerte primũ quàm efficaciter diluat id, quod iusta argumentatione subsumere Lutherũ oportuit, nempe quòd ab Euangelistis Christi corpus verè panis, hoc est triticeus panis, vocetur: id quod ipse tam ex Euãgelistis quàm ex apostolorum actis atque etiam ex Paulo monstrare conabatur. Rex igitur, recensitis tribus Euangelistis, Matthęo, Marco, Luca, palam docet, ab eorũ nemine corpus Christi vocari panem, neque simul fuisse panem & corpus

Christi: sed tũc panem fuisse, quum illum Christus accepit in manus: at quum apostolis dedisset, non fuisse panem, sed verè corpus Christi. Quamobrem & dixit, Hoc est corpus meum: non hic panis, vt Lutherus interpretatur. Nam interea postquam acceperat panem, & antequã apostolis ad edendum porrexerat, conuertit ipsum in suum corpus: vt iam non panem acceperint apostoli, sed Christi corpus in quod fuerat panis antè conuersus. Si panis iste mansisset panis, nec mutatus fuisset in Christi corpus, dixisset Christus, Hic est corpus meum: vt esset pronomen eiusdem generis, cuius erat & panis demonstratus, de quo iam facta fuerat mentio, nempe generis masculini. nam huius generis panem esse constat non minus apud Græcos, quàm apud Latinos. Sed vt quod dixerat, fiat cunctis dilucidum, exemplum hoc attulit. Quemadmodũ (inquit) si quis quum semen accepisset, mox inde natum florẽ alteri daret, aliud accepit, aliud dedit: sic Christus (inquit) panem accepit, & panem nõ dedit, sed corpus proprium, in quod panis antè mutatꝰ fuerat. Vt igitur istam conuersionem factam Christus

*Exemplũ Regis.*

palam faceret, noluit dicere, Hic panis est corpus meum, sed, Hoc est corpus meum: nempe corpus propriũ ostendẽs, in quod erat versus panis. Quando igitur nullus Euangelistarum affirmat Christũ apostolis dedisse panem, sed accepisse duntaxat, dedisseq; suum corpus, nihil pro Lutheri parte (quod iam intelligis lector) Euãgelistarum testimonia valent.

*Argumentum Luth. cõfutatur.*

Ratio igitur Lutheri, quam tamen ipse magnã fuisse iactabat, iam nulla est, quantum ad Euangelistarum attinet testimonia, quin magis contra seipsum apertè pugnat. Nam si grammaticam sequi debeamus, quis non videt articulo neutri generis, id quod neutri generis est monstrandum esse, potius quàm quod est generis masculini? Sed neq; negat Lutherus Christi corpꝰ fuisse realiter prẽsens in eo quod apostolis suis ipse porrexerat, & antequam porrexerit. Quid ergo prohibet quin Christus ostendere potuit corpus suum, quum idipsum apostolis porrexit dicẽs, Hoc est corpus meum? Quæ violentia iam Christi verbis infertur? Nulla profecto: quum tamen si sic interpreteris, hoc id est hic panis, manifestissimè vim inferas. Quã rem

ex ipsius Lutheri verbis apertè docebimus. Nam is affirmat cuique liberum esse quid malit ex his verbis credere, vel panẽ esse, vel nõ panem. At si sic accipiẽda sint, hoc, id est hic panis, iam non est liberum. Ergo qui sic interpretatur, vim omnino Christi verbis infert. Istud (opinor) tam est perspicuum, vt nemo nisi pertinax opinionis Lutheranę defensor, nõ planè perspiciat. Et tamen ita conatur elabi Lutherus in hoc posteriori libello, vt dicat regem petisse principiũ, quum rex eius rationi respondeat, & planè cõuincat illum sua non probasse.

Sed & istud obserua candidissime lector, quàm dilucido rex ea quæ dixerat, exemplo comprobet è scripturis petito. Vt enim Aaronis virga quũ esset in colubrũ versa, & quũ vicissim ex colubro rediit in virgã, nunquã simul fuit & coluber & virga, ita nec panis in corpꝰ Christi versus simul fuit panis ac corpus Christi. Nã si cum colubro virga restare nõ potuit, vt idem simul esset & coluber & virga, quanto minus restare potest panis cum carne Christi tam incomparabili substantia, vt idẽ simul dicatur & panis & corpus Chri-

III. *Exemplũ Regis. Exod. 4.*

*Obiectio.* sti? Sed pro Lutheri parte quispiam obiectabit, contendens haud aliter fieri posse, quin panem verũ dederit apostolis: nam sic Matthæus apertè scribit: Vescentibus autem eis, accepit Iesus panem: & quum egisset gratias, fregit, deditque discipulis. Hæc vox, panem, tria verba respicit, hoc est accepit, fregit, dedit. Panis ergo fuit acceptus, fractus, datus. Nam & Lutherus
» hoc ipsum iam obiecit. Textus (inquit)
» sic habet: Accepit panem, benedixit, fre-
» git: & dixit, hoc est &c. Vides hic vt om-
» nia illa verba, accepit, benedixit, fregit, de
» pane dicantur. Et eũdem demonstrat pro-
» nomen hoc, quia illud ipsum quod acce-
» pit, benedixit, fregit. hoc (inquam) ac-
» ceptum & benedictum & fractum signi-
» ficatur, cum dicitur, Hoc est corpus meũ.
» non prædicatum, sed subiectum demon-
» stratur. Non enim corpus suum accepit,
» benedixit, & fregit, sed panem: ideo non
» demonstrat corpus, sed panem. At istud

*Dilutio.* nihil cogit. Nam similiter apud Lucam

*Lucæ.22.* de calice scriptum est: Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos. Hic tametsi calicem accepisse scribitur, & gratias egisse, & dixisse, Di-

uidite inter vos: palam eſt non intellexiſſe diuidendum eſſe calicem. Sed nos obiectionem Lutheranam apertiori conabimur exemplo diluere. Tradunt hiſtoriæ Iuliam Octauiani Cæſaris filiam ouum in gremio ſuo tam diu fouiſſe, quoad ſubſtantia tota quæ intra teſtam continebatur, verſa fuiſſet in pullum. Nunc ſi dixeris Iuliam ouum accepiſſe, & poſteaquam diu fouiſſet, fregiſſe, dediſſeq; nutrici, verum dices: neque tamen verum eſt quòd ouum ipſa dederit, ſed pullum ſub teſta quæ pridem fuerat oui. Sic nimirũ & hic quum refert Matthæus de Chriſto, quòd panem acceperit, & gratiis actis fregerit, ac dederit diſcipulis ſuis, nihil ego dubito quin ſic interea Chriſtus hunc panem tractauerit, vt priuſquam eum accepiſſent diſcipuli, verſus eſſet in veram Chriſti carnem. Propter quod & Chriſtus non panem oſtendit quum dixiſſet, Hoc eſt corpus meum, ſed ſuum ipſius corpus ſub ſpecie panis qui iam conuerſus in carnem fuerat, indicauit.

*Matt. 26.*

*Chriſtꝰ pænem vertit in carnem ſuam.*

Similiter & quũ ex aqua vinum in nuptiis per Chriſtum fieret, verum eſt quòd ſex illis hydriis aquã infuderint miniſtri,

*Iohan.2.* & rursum hauserint, ac demũ obtulerint architriclino: sed plane falsum est q̃ hauserint & obtulerint aquã, licet aquam infuderint, quũ interea fuisset in vinũ aqua versa. Sed & Christus vt quum infunderetur in hydrias, dixisset, hæc est aqua: ita quum effunderetur, & propinaretur architriclino, pronunciasset hoc esse vinũ, non iam aquam, quæ non remanserat, sed vinum prorsus indicans. His itaque duobus exemplis dilucidum esse puto, quòd Christus non panem, sed suum corpus, in quod panis erat conuersus, demonstrasset. Nam haud dubie si panem demonstrasset, non articulo neutri generis vsus fuisset, sed masculini, quemadmodum & regium acumen superius annotauit. Facit pro nobis magnopere mos loquendi scripturæ. Nam articulus demonstrandi passim cum re demonstrata cõuenit: id quod apertissimè liquet per totam Euãgelij seriem. Christus enim quum apud Iohannem de baptista loqueretur, dixit: Ille erat lucerna ardens & lucens. articulus congruit cum re demonstrata. Et rursum quũ dicit apud Matthęum, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in

*Articulorum obseruatio in scriptura.*

*Iohan.5.*

*Matth.21.*

caput anguli. quoniam de lapide prius erat sermo, pronomen eiusdem generis est, cuius & lapis. Quamobrem quum in hoc loco quem tractauimus, planè variatum sit de genere, tam vbi de corpore loquitur, quàm vbi de sanguine: manifestum est quòd voluit intelligi mutationem vtrobique fuisse factam, & illud demõstratum esse, in quod facta fuisset mutatio, hoc est nõ panem, sed corpus: nec vinum, sed sanguiné: quibus & aptissimè respondent articuli, quum de sanguine dixisset, Hic est sanguis meus: & de corpore, Hoc est corpus meum. Suffragatur ita responsioni regis tam grammatica quàm etiam scripturæ loquendi modus.

IIII. Cæterum illud Lutherũ fefellit, quod apud Cardinalem Cameracensem, se quũ theologiam scholasticam hauriret, legisse gloriatur, nempe multo probabilius esse, & minus superfluorum miraculorum poni, si in altari verus panis verumq; vinum, non autẽ accidentia sola esse astruerẽtur. nam ex hac opinione nõ satis intellecta Lutherus in has tenebras decidit, vt opinetur eos qui cũ Cameracensi sentiũt, eundem omino panem facta conuersione

*Lutherus ignorantia deceptus.*

manere. quod sanè falsum est. Nã etsi possibilitatem illi doceant quomodo substãtia panis maneat, non hoc tamen voluit esse possibile, vt idem ipse panis restet, qui prior ante fuit, hoc est, idem suppositum panis, quemadmodum ipsi loquuntur. Sic enim nulla prorsus esset facta mutatio, neque Christus esset illic sacramentaliter, sed localiter duntaxat. Neque verum esset dicere, Hic panis quem acceperat Iesus, est hoc corpus Christi. Hæc omnia peritis & exercitatis disceptatoribus clara sunt. Nã si non aliter esset Christi corpus in pane, quàm idẽ fuerat in ianua vel in muro quando ad discipulos ianuis clausis intrauit, quod & citra mutationem omnem vel ianuæ vel muri contigit, nihilo verius erit dicere, Hic panis est corpus Christi, quàm, hic murus est corpus Christi. At neminem opinor adeo rudem esse, vt credat, ob solam Christi prẽsentiã in muro, murũ ipsum fuisse corpus Christi. Neq; enim sola coniunctio, quãtumuis intima fuerit, efficit vt res vna vere possit de altera affirmari. Nam etsi forma sit ita materiæ suæ cõiunctissima, vt vere compositũ vnum cõstituãt: nemo ta-

Ioan. 20.

men afferit hãc materiã esse formam istã, aut è diuerso formã istã esse materiã hanc: sed ex his vnum cõflari compositũ. Sed & quid intimius animæ nostræ cogitari posset, quàm sit deus? & tamen absit vt affirmemus animam esse deũ, quum nec anima Christi, quæ tamen in eodẽ supposito sit quod est deus, possit dici deus. Nõ est ergo verum, quòd idẽ ipse panis quẽ accepit Christus, & fregit, ita remansit cũ corpore, & vere vnquã hic panis dici potuisset hoc corpus. Nã si prorsus idẽ panis remansit, nulla fuisset in pane facta mutatio.

Quæ res vt apertior fiat, tria, quantum ad præsens negotium attinet, in pane cõsideremus. Primum ipsam substantiã panis, in quo singuli panes cõueniũt. Deinde id quo dicitur hic panis subsistere, suppositumq; (vt aiunt) esse diuersum nõ solum ab alio quouis pane, verumetiam ab alia quauis re quæ nõ est ipse panis. Tertium, accidentia quę cõsequuntur hũc panẽ. Iam si restẽt hæc omnia quæ prius fuerãt in pane, quæ (precor) mutatio facta est circa panẽ, quo iã dici possit corpus Christi, magis q̃ murus per quẽ intrauit ad discipulos Christus, aut saxũ per quod exiit

V. *Post consecrationem non remanet panis.*

*Iohan. 20. Matt. 27.*

*Lucæ.2.* è cõsignato sepulchro, aut demum vterus virginis per quem illæsum natus est in mundum? Hæc eadem exempla memorat & adducit ipse Lutherus: vt mirum sit eũ vsqueadeo cæcutire, vt nõ cernat seipsum suo iugulari gladio. Quid facient inquit?

*Assertio Luthe. contra eum ipsum.*

» Christus ex vtero matris natus creditur
» illæso. Dicant & hic carnem illam virgi-
» nis fuisse annihilatan, seu vt aptius dici
» volunt, transiubstantiatam, vt Christus in
» accidentibus eius inuolutus tandem per
» accidentia prodiret. Idem dicendum erit
» de ianua clausa, & ostio monumenti clau-
» so, per quæ illæsa intrauit & exiuit. Hæc
» Lutherus.

*Cõfutatio.* At nos, Luthere, vt non dicimus carnẽ vteri virginis annihilatam, aut transsubstantiatam, ita nec affirmamus eandẽ fuisse prorsus ipsius vteri carnem, & carnem Christi, sed aliã, & aliud omnino corpus vtriusq;. Neq; enim vterũ virginis Christum dicimus, tametsi fuisset in eo Christus: neque ianuam domus illius per quam ad apostolos introiit Christus, sed nec ostiũ deniq; monumẽti, per quod resurgens Christus exiuit, Christũ audemus apellare. Absit à nobis tanta temeritas. Et

tamen si non aliter esset in sacramento Christus, quàm fuisset in ianua seu in ostio, nihilo verius esset hoc sacramentum Christus, quàm fuisset ipsum ostium aut illa ianua. Vides ergo quàm dilucide propria tua exempla teipsum confodiunt.

VI. *Ad aliæ Lutheri exempla.*

Quid referam illud de ferro & igne, quo moliris ostendere corpus glorioſum simul esse posse cum pane? id cui nemo reluctatur. Neque enim inficiamur corpus Christi simul esse posse cum pane absque omni penitus mutatione panis, sed negamus ex hoc pane prorsus immutato factum esse corpus Christi. Nisi enim immutetur panis quantum ad aliquod trium de quibus supra disseruimus, nunquam fiet panis ipse corpus Christi. Sed neque sufficit accidentium permutatio, sicut fit in permixtione ignis & ferri: cuius exempli Lutherus quoque meminit. Sic enim (inquit) in cãdenti ferro permiscentur inuicem ignis & ferrum, vt quælibet eius pars sit simul ignis & ferrum. At istud planè falsum est. Nam etsi nulla sit portio ferri quantũuis exigua, in qua nõ simul reperiatur & ignis, tamẽ ob hãc permixtionẽ & vnionem nondũ verũ est

*Substantia ignis non mutatur in ferrum.*

quòd hic ignis sit hoc ferrũ, quum hæna-
turæ quantum ad substantias suas penitus
immutatæ sint, & omnino diuersæ rema-
neant. Multo igitur minus in hoc sacra-
mento panis est corpus Christi, si, quod
Lutherus affirmat, nulla prorsus facta sit
huius panis mutatio. Quando igitur, vt
cernimus, accidentia panis manent, neces-
sario cõsequitur, vt nisi vel depereat ipsa
panis substãtia, vel id saltem quo subsiste-
re panis dicebatur, vel vtrumque, nunquã
recte dicetur id esse corpus Christi. Errat
igitur apertissimè Lutherus, quum sic in-
terpretetur Christi verba dicentis, Hoc
est corpus meum, id est, hic panis, quẽ ac-
ceperat & fregerat, est corpus meum.

*Matth. 26. Lucæ. 22. Marci. 14.*

Ad hæc, anima Christi beatissima quã-
quam in vno supposito & eodem infinito
sic vnita sanctissimo suo corpori fuerit,
vt tota sit in qualibet illius corporis par-
te, non tamen ista satis conficiunt, vt hæc
anima verè sit hoc corpus, aut retrorsum
hoc corpus verè sit hæc anima. Quamob-
rem quandiu mansit idem panis qui prius
fuerat, nihil immutatus, nunquam ob so-
lam Christi realem præsentiam verè dici
possit, quòd hic panis, quem acceperat &
fregerat

fregerat Christus, erat ipsius corpus. Vides ergo lector nondum ex euangeliis Lutherum probasse panem fuisse datum apostolis, sed corpus Christi, in quod ante mutatus erat panis. Et propterea dixisse Christum, Hoc est corpus meum, non hic panis, vt falso Lutherus interpretatur.

Tantã sibi licentiam Lutherus in scripturis arrogat, vt pro mera sui capitis insania torqueat, addat, imminuat, inuertat. & quicquid libet faciat: sed & quicquid ita fecerit, ratum haberi vult, nulla reddita ratione, sed tantũ, sic oportet intelligi: quod tamen in regis illustrissimi libro nõ semel damnare præsumpserit.

VII. *Opinio Cameracensis non vsquequaque tuta.*

Quòd si quæsito subterfugio Lutherus dixerit, panem ita fuisse Christi verbis immutatum, vt esset assumptus in vnitatem suppositi cum Christo, quemadmodum & his placet qui cum Cameracensi sentiunt: hi tamen nec affirmãt nec defendere possunt, quòd hic panis quem Christus acceperat, sit corpus Christi, quomodo Luthe rus temere interpretatur. Sed & eorum opinioni reclamãt scripturæ, si, quod Lutherus vult, secundum grammaticam & simpliciſsimã significationem accipiendæ

sint. Nam quum isti dicant, Panis est corpus Christi, de corpore nolunt intelligi quod est altera pars compositi, sed de corpore quod est genus. At manifestum est tres Euangelistas, Matthæum, Marcum, & Lucam, quum recensent verba Christi dicentis, Hoc est corpus meum, de corpore quod est altera pars cõpositi, non de corpore quod est genus, intellexisse. Nam si de corpore quod est genus, intellexissent, scripsissent potius dixisse Christum, Hoc est corpus quod sum ego: non, Hoc est corpus meum. Quare nec istud subterfugium tutari potest errorem Lutheri. Adde, quòd Psalmo. 15. Dauid ait: Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Quẽ locum omnes exponũt de corpore Christi. Sed & in actis Petrus, actorum. 2. Paulus item tertiodecimo testimonium affirmat de corpore Christi. Nam Petrus ita: Dauid enim dicit: Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniã à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, & caro mea requiescet in spe: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre

*Matt. 26.* *Marci. 14.* *Luc. 22.*

*Psal. 15.*

corruptionem. Et Paulus ita: Quòd autem suscitauit eum à mortuis, iam non amplius reuersurum in corruptionem, ita dixit: Dabo vobis sancta Dauid fidelia. Ideo & aliàs dicit: Non permittes vt sanctus tuus videat corruptionem. Nam Dauid quidem quum suæ ætati inseruisset, consilio dei dormiuit, & appositus est ad patres suos, vidítque corruptionem, nempe secundum carnem. At is quem deus suscitauit, non vidit corruptionem. Ecce benigne lector, caro Christi non potuit videre corruptionem: quomodo ergo fieri potest, vt hic panis, qui si maneat, corruptioni obnoxius est, sit hæc caro Christi, quum vt iam audis, caro Christi non potest videre corruptionem? Neque enim semel visum est ex reliquiis panis in hoc sacramento per sacerdotum incuriam vermes & putredinem nasci. Quocirca tutius fuerit cuiuis æquo censori cum ecclesia credere, quòd caro Christi non sit ille panis triticeus, qui sanè putredini obnoxius est, quanquam sacerdos pridem illum benedixit: neque quòd verè dici possit, Hic panis est hoc corpus.

*Psal. 15.*

*Species panis in sacramento corrumpitur.*

VIII. Accedit huc id quod superius de spiri-
*Ioan 14.* tu sancto disseruimus, nimirum quòd ipse quum iuxta Christi pollicitationem sit perpetuus ecclesiæ custos, suggeret & insinuabit mentibus fidelium, & maximè patribus ob eam rem in vnum congregatis, veritatem verborum Christi, siquando quæpiam ex eis obscuritas orietur. Quando igitur in concilio Lateranensi mille trecenti quidecim patres, ob huius veritatis declarationem, ex toto orbe Christiano conuenerant, iidemque ipsi Christi verba sic duxerant explicanda, vt crederemus panem nequaquam restare cum corpore: neque vlla omnino suspicio fuit patres ipsos intuitum suũ aliò deflexisse, quàm ad ipsam veritatem conquirendam: Quum inquam hæc ita se habeant, si non frustra Christus diuini spiritus opem in his dubiis elucidãdis pollicitus fuisset, si non fefellisset tot orthodoxos patres spiritus ipse veritatis, tam suppliciter ab eisdem inuocatus, non est ambiguum quin ei decreto quod ipsa synodus tot sanctorum patrum Laterani tulerit, multo certior à quouis Christiano fides adhibenda sit, quàm vllis Martini Lutheri commẽtis,

*Determinatio concilii super non remanentia panis.*

*Concilio fidẽdum est.*

quantauis arte studióve politis. Cæterum si quis ipsius concilij verba forte requirat, sic hac de re fidelibus credẽdum tradidit: Vna est (inquit) fidelium vniuersalis ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. In qua idem ipse sacerdos est & sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, trãssubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem diuina potestate. Hactenus ex concilio. Nõ ergo rectè Lutherus nobis refert Christi verba, quum dicit, Hoc id est hic panis, est corpus meum: quum tot patrum synodus affirmet panem & vinum diuina potestate in corpus & sanguinem Christi transsubstantiari.

Sed decet quispiam, Lutherus pro nihilo concilium istud habet. Esto: Et nos Lutheri expositionem tantidem facimus. Cæterum nemo sanę mentis est, qui nõ Christi pollicitationibus fidat, quas de spiritu sancto traditas, toties recensuimus. Christus nequaquã fallere potest. Quare verissimũ est quod ipse fuerat pollicitus, nẽpe spiritũ veritatis nobis omnia suggesturũ, quę pridẽ apostolis Christus ipse dixisset.

*Cauilli cõfutatio.*

Adde, quòd quum Lutherus cuique liberum arbitrium esse contendat quid malit credere, cur non potius tot patribus fidem adhibebimus, quàm vni Luthero? Nam Luthero non credere nullum omnino periculum sit: at patres ipsos contemnere nemo potest citra manifestum animæ suæ discrimen.

IX. Sed adhuc quanto ingenio rex illustrissimus alteram argutiam Lutheri conuellit, aduertamus. Argutatur ita Lutherus: Nõne Christus videtur huic curiositati pulchrè occurrisse, quum nõ de vino dixerit, Hoc est sanguis meus, sed, hic est sanguis meus? Respondit rex: Quod argutatur, imò nugatur Lutherus hoc pro suæ fidei simplicitate facere, quũ de vino dicat Christus, non, Hoc est sanguis meus, sed Hic est sanguis meus: miror quid homini venerit in mentem quum istud scriberet. Quis enim non videt, quàm nihil omnino faciat pro eo: imò contrà videretur magis pro eo fecisse, si dixisset Christus, Hoc est sanguis meus: habuisset enim ansam saltem Lutherus qua demonstrandi articulum referret ad vinũ. Nunc verò quum vinum sit neutri generis, Chri-

ſtus ait, nõ hoc, ſed, Hic eſt ſanguis meus. Et quũ panis ſit generis maſculi, ait tamẽ, Hoc eſt corpus meum, non hic: vt vterq; oſtendat articulus Chriſtum neque panem propinare, neque vinum, ſed ſuum ipſius corpus & ſanguinem. Hactenus ipſe rex.

Videre licet hic mirã ingenij regij vi- *Roffenſis.*
uacitatem, qui tam acutè deprehẽdit hallucinari Lutherum: & id pro ſua defenſione Lutherum iam in medium attuliſſe quod eũ poti⁹ impugnat & euertit, quàm ei quicquam opituletur. Plus enim haud dubie pro Lutheri inſtituto feciſſet, ſi dixiſſet Chriſtus, Hoc eſt ſanguis meus, quàm dicens, Hic eſt ſanguis meus. Nam ſic quum vinum ſit neutri generis, debuiſſet pronomen hoc, ad vinum referri, nec facilè potuiſſet demonſtrare ſanguinem. Quoniam itaque Chriſtus dixit, Hic eſt ſanguis meus, non, Hoc eſt *Mat. 26.*
ſanguis meus: apertiſsimum eſt eum non vinum quod neutri generis eſt, ſed ſanguinem, quod eſt maſculi, demonſtraſſe. Et rurſum quum dixerit, non, Hic eſt corpus meũ, ſed, hoc eſt corpus meũ: apertè docuit ſe non panẽ, quod maſculi

generis est, sed corpus quod est neutri generis, indicasse. Quãobrẽ omnino contra Lutherum facit hæc propria, quam attulit, argutatio. Sed adhuc alterã audiamus. Sic enim pergit nugari Lutherus:

X. Quòd autem in græco & latino pronomen hoc, ad corpus refertur, facit similitudo generis. Sed in hebræo, vbi neutrum genus non est, refertur ad panem, vt sic liceat dicere, Hic est corpus meum. Quod & ipse vsus loquendi, & sensus cómunis probat, subiectum scilicet esse mõstratiuum panis, & non corporis, dum dicit, Hoc est corpus meum. Hæc Lutherus. cui rex ita respondit.

Rex. Quòd videri vult Lutherus pronomẽ hoc, ad corpus referri, non Christi proposito, sed occasione linguarum, nempe Latinæ & Græcæ, ac proinde nos remittit ad Hebraicam, an non ridiculum est? Nã Hebræa lingua si neutrum genus non habet, non potest tam apertè declarare, ad vtrum Christus retulit articulum, quàm Latina vel Græca. Nam in Hebræa lingua si articulus fuisset masculus, quanquã diceret, hic est corpus meum, tamen res relinqueretur ambigua: quia potuisset ea

locutio videri coacta, necessitate linguæ non habentis neutrum. Sed quũ apud Latinos panis & corpus sint diuersi generis, is qui transtulit è Græca, articulum coniunxisset cum pane, nisi apud Euangelistam reperisset demonstrationem factam de corpore. Hactenus ipse Rex.

*Linguã Hebręa caret neutro genere.*

Et hic planè cernis lector Regẽ apertissimè prodidisse Lutheri nugas. Et primum quòd miserit nos Lutherus ad linguam Hebræam, quæ quum neutrum genus non habeat, non potest non ob idipsum incerta nobis esse, vtrum panem an corpus voluerit demonstrari.

*Sex rationibus corroborãtur regis asserta. Prima.*

Adde quòd nihil ad hoc negocij spectans habemus in ea lingua scriptum, & ideo magis nugatur, quum id quæri iubeat, quod inueniri non possit.

*Secunda.*

Ad hæc, certum est Marcum & Lucam scripsisse Græcè, & quum vterque recensitis Christi verbis, panem exprimat voce generis masculi, corpus autem voce generis neutri, demonstrandi tamen articulum eiusdem generis adhibent cuius est & corpus, an non certissimũ est eos corpus voluisse demonstrari?

*Tertia.*

Præterea quum sit omnibus receptissi-

*Quarta.*

mum, Marcum velut abbreuiatorem fuisse Matthæi, idem apud vtrũque necesse est demonstretur. Quamobrem quum in Marco demonstrandi articulus cum corpore non cum pane conueniat, sic etiam oportuit apud Matthæum hebraicè scribentem fieri.

Quinta. Accedit his, quòd in verbis ad sanguinem spectantibus, perspicuum est articulum ad sanguinem referri debere. Quum enim duorum tantũ meminisset Christus, nempe calicis & sanguinis, neque de vino fecisset vllam mentionem, alterũ istorum, hoc est, aut calicem, aut sanguinem oportuit demonstrari. Sed nemo tam insanus est, vt calicem dixerit fuisse demõstratum, quũ calix nõ sit sanguis Christi. ergo verè fuit demonstratus sanguis. Quamobrem & de corpore nec dissimiliter sentiendum est, nempe corpus, non panem fuisse demonstratum.

Sexta. Postremò quum apud Græcos tam calix quàm sanguis generis neutri sint, & vinum generis masculi, debuissent Euangelistæ vinũ demonstrantes, pronomen apposuisse generis masculi. Istud igitur quũ palã sit eos neutiquam fecisse, diluci-

dũ item erit nec vinũ eos voluisse demõstrare. Quamobrẽ quũ neque calicem indicare licuit (vt ostendimus) reliquũ est vt solum sanguinẽ Christus ipse demonstrauerit. Quod similiter & de corpore feciſſe nõ est dubium. Cæterũ illustrissimus adhuc alia ratione refellit priores Lutheri nugas, nimirum hac:

Præterea quũ Lutherus fateatur idem generis discrimen esse & Græcis, facilè potuisset cognoscere, Euãgelistas, qui scripserunt grẽcè, articulum fuisse posituros qui referretur ad panẽ, nisi quòd conscijmentis dominicæ, voluerunt admonere Christianos, articulo corporis, Christum nõ panẽ cõmunicasse discipulis, sed corpus. Quãobrẽ quòd Lutherus interpretatur in suã partem verba Christi, Accipite & manducate, hoc est corpus meũ, id est hic panis, quẽ acceperat: non ego, sed ipse Christus contrà docet sua verba intelligi, nempe hoc quod eis porrigebat, non esse (quod ipsis videbatur) panem, sed suum ipsius corpus, si rectè Christi verba recensent Euangelistæ. Nam alioqui poterat dicere, non hoc (quod exponeretur, id est hic) sed apertè potius, XI

hic panis est corpus meum: quo sermone docerentur discipuli, id quod nunc Lutherus docet ecclesiam, nempe in Eucharistia pariter & Christi esse corpus, & panem. Nunc verò sic loquutus est vt ostenderet manifestè corpus dumtaxat esse, nō panem. Huc vsque Rex.

Rossensis. Hic etiam regia celsitudo planè prosternit Lutherum. Nam omnes qui græcè latineque quicquam sciunt, intelligunt idem in iis voculis, nempe panis & corporis, esse discrimen tam apud græcos quàm apud nos. Quando igitur Euangelistæ qui græcè scripserunt, demonstrandi articulum conuenire fecerint non cū pane, sed cum corpore, manifestum est q̄ idipsum dominicæ mentis conscij fecerint, ita volentes ipso pronomine demōstratiuo cunctos admonere, non panē, sed corpus fuisse communicatum apostolis: & similiter corpus, non panem fuisse demonstratum. Sed & Christus si voluisset panem intelligi, potuisset æqua facilitate dixisse, Hic panis est corpus meum. atque ita per vnius adiectionē voculæ prorsus hanc litem diremisset. Quū igitur ita nequaquam dixit, & tamē voluit (vt Luthe-

tus contendit) panem remanere, & eundē esse corpus suum: consequens esse videtur, vt aut non præuiderit hanc tantam in ecclesia sua futuram hac pro re controuersiam: aut si præuiderit, voluerit tamen vltrò suam ecclesiā errare: quorum vtrūque falsissimū est. Et hoc vt dilucidius intelligas, hæc te quæso lector paucula quædam expende.

*Christus quibus rationibus noluit panem remanere post cōsecrationē.*

Primum, quanta charitate Christus dilexerit ecclesiam, pro qua mortem horrēdam subire non recusauit.

Deinde, quanto studio cōcordiam inter nos expetiuerit, relicta nobis & donata sua pace.

Tertiū, quàm amanter promiserit non modo seipsum nobiscum ad finem vsque seculi futurum, verumetiam consolatorē alium se missurum, quem & veritatis appellauit spiritum.

Quartum, quòd is spiritus duceret nos in omnem veritatem, & aperiret ea nobis quæ pridem ille dixisset breuius.

Quintum, si quid obscurum videretur, id petentibus, quærentibus, pulsantibus pollicitus est fore dilucidum.

Sextum, grauissimas huius rei gratia li-

tes & digladiationes per hæreticos excitatas ecclesiam crebrò fuisse passam, cunctis notissimum est.

Septimum, ecclesiam ipsam quatenus fieret certior quid in hac re creditura foret, mille trecentos quindecim patres Laterani coëgisse diuini spiritus consulendi gratia.

Octauum, exploratissimum item esse nullam in illis patribus corruptionẽ fuisse, qua permouerentur negotiũ istud tractare non synceriter.

Nonum, si substantia panis in Christi corpus conuertatur, quemadmodum illi definierunt, nõ debuit aliter dixisse Christus quàm dixerit.

Decimum, si maneat substantia panis, quanquã tunc aliter dixisse Christus debuerat, tamen per vnius adiectionem voculæ potuisset totã hanc discordiã sustulisse. Nam si dixisset, Hic panis est corpus meũ, Hoc vinum est sanguis meus: omnis omnino sublata fuisset cõtrouersia. Quis igitur exactius ista secum pensitans, persuadere sibi potest, Christum, si mansisset substantia panis, voluisse tam obscurè loqui, vnde tot animabus periculũ tantum

*Si remaneret panis, id à Christo fuisset reuelatum.*

immineret, neque tamen postea mille trecentis patribus ob idipsum congregatis, huiusce rei veritatē aperire fuisse dignatum, presertim quum antè pollicitus esset petentibus, quęrētibus, pulsantibus, quòd acciperent, inuenirent, aperiretur eis? Cui iam credibile fuerit, noluisse Christum apostolos idipsum apertius docuisse, præuisa tanta tragœdia futura, si tamen sensisset mansisse panem? Haud dubie vel tunc apostolos idipsum apertius docuisset: vel nunc, saltem quum à patribus tam obnixè rogaretur, per spiritum veritatis indicasset veritatem. Nihil profectò dissimilius vero est, quàm quòd Christus hoc negotium Luthero reliquisset, qui iam docendæ ecclesiæ sibi magisteriū arrogat, suum spiritum secutus, & Christi verbum contorquens in suam hæresim, contemptis patribus, contemptaque diuini spiritus intra ecclesiam residentis præsentia. Quum itaque Christus tam apertè loquutus sit, vt articulo manifesto sanguinem non vinum, & corpus non panem indicarit, falsissimum id esse conuincitur, quod Lutherus interpretatur, quum dicat, hoc, id est hic panis (quem acceperat

*Luc. 11.*

*Falso interpretatur Luthe. verba euāgelii.*

Christus) est corpus Christi, nisi pariter adiungere voluerit, hic, id est hoc vinum, est sanguis meus: quod nemini non videtur, opinor, error apertissimus.

XII. *Altera duo Lut. argumẽta.*

Cæterum ne quicquam quod alicuius fuerit momenti, Rex intactum relinquat, redit iam ad alias argutias Lutheri delicè conuellendas, quas antè prætermisit.

» Sic enim eas Lutherus protulit: Et multo
» clarius (inquit) quum calicis miscet no-
» mẽ, dicens, Hic calix noui testamenti in
» meo sanguine: nónne videtur nos voluis-
» se in simplici fide continere, tantũ vt cre-
» deremus sanguinem suum esse in calice?
» Et in fine primæ rationis Lutheranæ sic
» habetur: Verum oportet intelligi panem,
» verúmque vinum, sicut verum calicẽ. non
» enim calicem transsubstantiari etiam ipsi
» dicunt. Hæc Lutherus.

Has duas argutiolas regium acumen pariter vno confodit ictu, sic inquiens: Quòd tam magnificè transfert ad se Lutherus, quòd Christus etiam loquitur de calice, quem nemo dicat esse transsubstãtiatum, miror hominem non pudere tam intemperantis ineptiæ. Quum dicit Chri-

*Lucæ. 22.* stus, Hic est calix noui testamenti in meo sanguine

sanguine: quid facit pro Luthero? Quid enim significat aliud, quàm id quod discipulis propinabat in calice, suum esse sanguinem? An ex his Christi verbis ostendet nobis Lutherus, manere vini substantiam, quia Christus loquitur de sanguine? aut vinum in sanguinem non posse mutari, quia adhuc restat calix?

Ecce lector & hic nihil omnino lucratus est Lutherus. Neque enim oportet, si calix ipse manserit prorsus immutatus, quòd idem intelligamus de pane seu de vino fieri. Nam calicis ad pyxidẽ in qua Christi corpus reponitur, iustior erit cõferentia, quàm si conferas ad panem: quandoquidem & tria tribus aptè respõdeant, nempe calix, vinũ, sanguis, pyxidi, pani, corpori. In illis vtique calix manet immutatus, at vinum in sanguinem vertitur. Et similiter in istis pyxis manet immutata, sed panis in corpus permutatur. Et quoniam regia sublimitas iam apertè convicit Lutherum haud minus impiè quam pertinaciter errasse, subdit:

*Roffensis.*

Vtinam præludium delegisset sibi Lutherus ex alia materia, in qua minore periculo potuisset ludere. Nam quum Bo-

*Verba rebis.*

hemos & Græcos sic excusset ab hæresi, vt hæreticos clamet omnes esse Romanos, multo magis ostédit se Lutherus hæreticũ, qui non solũ fidem abnegat, quam tota credit ecclesia, sed etiam deteriora credi suadet, quàm aut crediderũt Græci, aut vnquã credidere Bohemi. Huc vsque Rex, & acutè profecto. Nam Bohemi nunquam hactenus ausi sunt asserere panẽ esse corpus Christi, id quod Lutherana temeritas affirmare nihil veretur. Et quoniam hactenus copiosè rex ostendit non posse à quoquam euangelistarũ necessariò colligi manere panem in Eucharistia simul cum corpore Christi, nunc idipsum facit quantum ad Pauli verba: nam ea prius Lutherus obiectauit.

*Rossensis.*

*Lutherus.* Et Paulus (inquit) ait: Nõne panis quẽ
» frangimus, participatio corporis Christi
» est? Non dicit, in pane est, sed ipse panis
» est participatio corporis Christi. Hæc
ille.

*Paulus corpꝰ Christi appellauit panem.*

Regia celsitudo respondet: Apostolus panem non semel appellat, vel scripturæ sequutus in sermone morem, quæ solet interdum vocare quippiam, non id quod est, sed quod antè fuerat, vt quum virga

Aaron deuorat virgas magorum, quæ tamen tunc virgæ non erant, sed serpentes: vel contentus fortasse vocare quod specie præ se ferebant, quum satis haberet, rudem adhuc in fide populum, lacte pascere, nec primùm aliud exigere, quàm vt quocunque modo crederent, in sacramento esse corpus Christi, postea paulatim solidiore cibo pasturus postquã adoleuissent in domino. *Exodi. 7.*

Perspicis & hic lector, duplici telo superatum Lutherum, altero ex veteribus deprompto scripturis, altero ex nouis. Ex veteribus primum, quando in libro Exodi serpens in quem conuersa virga fuerat, adhuc virga vocabatur; neque tamen simul virga erat & serpens, vti Rex ipse superius meminit. Sic pariter & in hoc sacramento, Christi corpus, eo quòd in ipsum conuersus sit panis, panis item à Paulo dictum est: verùm non ita quòd ibi maneat panis, magis quàm cum serpente manserit virga. Et sanè multo durius serpens in quem virga fuerat conuersa, virga vocatur, quàm Christi corpus in quod mutatus est panis, vocetur panis, quũ serpens nullũ omnino prioris

XIII. *Reffensir.*

*Ponitur panis pro specie panis S. Th. 1. Cor. 10.*

virgæ retinuerit indicium, præter solam fortasis lõgitudinem. At in Eucharistiæ sacramento prorsus omnia panis accidentia remanent. Quando igitur scriptura propter priorem nomenclaturam, serpentem virgam vocat, quæ tum non erat virga, quid mirum si iam corpus Christi panem appellet ob conuersionem panis in ipsum? Hoc exemplũ nec adhuc suis dentibus in hac responsione sua contra Regem, Lutherus conterere potuit, quanquam in hac re multis verbis nugetur.

„ Sit verum (inquit) quòd virga dicatur
„ draco, qui fuit virga: qua consequentia se-
„ quitur & hic panem dici, qui panis non
„ fit, sed fuerit? An hoc est sine scriptura om-
„ nibus locis scripturæ aptandum, quod ri-
„ no loco reperitur? Hæc Lutherus. Cui respondemus, non id moliri Regem, vt quod vno scripturæ loco dictum sit, id cæteris omnibus indiscriminatim aptetur, sed potius, vt quemadmodum ibi serpens in quem conuersa virga fuerat, virgæ retinuit nomen, quum tamen virga non erat, sed verè serpens, ita similiter & hoc loco, corpus in quod panis mutatus fuerat, panis retineat vocabulum,

*Non quisque locus scripturæ cuique quadrat.*

quãquã ſubſtantia panis omnino deſie-
rit. Quis non videt iſtud conſequi per
locum ſimilitudinis apertiſsimæ?

Cæterum ex noua lege Rex telum a- XIIII.
liud item deprompſit. Paulus(inquit) Co 1.Cor.3.
rinthios ad hunc modum alloquitur: Et
ego,fratres,non potui loqui vobis vt ſpi-
ritualibus, ſed loquendum fuit vt car-
nalibus, vt infantibus in Chriſto. lactis
potu vos alui,& non cibo. Nõdum enim
poteratis,imò ne nunc quidem adhuc po
teſtis. Et rurſum ad Hebræos, Facti eſtis Hebr..5
quibus lacte opus ſit,nõ ſolido cibo. Om-
nis enim qui lactis eſt particeps, expers
eſt ſermonis iuſtitiæ. Hæc Paulus. Ex qui
bus perſpicuum eſſe poteſt,non omnia ſa
tis apertè dixiſſe Paulum,non quòd non
fuerint dicenda,ſed quòd plebs adhuc in
fide rudis myſteria capere non valuerit.

Et hac etiam ratione Rex docet Pau- Roffenſis.
lum potuiſſe moueri vt ſacramẽtum hoc
nomine panis appellarit, quoniam ſpecie
panem adhuc præ ſe ferebat. Satis enim
habuit Paulus, rudem adhuc in fide po-
pulum lacte paſcere: nec hoc initio quic-
quam aliud ab eis exigere ſtuduit magis,
quàm vt quocunque modo crederent in

hoc sacramento contineri corpus Christi. De substantia verò panis an manserit nécne, nihil adhuc apertè docuit: tantùm panem vocauit, propter ipsius panis similitudinẽ. nam aliquo nomine vocari debuit: neque aliud quoduis quo vocaretur erat commodius: tum quia verum panem cœlestem in sẽ continebat, tum quia panis etiam antè fuerat, & eiusdem adhuc forinsecus referebat speciem. Sed & scripturæ, Christi corpus panem vocant, neque triticeum sanè, sed spiritalem, quo modo Hieremias dicit in persona Iudæorum: Venite, mittamus lignum in panem eius. Per lignum, crux: per panem, corpus eius intelligitur. Ad quem certè modum & Tertullianus & Lactantius atque alij complures hunc locum interpretantur. Lignum (inquit Lactantius) crucem significat: & panem, corpus eius: quia ipse est cibus & vita hominũ, qui credunt in carnem quam portauit, & in crucem in qua pependit.

*Eucharistia quare dicta panis*

*Corpus Christi vocatur panis in antiteſt.*

*Hiere. 11.*

Adde, quòd in scripturis panis vocabulo dici solet, quicquid esibile fuerit. Nam vt scribitur. 1. Reg. 14. quum Saulis edicto maledicebatur quisquis vsque ad

*Panis nomine, omnis cibus designatur*

vesperam panem ederet, in hoc maledictum incidisse Ionathan, sortium indicio declaratum fuit, quum is tamen non communem panem, sed mel gustauit duntaxat. Similiter & 4. Reg. 6. quum panē Eliseus apponi iussisset, quanquam ille de solo pane loqueretur, magna ciborum præparatio fuit apposita. Et Matth. v. quum Pharisæi discipulos Christi calumniarentur, quòd nō antè lauarent manus quum ipsi panem essent manducaturi, palam est ibi panem indiscriminatim intelligi pro quouis cibo. Perspicuum est ergo quòd nomine panis omnis cibus accipi solet. Sed & Eucharistiam panem posse vocari, communis vsus loquēdi manifestat. Nam quum ouum de quo supra disseruimus, in carnem & substantiam pulli versum fuerit, nunquid non adhuc pro communi loquendi more vocatur ouum, & tamen haudquaquam ouum est, sed verè pullus? At propterea priorem oui nomenclaturam retinet, quia specie tenus referat ouum. Atque ita pariter & hoc sacramentum pro communi vsu loquendi potest adhuc panis dici, panisque vocabulum adhuc retinet

*Eucharistia rectè appelletur panis.*

*Supra III. ibi, Traditæ historiæ.*

in scripturis, quamquam omnino desierit ipsa panis substantia.

XV. Sed adhuc Lutherus hac duplici solutione nequaquam contentus, pertinaciter insistit, asserens verè panem adhuc esse. » Paulus (inquit) ait: Nonne panis quem » frangimus, communicatio corporis Chri- » sti est? nec dicit, in pane est, sed ipse panis » est participatio corporis Christi. Hic se- *Responsio.* Pauli verbis munit haud aliter quàm impenetrabili quodã scuto, quo mox quodque iaculum reiiciat. Cæterũ si Pauli verba pensiculatius excusserimus, nequaquã vsque adeo efficacia videbuntur pro Lutheri parte, atque Lutherus ipse putat. Nam similia quædam de calice non multo ante dixisse Paulum constat. Calix, in- *1. Cor. 10.* quit, benedictionis, cui benedicimus, nõne communicatio sanguinis Christi est? Et illico sequitur: Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? Profecto nihil ex posteriore parte colliget Lutherus, quantum ad panem attinet, quod ipsi non identidem ex superiori colligemus, quantum pertinet & ad calicem. At in propatulo cunctis est calicem nõ esse sanguinem: quare neque panis ex

his verbis mõstratur esse corpus Christi. Cernis itaque lector, quũ hãc vnicã Lutherus habeat scripturam cui nitatur, iam plane collapsum esse, quandoquidem ista Pauli verba non magis conficiunt panem esse corpus Chrstii, quàm calicẽ esse sanguinẽ. Quãobrem quũ sit omnibus apertissimum, calicem nullo modo posse dici sanguinem: nec panis credendus est esse corpus Christi.

*Quemadmodũ calix non est sanguis, ita nec panis est corpus Chrsti.*

Cæterũ quia mentionem Lutherus fecerat de gestis item apostolicis, quòd videlicet in eis hoc sacramentum panis vocaretur: & istud item Rex, eadẽ qua priorem argutiam abluit, deleuit spongia. Sic enim subiicit ipse Rex: Idem potuit & in apostolorum actis contingere, vbi nec beatus Petrus alloquens populum, & illis Christi fidem insinuans, ausus est adhuc apertè quicquam de eius diuinitate dicere. Ita abdita, & populis dubia mysteria, nõ temere proferebãt. Hactenꝰ ipse Rex.

XVI.

*Verba Regis.*

Ecce quã variè mõstrat, quomodo nõ omnes in primæua ecclesia protinꝰ ad solidiorem cibum admittebantur, & ad ipsa mysteriorũ penetralia, sed prius alebãtur aliquãdiu lacte, ita vt nec Petrus quũ ad

*Roffensis.*

Act. 2. plebem de Iesu seruatore nostro loqueretur, quicquam ausus fuerit de diuinitate eius loqui, sed virum eum appellauit approbatum a deo in omnibus virtutibus, prodigiis, & signis, pérque deū ad vitam a morte resuscitatum. Sic pariter & quantum ad hoc sacramentum attinet, factum fuisse dicit, nempe non apud plebem, alio quàm panis vocabulo solitum appellari, propter ipsam panis, vt diximus, similitudinem. Cæterum quum ad Apostolos, quorum erat nosse mysteria, simul & solidiori cibo pasci, sermonem Christus habuisset, ipsis articulis perspicuè docuit, non amplius remanere panis aut vini substantiam, sed vtriusque speciē salua, panem in carnem, & vinum in sanguinem omnino fuisse conuersum. Quare neque panem, quippe qui tūc non fuerat, Christus indicauit, quū dixit: Hoc est corpus meum. Neque vinum ostendit quum dixit: Hic est sanguis meus. Fuit enim vinum iam in sanguinem versum, vt sæpius ante diximus.

Matei. 4. Luc. 8.

Matth. 26. Marci. 14. & Luc. 22.

XVII. Confirmat demum Rex illustrissimus ea quæ dixit, etiam verbo Christi, qui se ipsum vocauit panem, quum tamen triti-

Ioan. 6.

eeus panis intelligi nequeat. Et quemadmodum ipse dictus est panis, ita potuit & hoc sacramentũ propter speciẽ panis quã refert, panis vocari, tametsi tritiĉe⁹ haudquaquã fuerit. Sed Regẽ ipsum audiamus.

Circunstantia, inquit, ipsa scripturæ declarat euidẽter vocabulũ panis, quũ panis mutatur in carnẽ, absque vlla violentia facta verbo diuino, panis significare speciẽ, nõ substantiã: nisi Lutherus adeò inhæreat proprietati verborũ, vt Christum credat in cœlis quoque fuisse panẽ triticeum aut ordeaceũ, propterea quòd ipse dicit de se: Ego sum panis, qui de cœlo descendi. Hucusque Rex ipse. *Regis verba.* *Ioan. 6.*

Cæterum hoc diluere Lutherus molitur, distinguens panem in spiritualem & triticeum. De illo Christum, de hoc Paulũ asserit fuisse locutum. Ipsa, inquit, consequentia verborum, absurditas rerum, pugnantia intelligentiarum, tum ipsiusmet interpretatio, cogunt Christum de pane spirituali loqui, sicut dicit: Verba mea spiritus & vita sunt. Quorum nihil est in verbo Pauli de pane loquentis: imò omnia vrgent Paulum de pane triticeo loqui. Hæc Lutherus.

*Roffenſis.* Quæ quantum habeant ſolidæ veritatis, iam excutiamus. Primum illud quod dicit Chriſtum de ſolo ſpirituali pane loqui, pro nobis facit. Nam ibi quoque de ſacramento iſto loquitur, quod & veteres abundè teſtantur, ſed & ipſa quoque verba Chriſti palam docent. Dicit enim, Panis quem ego dabo, caro mea eſt: quã dabo pro mundi vita. Hic lector aduertè dixiſſe Chriſtum bis, dabo, ſemel pro pane quem eſſet daturus in ſacramentum, quéque carnem affirmauit eſſe ſuam: atq; iterum pro carne quã eſſet daturus pro mundi vita. Datus vtiq; fuit pridẽ illis à patre, ad quos tũ locutus eſt: dedit & ipſe ſeipſum illis miniſtrũ & magiſtrũ, cui crederẽt. Superfuerũt adhuc alij duo modi quibus daret ſeipſum. Alter quidẽ vt ſeipſum adhuc ſub ſacramẽto daret, alter verò vt carnem ſuam daret crucifigendam: pro quibus dixit: Panis quem ego dabo, nimirum ſub ſacramento, caro mea eſt: quã in mortem dabo pro mundi vita. Hic te, quæſo, lector tecum diſpicias, an ipſa conſequentia verborum, aut rerum abſurditas, aut pugnantia quæuis intelligentiarum, aliud vrgeant, quàm hic de ſacramento Chri-

*Ioan. 6.*

*Chriſtus multifariã dat ſemetipſum.*

stum fuisse loquutum. Sed neque verbum Christi, quum dicit, Verba mea spiritus & vita sunt. Illis enim verba Christi non sunt spiritus & vita, qui Christum panem faciunt triticeum, nimirum qui in ventrem vadit, & per secessum emittitur. At nobis, qui Christum eiusmodi panem esse credimus, qui nos in se conuertit potius, quàm qui nostram in carnẽ conuertatur, panis verè spiritualis est Christus, eiusque verba verè spiritualia sunt. Si panis triticeus Christus fuerit, profectò digeritur in carnem nostram, & permutatur in ventre nostro: quod est absurdissimum. Et qui sic dicũt, haudquaquam verba Christi spiritualiter, sed planè carnaliter intelligunt. Nos igitur vt non inficiamur Christum illic de pane spirituali fuisse locutum: ita prorsus affirmamus de sacramento nonnullam fecisse mentionem.

*Ioan.6.*

*Christus Iò an.6. fecit mẽtionem de sacramẽto.*

Similiter & falsum est Paulum de solo triticeo pane fuisse locutum. Sunt enim hæc Pauli verba: Vnus panis & vnũ corpus multi sumus: nam omnes ex vno pane participamus. Si de triticeo pane Paulus hoc dixerit, quis precor triticeus panis tantæ molis vnquam repertus fuerat, vn-

*1.Cor.10.*

de cuncti participarẽt Christiani? Quamobrem & hic de Christo, pane spirituali, Paulus loquitur, & non de triticeo pane. Tu iam lector iudicium feras, vter potius immobilis truncus cẽseri debeat, Rexne, qui Christi Paulique verba spiritaliter intelligit: an Lutherus magis, qui tã crasse, tamque carnaliter eadem interpretatur, vt Christum panem faciat qui per secessum emittitur. Quis vnquam credat, eiusmodi panem æternam vitam præstare posse, & non illum potius vel solum, qui postquam fuerit comestus, nos rapit, vertit, & transformat in sese, neque poterit vnquam in nos deformari?

XVIII. Persistit tamen adhuc Lutherus in pertinacia sua, ganniens in hunc modum:

» Stat ergo meus Paulus, inquit, aduersus
» transsubstantiatores istos futiles inuictus,
» & dicit: Panis quem frangimus. & dupli-
» ci cornu illos ferit. Primum, quòd sua af-
» ferere nulla ratione neque authoritate
» possunt. Deinde, quòd frigidis suis solu-
» tionibus aliud non faciunt, quàm quòd
» principium vitiosissimè petunt: ac sum-
» mum quod efficiunt, est, quòd posit sic es
» se sicut fingunt: quum probare debuerint

& factũ,& ius quòd ita sit, & quòd oportet sic esse. Hæc Lutherus: quibus per ordinem respondebimus.

Primum illud Pauli, Panis quem frangimus, nonne participatio corporis domini est? non probat panem esse corpus domini: sicut nec illud quod proximè ante dixit, nempe, Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne cõmunicatio sanguinis Christi est? haud comprobat calicem esse sanguinẽ Christi. Sed & dicam audacius: Ex nullis vnquam scripturæ verbis comprobabit Lutherus, panem triticeum esse corpus Christi. 1. Cor. 10.

Deinde testamur illud mẽdacissimum esse, quòd afferere nostra nec ratione nec authoritate possumus. Nam omni rationi penitus aduersatur, quòd Christus sit ille panis qui digeritur in stercus: aut quòd panis qui Christi caro est, viderit corruptionem. Habemus etiam & præter Euangelistarum testimonia quæ superius allata sunt, patrum etiam astipulationes pro nostra sententia: habemus & Concilij generalis decretum: quod & ex sacri spiritus pendet authoritate. Hæc apertè docent Lutherum non solum in isto menda-

cem esse, quum affirmat nos nostra asserere neque ratione neque authoritate posse: verumetiam in hoc mendacissimum, quo Christi verbum sic interpretetur, Hoc, id est hic panis, est corpus meum.

XIX. Ad tertium quod adducit, nos videlicet frigidis solutionibus principiũ vitiosissimè petere, dicimus quòd argumentantis hoc vitium est, nempe principium petere, non soluentis.

Postremo, quum adiicit summũ quod efficimus, esse, quòd docemus ita fieri posse, quemadmodum asserimus: & istud sanè non parui momenti cuiuis Christiano debet existimari, nempe docere possibilitatem credendorum. Sunt enim vsque adeo difficilia creditu, vt multo facilius impugnari queant, quàm comprobari.

» Opponit adhuc Lutherus inquiens: Et
» miror sapientissimum hunc Thomistam,
» cur non & accidentia transsubstantiet, cũ
» verba ista transsubstãtiationis iuxta suum
» cerebrum, solum corpus Christi sonent,
» Hoc est corpus meum. Ergo nihil ibi nisi
» corpus Christi erit, teste suo Ambrosio:
» quare nec albedo ibi erit cum aliis acci-
» dentibus: aut cur non differit, quidnã obstet ne

stet ne panis ibi maneat, quomodo acci- «
dentia manent? Quæ necessitas perimẽdæ «
substantiæ,& seruandorum accidentium? «

Hic primum aduerte lector,quòd ex omnibus authoribus quos Rex illustrissimus attulit,neminem Lutherus persequitur præter vnum Ambrosiũ, & vide quonam id faciat sophismate. Sic enim Ambrosium dixisse Rex recensuit: Licet figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud quàm caro Christi & sanguis post consecrationem credendum est. Iam sic argutatur Lutherus: Si nihil aliud, ergo nec albedo cum aliis accidentibus. Quasi pueri non intelligant istud esse merè sophisma: quum Ambrosij verba solum id aliud quod quid est excludãt,hoc est substantiam aliam,non autẽ qualitatem, neq; cætera accidentia. Et tamen ex hoc impudentissimè Lutherus in principio Captiuitatis,huius errorẽ impingit Ambrosio. Vt Ambrosium,inquit, hic errasse palam palpemus etiã. Ita Luthero nihil est mendacius,sed neque impudentius quicquam. Ambrosius palam fatetur accidentia manere,quum dicit,Licet figura panis & vini videatur: sed negat aliam manere sub-

*Lutherus falso sophismate insectatur Ambrosium.*

stantiam. Nihil, inquit, aliud præter carnem & sanguinem Christi: hoc est, planè nulla substantia alia manet. Ambrosio certe, qui fuit vetustus author, & ante annos plus mille, cæterisque patribus ita visum est, aduenienti corpori Christi substantiam panis euestigio cedere. Sic illi suis temporibus eccl esiam erudierunt: quorum vestigia recētiores secuti, cessionem hanc vocabulo transsubstantiationis appellarunt. At nunc Lutherus exortus omnia perturbans, quærit, cur non & accidētia quoque transsubstantientur? quasi rationi consentaneum fuerit, vt accidentia queant in substantiam aliquam verti.

*Panis substantia cedit corpori Christi venienti.*

XX.

Sed vrget adhuc Lutherus: Quę necessitas, inquit, perimendæ substantiæ, & seruandorum accidentium? Respondebūt patres se metuisse talem aliquando exoriturū, qualis vel Vuiclefus fuerat: qui negaret illic esse substantiam corporis Christi, eò quòd maneat ibi substantia panis: vel qualis iam Lutherus est, qui diceret hanc substantiam esse illam: hoc est, substantiam panis, esse carnem Christi: quod illis non modo falsum, verumetiam absurdissimum videbatur. Patres ergo instinctu

*Substantia panis transeūte remanent accidentia.*

sancti spiritus, qui moderatur ecclesiã, errorẽ vtrunq; præuidentes, scriptũ posteris tradiderũt, non manere substantiã panis. Neque enim de accidentibus cuipiã oriri dubitatio potuit, essẽntne illa corp⁹ Christi: neq; metus ob hęc vllus patrib⁹ fuit, ne quis vnquã adeo crassus hæreticus oriretur, vt ea cõtenderet esse carnem Christi.

Subiungit Lutherus: Prętereo hic rhetoricissimum illum contemptum, dũ duas vrgentissimas similitudines apposui, de ferro ignito, & deo incarnato: vbi neque igni ferrum, neque diuinitati hominem necesse est cedere. Mihi enim etiam si nõ necesse sit mea asserere, tamen satis negotij fecero assertori, si suum figmentum aliter se posse habere demonstrauero. Itaque possum dicere Corpus Christi sic saluo pane in sacramento esse, sicut est ignis in ferro salua ferri substãtia: & deus in homine, salua humanitate, vtrobique sic mixtis substantiis, vt sua cuique operatio & natura propria maneat, & tamen vnum aliquod constituãt. Sic dicere, inquã, potero, donec papistæ hanc similitudinẽ non contemptu Thomistico, sed assertione fideli sustulerint. Ipsorum est enim af-

» firmatiuam probare, quam ego vna partí-
» culari possum labefactare. Non enim est
» hoc assertionem sacramentorum scribe-
» re, aduersarij argumenta transilire & con-
» temnere, vt hic facit insulsus Thomista:
» sed demonstrare ea esse nulla & inania:
» alioqui ea pro inuictis haberi cogit ipse
» assertor sua ridicula dissimulatione, &
» meticulosa fuga.

*Roffensis.* Dixi pridem, & ita sanè verissimum est, lõge facilius est oppugnare nostra, quàm eadem statuere, quandoquidẽ ex fide magis quàm ex humana ratione pendeãt. Satis nobis fuerit ea sequi, quæ patres tam eruditione, quàm vitæ sanctimonia probatissimi nobis reliquerũt. Quibus si quis hæreticus nolit credere, hunc oportet rationem efficacem reddere, cur ita credere minime teneatur: alioqui neutiquam audiendus est. Neque enim satis est vt reiiciat nostra, si dixerit ea non esse sufficienter probata: nisi rationem etiam omni luce clariorem attulerit, cur non debeant ea credi: qualem nullam hactenus Lutherus attulit. Et nunc post tam graues tumultus excitatos ita subterfugere molitur, quasi non incumbat ei suarum opinionum pro-

*Assertа aduersus fidem nihil efficiunt sine demonstratione.*

batio. Mihi, inquit, etiam si non necesse sit mea asserere, tamen satis negotij fecero assertori, si suũ aliter se posse habere demonstrauero. Et paulo post. Ipsorum, inquit, est affirmatiuam probare, quam ego vna particulari possim labefactare.

Et ego quidem in hoc assentior Luthero, quòd facilè cuiuis assertori negotium facessere possit, & sophismatibus suis non nihil impedire quæ statuat assertor. Nam facilius est (vt aiunt) demoliri, quàm exstruere: sed quòd ad oppugnatorem non pertineat vel asserere suã, vel ab incepto desistere, modis omnibus dissentio. Quid verò per affirmatiuam sibi velit, non intelligo. Nam quantum ad hoc negotium attinet, nostra est negatiua: panem videlicet non esse corpus Christi, & non manere substantiã panis: ex quibus colligitur trãssubstantiationem panis factam esse.

Cæterum vt iam ad similitudines quas attulit, veniamus:

Nil hic miror, si mentiatur Lutherus, qui nusquam fere non mentitur. Dicit hic Regem contemptu Thomistico similitudines suas, nempe de ferro & igne, & de deo incarnato, transiliisse: quod falsum XXI.

esse deprehendes lector, si Regis librum euolueris. Sic enim de priori exẽplo scripsit haud longe ante finem huius captiuitatis: Nec ego certè, inquit, veterum ferè sanctorum patrum quemquam puto fuisse probaturum concinnam istam Lutheri similitudinem ferri cum igne coniuncti. Nam nemo vnquam dixit sic ferrum in ignem conuerti, vt tantùm ferri species relinquatur, substantia ferri in ignis mutata substantiam: quod de pane & Christi carne veteres senserunt omnes. Hactenus ipse Rex. Quibus verbis abunde confutauit Lutheri sententiam, qua contẽdit ipse panem esse corpus Christi. Quòd si dixerit Lutherus hoc saltem exemplo patere, quomodo manere possit panis vnà cum corpore Christi: respondet ei Rex, se iam de re & non de rei possibilitate disputare. Neque enim quid possibile, sed quid factum sit, disquisiuit.

*Verba regis.*

Adde, quòd à posse ad esse, consequentia nullius roboris est. Sed & paulò superius rationes reddidimus cur vetustis patribus spiritu sancto plenis visum fuisset non manere substantiam panis, quorum patrum, & nõ minimo certè numero, sen-

tentias ipse rex recensuit. Et quæ est ista dogmatum constantia, vt Lutherus nunc asserat panem esse corpus Christi, nunc subterfugiens dicat panem non esse corpus, sed manere cum corpore? Vtrunque certè nõ est hominis habentis omnia sua dogmata de cœlo. Quãtum igitur ad exẽplum attinet de ferro ignito, satis constat nec ignem ferrum esse, nec è diuerso ferrum ignem: quare nec hoc exemplo conficitur vt panis verè dicatur caro Christi: quod Lutherus tamen per errorem asserit. Sed neque substantia ferri permutatur in substantiam ignis, quemadmodum de pane fieri in carnem Christi, patres tradiderũt. Hoc respondisse Luthero, regi satis fuit quãtum ad exemplum igniti ferri.

XXII. Cæterum quia Lutherus contẽdit hoc exemplo, manere posse substantiam panis vnà cum corpore Christi, Rex ex feruore fidei, quam habet erga sacratissimũ Christi corpus, nonnihil adiecit. Quisquis (inquit) beatissimum Christi corpus sic vt debet existimat, facilius assentietur quascunque duas substantias simul manere coniunctas, quàm vllum corpus aliud manere coniunctum cum venerãdo cor-

pore Christi. Neque enim vlla substantia digna est quæ cum ea misceatur substantia, quæ substantias omnes condidit.

*Creatrix substantia.*

Nec hic per creatricem substantiam Rex carnẽ Christi vult intelligi, quemadmodum Lutherus multis verbis postea blaterat: sed ipsum Christum, qui cũcta creauit. Neque enim negat Rex possibilitatẽ talis vnionis (modò sic visum fuisset deo) sed fatetur indignitatem, vt panis corrũpendus incorruptibili Christo sic misceatur. Et quis nõ intelligit etiam humanam naturam indignã fuisse quæ verbo misceretur? quanquam & ea præseruata fuerit à corruptione, ne videlicet id quod verbũ olim assumpsit, corruptionem pateretur. At panis si maneat, sæpe de facto corrumpitur, & sæpe reuera dimittitur. Quamobrem & rex eam ceu rem indignam cẽset, quæ cum incorruptibili Christo commisceatur. Nec verum est, vt gannit Lutherus, quòd accidentia permiscentur corpori Christi, quemadmodum accidentia ignis ferro. Nam sic & Christus esset albedine panis albus, sicut & calore ignis ferrum calet. Sed hactenus pro priori exẽplo: nunc alterius exempli mentionẽ Rex

*Accidẽtia panis non permiscentur corpori Christi.*

tontinenter subiicit, dicens:

*Panis non restat cum carne, sicut humanitas cum diuinitate.*

Præterea olim patribus opinor multo adhuc minus fuisse placituram illam Lutheri collationem, qua sic vult panem simul restare cum carne, sicut restabat in vna Christi persona deus cum homine. Nam vt passim veterum quisque patrum doctissimus atque sanctissimus fatetur panem mutari in carnem: ita nemo tam impius erat, aut inscius, vt humanitatem cõuerti senserit in diuinitatem, nisi forte nouam nobis personam fingat Lutherus, vt quomodo deus assumpsit hominem, ita deus & homo assumant panem & vinum. quod si credat, habebitur (opinor) hæreticus apud omnes qui non sunt hæretici. Ecce lector neutrã similitudinem rex transiliit, vt falso Lutherus mentitur: neque negat quin panis à Christo suppositari possit: modò Christus ita voluisset. Sed quoniam patres contrarium communiter asserunt: non dubitat Rex, eum qui contra tot sanctos & tam eruditos patres in re tam augusta sentiat, hæreticum habendum apud omnes qui non sunt hæretici.

Cæterum hoc secundum exemplum lõ-

ge diuersum est à priori. Vniuntur enim ibi duæ naturæ, diuina scilicet & humana sub vno suppositio verbi. Sed quoniã eiusmodi suppositatio supra naturæ vires est, æquè vt substantiam panis in carnẽ Christi mutari, multásque præterea secum habet absurditates, & hanc præsertim, quòd Christus sæpe dimissurus sit quod in vnitatem suppositi prius admiserat, ideo censet eam Rex non admittẽdam: & maximè quia nemo patrum eam tradidisse legitur. Cæterum si talem suppositationem panis in Christo Lutherus de facto, nõ de possibili probauerit, nos etiam contra patres cum eo sentiemus, & manus ei dabimus. At istud (scio) faciet nunquam. Interea nobis æquius est patrum sequi vestigia: simúlque quod spiritui sancto visum fuit per illos tradere nobis, æquius est amplecti, quàm Lutheri tortuosas ambages, quũ sub colore libertatis nihil aliud quàm nodos quærat quibus irretiantur imbecilliũ animi, quos tandem ad summam ita ducat perniciem.

*Panis non suppositatur in Christo.*

Multos vtique patres tam eruditione quàm sanctitate claros, Rex pro sua parte produxit, nimirum Eusebium, Emise-

tum, Augustinum, Gregorium Nyssenum, Theophylactum, Cyrillum, & Ambrosium, atque alios qui fatentur vnanimiter, panis mutari substantiam, & non manere facta consecratione. Atque ideo Rex istos introduxit, quòd Lutherus contendit ecclesiam mille ducentos annos credidisse manere panem, nec vsquam ante trecentos hos nouissimos annos patres de panis mutatione meminisse: quod apertissimè falsum esse Rex tot patrum testimoniis comprobauit: istud etiam adiungens, quod postquam ecclesia verum istud esse decreuerit: etiam si nunc primum decerneret, tamen si veteres non credidere contrarium, quanquam ea dere nunquam ante quisquam cogitasset, cur non obtemperaret totius ecclesiæ præsenti decreto, persuasus id nũc tandem reuelatum ecclesiæ, quod ante latuisset? Spiritus enim sicut vbi vult spirat, ita spirat & quando vult. Hactenus ipse Rex.

*Multorum authoritate probatur panis trãssubstantiari.*

*De panis mutatione non est noua opinio.*

Verùm hæc aure surda Lutherus, sicut & pleraq; alia, transiliit fortiter. Solũ ex omnib⁹ Ambrosiũ carpit, atq; id quidẽ

sophismate nimis quàm futili, de quo supra disseruimus.

Multa prætereo, ne sim alioqui nunquá finem facturus, & maxime si Lutheri conuiciis respondere vellem, quæ sunt innumera. Nihil tamen omisisse me memini quod vlla dignum esset responsione: vt nihil dubitem quin æquus lector diiudicaturus sit Regem solidis & rationibus & scripturis innixum fuisse, Lutherum contrà maxime friuolis. & quanquam ita res verè se habeat, audio tamẽ in huius quarti calce Lutherum ouantem, perinde ac si
» peruicisset. Ne sim ingratus (inquit) magi-
» sterio domini Henrici, nunc muto & trás-
» substantiare volo meam sententiam, &
» dico: Antea posui nihil referre, sic siue sic
» sentias de transsubstantiatione: nunc au-
» tem visis rationibus & argumentis asser-
» toris sacramentorum pulcherrimis, de-
» cerno impium esse & blasphemum, si quis
» dicat panem transsubstantiari: catholicum
» autem & pium, si quis cum Paulo dicat,
» Panis quem frangimus, est corpus Chri-
» sti. Anathema sit, qui aliter dixerit, & iota
» aut apicem vnum mutarit, etiam si sit do-
» minus Henricus nouus & eximius Tho-

mista. Hæc Lutherus.

Hic primum attende lector, hominis inconstantiam, qui tamen gloriatur se certum esse habere se omnia sua dogmata è cœlo. Si prius illud dogma de cœlo suscepisset, quî fieri posset vt istud item quod contrarium est, fuisset è cœlo? Nam certũ est è cœlo non iam venire pugnantia dogmata. At ista manifeste pugnant, licet, & non licet. Prius autem docuit licere, nec referre quicquam, sic, siue aliter sentiat quiuis: nunc autem impium decernit sic sentire.

*Roffensis.*

*Lutherus secum pugnat.*

Deinde consideres & istud, nempe quod affirmat catholicum & pium esse, si quis cum Paulo dicat, Panis quem frangimus, est corpus Christi. At Paulus istud nunquam dixit. Sic non pudet magistrum istum è cœlo nobis datum, de Paulo mẽtiri. Paulus vtique dixit, Panis quem frãgimus, nonne participatio corporis domini est? At ex eo non colligitur quòd panis quem frangimus, sit corpus domini: quoniam & idem ipse Paulus superius dixit: Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis est Christi? Sed ex hoc haudquaquam colligitur

*Mendacia Luthers. 1. Cor. 10.*

Ꝑ calix iſte ſit ſanguis Chriſti. Quare neq; ex altero colligi poteſt quòd panis fuerit corpꝰ Chriſti. Poſtremò videbis lector, ſi Lutherũ obſerues, quàm aperto ſeipſum feriat anathemate. Anathema (inquit) ſit, qui aliter quàm Paulus dixerit, & iota aut apicem vnum mutarit. Quamobrem quum Lutherus longe aliter Paulum recenſeat, quàm vel ipſe dixerit, vel ex eius verbis poſsit colligi, an nõ plane ſeipſum anathemate ligat? Et hic finis eſto quarti.

*Luthe. excommunicat ſeipſum.*

## Miſſam haudquaquam teſtamentũ eſſe.

I. SEd iam quinto loco nobis excutiendum eſt, an miſſa rectè nouum dicatur teſtamentum. Aſtruere conatur Lutherus miſſam teſtamentum eſſe, atque id ceu fundamentum immobile, ſuper quo diabolicam ſuam ſtructuram erigat, conſtabilire modis omnibus nititur. Nos verò nõ ambigimus oſtendere non ſolum hoc fundamentum non eſſe immobile, verumetiam ea quæ ſuper hoc ædificare molitus eſt, nulla prorſus niti ſoliditate. Nã & ex eodem fundamento colligit miſſam nõ eſſe

*Intentio authoris.*

ſacrificium. Quæ res non ſolum authoribus omnibus tam recentibus quàm vetuſtis, verumetiam ipſis ſcripturis aduerſatur, vti poſtea ſuo loco docebimus.

Cæterum cauſa totius erroris eſt, quòd Lutherus Euchariſtiam arbitratur ſacramẽtum eſſe remiſſionis peccatorum, quũ ſit reuera nõ remiſſionis, ſed magis vnionis cuiuſdam ſacramẽtum. Noſtram enim vnionem cum Chriſto ſignificat, & eandem cum deo patre non minus efficaciter præſtat. Quã rẽ nõ modo teſtimoniis patrũ, verũetiã ſcripturis ipſis firmabimus.

*Euchariſtia non eſt ſacramentum remiſſionis peccatorũ, ſed vnionis.*

Dionyſius primùm cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ ſacramentum iſtud ideo ſynaxim & communionem appellat, quòd noſtram cum deo perficiat vnitatem.

Et Damaſcenus item communionẽ vocat, quia per ipſum Chriſto communicamus, & participamus eius carne & diuinitate, & quia communicamus & vnimur inuicem per idipſum.

Sed & Chryſoſtomus in epiſtolam ad Corinthios priorem de hoc ſacramẽto loquẽs, Quare (inquit) nõ dixit Paulus participatio? Quia amplius quiddam ſignificare voluit, & multam inter hæc conue-

nientiam ostendere. Non enim participatione tantum, & acceptione, sed vnitate communicamus. Quemadmodum enim corpus illud vnitum est Christo, ita & nos per hunc panem vnione cõiungimur.

Accedit his Hilarius octauo libro de trinitate, sic dicens: Si verè corporis nostri carnem assumpsit Christus, & verè homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nósque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc, vnum erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis: quomodo voluntatis vnitas asseritur, quum naturalis per sacramentum proprietas, perfectę sit sacramentum vnitatis?

Subscribit Augustinus in hunc modũ: Sicut, vt sit species visibilis panis, multa grana in vnum conspergũtur, tanquam illud fiat, quod de fidelibus ait scriptura
Act. 4. sancta: Erat illis anima vna, & cor vnum in deum: sic & de vino fratres recolite vnde sit vnum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in vnitatem confunditur. Ita dominus Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit. Mysteriũ pacis & vnitatis nostræ in sua mensa cõsecrauit. Et alibi: Quomodo (inquit)

(inquit) videtis vnum esse quod factum est, sic vnum estote vos, diligendo vos, tenendo vnam fidem, vnam spem, indiuiduã charitatem. Hæretici quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt, quia illi quærunt diuisionem, quum panis iste indicet vnitatem. Ex iis itaque liquet, hoc mysterium vnitatis & communionis esse symbolum atque sacramentũ. At quid tot authoribus opus est, quum Paulus hãc rem abunde testetur? Poculũ (inquit) benedictionis cui benedicimus, nonne cõmunicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quid sibi vult his verbis aliud Paulus, quàm quòd hæc sint communionis & vnitatis sacramenta? Et ob id sequenti capite, posteà quàm dissidiorum inter Corinthios meminerit, subiungit: Iam non licet dominicam cœnam manducare, perinde ac si dixerit, Dominica cœna, concordiæ symbolum est, nec dissidentes admittit animos: at vos dissidetis inuicem, & non communem cœnam, sed priuatam quisque suam edere parat. Adde, quòd Paulus nec verbulum quidem facit de remissione pecca-

*Eucharistia est sacramentũ vnionis.*

1. *Cor.* 10.

1. *Cor.* 10.

torum, quum tamen integrè totum ipsius mysterij recensеat ordinem, secundum quod à Christo pridem fuerat edoctus.

II. Quis iam ex dictis & authoribus & scripturis non luculenter intelligit Eucharistiam vnionis esse sacramentum, & non remissionis peccatorũ? Nam peccata quãtum ad culpam, per sacramentum absolutionis ante deleãtur oportet. Nam & hoc absolutus (vt Lutherus affirmat) omnino credere tenetur. Quòd si verè deleta sint peccata, quid opus fuerit iam aliud sacramentum pro culpis redimendis accipere, quum sint per sacramentum absolutionis antea remissæ? Cæterum ob id Lutherus contendit eam esse sacramẽtum remissionis peccatorum, quòd de remissione peccatorum in consecratione sanguinis facta sit mentio. Verum istud quàm nihil instituto suo conducat, mox docebimus. Ex hac tamen basi struere molitur, & pertinacissimè quidem, vt credamus remissionem peccatorum per istud sacramentum nobis esse promissam: atq; vt ferè fit, vno quopiam errore semel admisso, procliuiter ad cõplures alios dilabimur. Ita Lutherus hoc errore posito seipsum in alios

*Non licere nisi pura conscientia ad Eucharistiam accedere.*

absurdissimos fœde præcipitauit. E quib⁹ hic vnus & pestilẽtissimus omnium est, q⁹ sceleratissimis & inquinatissimis hominibus ad hoc sacramentum tutò licebit accedere. Quam opinionem hactenus tota prorsus orthodoxorũ ecclesia ceu maxime detestandã abhorruit, Paulo ipso prorsus reclamãte, quum dicat, q⁹ qui indignè accedit, iudiciũ sibi mãducat & bibit, non diiudicãs corpus domini. Quamobrem & prius oportet à peccatis resipiscere, simul & absolutionẽ à sacerdote quopiã accipere, quàm ad hoc sacramẽtũ accedere quis præsumat. Postquã autẽ hæc dignè fecerit, nõ inficior quin ad delẽdas peccatorũ reliquias Eucharistia plurimũ cõferat, & maximè quatenus volut sacrificiũ deo pro peccatis offertur. Nã quatenus sacrificiũ est, repræsentat illud summũ Christi sacrificiũ, quo patri seipsũ obtulit in cruce, vbi & sãguinẽ suũ fudit in remissionẽ peccatorũ. Id enĩ pridẽ in cœna pollicebatur, dicẽs: Hic est sanguis me⁹ noui testamẽti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionẽ peccatorũ. Ecce pro sanguinis effusione remissio peccatorũ promittitur, nõ pro calicis potatione. Neq; enim dixit:

1. Corin. 11.

*Dignè cõmunicanti delentur peccata.*

*Matt. 26.*

Hic est sanguis qui à multis bibetur in remissionem peccatorum: sed, Hic est sanguis qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Non igitur pro potatione calicis in cœna, sed pro effusione sanguinis in cruce, remissio peccatorũ fuerat promissa. Quamobrem nec Eucharistia sacramentum est remissionis peccatorum, quãdoquidem & solis illis quibus antea sint remissa peccata, cõferri debeat. Nam tales idonei sunt qui deo per Eucharistiam vniantur, non autem illi qui nondum abluti sunt, neque peccatis adhuc omnino renunciarunt. Porro certum est & effusio sanguinis in cruce valuit ad peccatorum omnium abolitionem. Atque ideo quùm sacrificium corporis & sanguinis oblatum in missa referat ipsum crucis sacrificium, fit vt quoties in missa corpus & sanguinem Christi sub panis & vini speciebus offerimus, toties nonnihil ex rubigine peccatorum adimatur, & ipsæ reliquiæ peccatorum his pro quibus hoc sacrificium offertur, haud dubie remissiores euadant. Neque tamen ob istud consequitur, quòd sordidis & sceleratis qui non se prius expiauerint, hæc sancta con-

*Impœnitẽtes non poterunt dignè cõmunicare.*

ferenda sint, quū idipsum olim fieri Chri- "
stus aperte vetuerit, dicēs: Ne detis quod *Matth.7.*
sanctum est canibus, neque proiecceritis "
margaritas vestras ante porcos. Non est "
igitur hoc sanctissimum sacramētum cui- "
uis exhibendum, qui sibi cōscius alicuius "
mortalis criminis, non seipsum ab eodem "
antea diligenter expurgauerit, sed his so- "
lis qui prius excusserint sese, & quoad fie- "
ri potest, ab omni sorde letaliter inficien- "
te diligentius expiauerint. His (inquam) "
cibus iste sacer ministrandus est, non au- "
tem canibus aut porcis. Nam hi ne-
quaquam antea seipsos probarunt, ne-
que diiudicarunt corpus domini, sed il-
lotis pedibus in hunc sacerrimum cibum
irruunt.

Duo igitur sunt quæ per ordinem re- III.
fellemus. Alterum, quòd missa testamen-
tum sit: alterum, quòd ipsa non sit opus &
sacrificium. Nam vtrumque Lutherus &
sanè pluribus astruere conatur. Sed de
testamento dicemus prius, quādoquidem
& hoc velut immobile fundamentum to-
tius structuræ suæ Lutherus posuerit. Sic
enī scribit in captiuitate sua Babylonica:
Stet ergo primum, & infallibiliter, missam "

» seu sacramentum altaris, esse testamẽtum
» Christi, quod moriens post se reliquit di-
» stribuendum suis fidelibus. Sic enim ha-
» bẽt eius verba: Hic calix nouum testamẽ-
» tum in meo sanguine. Stet inquã ista ve-
» ritas vt fundamẽtũ immobile, super quod
» omnia struemus quæ dicenda sunt. hoc e-
» nim videbis, vt subuertemus omnes ho-
» minum impietates in hoc dulcissimum ſ
» cramẽtum inuectas. Verax ergo Christus
» verè dicit hoc esse nouum testamentum
» in sanguine suo pro nobis fuso. Huc vsq;
Lutherus.

*Rossensis.* Hic primum aduerte lector quàm vafre suum dogma profiteatur inuoluens hæc omnia simul, missam, & sacramentum altaris, & testamentum Christi, atq; ita ex his tribus vnum faciens. Stet (inquit) primum & infallibiliter missam seu sacramentum altaris esse testamentum Christi. Veruntamen postea nec semel tantum inuenies missam ab eo dici promissionem, & sacramentum altaris esse rem annexam promissioni. Satis vtique constat missam seu sacramentum altaris non esse promissionẽ, tametsi per eius sumptionem bona plurima promittantur, sed de hac re mox plu-

ribus dicturi sumus. Porro quod subdit, Quod moriens post se reliquit distribuẽdum suis fidelibus: quis vnquam audiuit testamentum esse distribuendum? An non ea potius distribuenda sint, de quibus testamentum conficitur? Sed hæc est hominis vafricies, vt omnia cõfundat, intricet, inuoluat: nimirum vt quoties in arcto cõstitutus premitur, inuolucro quopiam è manibus elabatur protinus. Sed & verba Christi quæ producit, nihil ad hanc rem conferunt. Neque enim Christus his verbis distribui quicquam iussit præter corpus & sanguinem. Quòd si quicquam hic legatum sit, id oportet aut corpus aut sanguinem esse Christi. Nam remissio peccatorum hic neutiquam legatur. Neque enim pro sanguinis potatione remissio peccatorum (vt diximus) promittitur, sed ob effusionem ipsius in cruce. Quòd verò iam testamenti Christus meminerit, ideo fit, vt ipsum effusione sui sanguinis in cruce confirmatum ostendat, non vt sanguinem aut calicem testamentum faciat, quẽadmodum Lutherus fallaciter insimulat, sed magis vt nouũ testamẽtũ, hoc est legẽ nouã à se latã, pariter & cuncta quæ in ea

promissa sunt, suo sanguine doceat esse corroborata.

IIII. Cæterum quàm sit hoc Lutheranum fundamentum immobile, & quàm firmam inde structuram erigat, paulo post videbimus. Quòd autem postremo loco dicit veracem esse Christum: profectò verax, imò veracissimus Christus est. At Luthero nihil est mendacius, qui Christo id quod is nunquam protulit, ceu verè prolatum adscribere non veretur. Falsissimũ enim est quòd Christus, ad Lutheri sensum, vsquam asseruit calicem esse testamẽtum nouum, quod & inferius ostẽdemus. Interim videamus, quibus verbis Rex illustrissimus hunc errorem taxauit.

*Calix non est testamẽtum nouũ.*

*Verba regis.*

Non contendam (inquit) cum eo de testamento, & promissione, & tota illa definitione & applicatione testamenti ad sacramentũ. Non ero tam molestus ei quàm alios fortassis inueniet, si qui bonam ei partem istius fundamenti subruerint, qui & testamentum nouum dicant promissionem esse legis Euangelicæ, quemadmodũ vetus fuit Mosaicæ, & testamentum istud negent à Luthero satis scitè tractari. neq; enim testatori nuncupandum esse nomi-

natim quid relinquat hæredi quem ex asse instituat: neq; remissionem peccatorum, quam pro hæreditate nũcupatam Lutherus ait, idem esse quod regnum cœlorum, sed viam potius ad cœlum. Quas res, atque alias item aliquot quisquis vrgere velit ac premere, posset fundamenti Lutherani structuram machinis alicunde concutere: verùm istud eis permittam qui volent. Hactenus illustrissimus Rex.

Ecce quàm apertissimis verbis regia celsitudo breuiter subindicauit, quibus modis is error conuelli possit. Et quanquam nos id fusius ostẽderimus inter cõfutandam assertionem articulorum Lutheri articulo. 15. nunc tamen plusculum aliquid adiiciemus. Euoluat quisquis volet vniuersam scripturam sacram, non plura quæ testamenta noua dicantur, inueniet, quàm vnum. Vnicum enim est Paulo testamentum nouum, quemadmodum ad Hebræos octauo nonóque capite manifestum est, & nos inferius ostendemus. Neque opinor Lutherum posse subterfugere quin de testamento nouo loquatur. Nã id eius probationes manifestant. Probat enim ex eo missam esse testamentum,

*Roffensis.*

*Vnicũ est testamentũ nouum.*

quòd dixerit Christus: Hic calix nouũ testamentum est in meo sanguine. Et postea subdit: Verax ergo Christꝰ verè dicit hoc esse nouum testamẽtum in sanguine suo. Quamobrem nec potest Lutherus hic de alio quàm de nouo testamento loqui. Cęterum vt est ingenio satis vafro versutóque, definitionem testamenti quãdam introducit, quam & missæ conatur accómodare: quę qualis fuerit, primum audiamus.

*Testamentũ quid sit secundum Lutherum.*

Testamentum (inquit) absque dubio est promissio morituri, qua nuncupat hæreditatem suam, & instituit hæredes. Neque nos istam testaměti definitionem respuemus, sed & eã docebimus legi nouæ, quæ & Paulo testamentũ nouum dicitur, aptissimè conquadrare. Nam in ea Christus, qui pro peccatoribus erat moriturus, & sanguinem ad illius corroborationem fusurus, hæreditatem suam, nempe cœleste regnum, promisit. Hæredes verò pauperes spiritu, mites, lugentes, auidos iustitiæ, misericordes, mundo corde, pacificos, & denique propter iustitiam persecutionem passos instituit. Beati (inquit) pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum &c. Ecce definitio dicta non ineptè

*Matt. 5.*

quadrat in legem nouam, quum & huic singula illius membra conueniant. Cæterum quod Lutherus conatur eam accommodare missæ, tam inuitum est, ac si per capillos repugnantem velit pertrahere. Quam rem facilè perspicies optime lector, si diligenter expendas cuncta Lutheri verba, quibus missæ conatur hanc suã definitionem adaptare. Sic enim ait:

Inuoluit itaq; testamẽtum primò mortem testatoris, deinde hęreditatis promissionem, & hæreditatis nuncupationem. *Verba Lutheri.*

Attende lector quàm inuolutè sua tradit. Inuoluit (inquit) testamentum primò mortem testatoris. Profecto testamẽtum, vt certo constabiliatur, testatoris mortem exigit. Et huic Paulus astipulatur dicens: Testamentum in mortuis confirmatum est. Cęterum quod morte cõfirmatum est, aliud ab ipsa morte sit oportet, mortémque ipsam anteçedat necessum est. Quamobrem neque testamentum sic inuoluit testatoris mortem ceu rem legatam, sed unquam legatorum confirmatricem. Lutherus tamen non ita Christi mortem inuolui contendit, ceu rem legatam. Nam subdit: In verbis istis clarè videmus: *Rossensis.* *Hebr. 9.*

Mortem suam Christus testatur, dum dicit, Hoc est corpus meum quod tradetur: hic sanguis meus qui effundetur.

Ecce lector, Hic Lutherus Christum facit testari suam mortem, non autem sua morte corroborare testamentum, plane contra Paulum, qui clamat Christum sua morte testamentum suum corroborasse. Sed neque quicquam adminiculantur ea capita quæ citauit ex Paulo, quum Paulus tam apertè cap. 9. ad Hebræos, vetus testamentũ a nouo discriminet, inquiens: Ob id noui testamenti conciliator est Christus, vt morte intercedente ad redẽptionem earum præuaricationum quæ fuerant sub priori testamento, ij qui vocati sunt, promissionem accipiant æternæ hæreditatis. En lector, apertissimè Paulus explicuit iis verbis prius quoddam testamentum antecessisse, nempe legem veterem, quæ multarum præuaricationum occasio fuit. Post quod, subsecutum est alterum nouum, vtique lex noua, cuius conciliator erat Christus, quam sua morte sic intercedente cõstabiliuit, vt etiam omnes illas præuaricationes aboleret penitus. Hoc nouo testamento cœleste re-

Heb. 9.

gnum, velut æterna hæreditas, promissum fuit: hæredes autem instituuntur ij, qui a deo vocati sunt.

V *Epilogus.*

Cernis itaque lector optime, discrimen veteris & noui testamenti. Cernis & mortem Christi nõ ipsum testamẽtũ esse, sed ipsius testamẽti ratificatricẽ. Cernis identidẽ qui sint hæredes, nempe qui vocati sunt. Cernis postremo quæ sit hæreditas: non vtique remissio peccatorum, quæ per Christi mortem abolentur, sed æterna magis in cœlis beatitudo, ad quam nisi remissis antè peccatis nemo conscensurus est. Cæterum vt mortem a testamento diuersam nemo nõ intelligat, Paulus idipsum eodẽ loco manifestẽ docet. Vbi (inquit) testamentum est, mors intercedat necesse est testatoris. Nam testamentum in mortuis ratum est, quando quidem nondum valet quum viuit testator. Quis hic nõ videt testamẽtũ preire testatoris mortẽ, quanquã citra mortẽ omnino sit inualidũ? Nondũ (inquit) valet quamdiu viuit testator. Quibus verbis etiã plane cõuincitur, sacramenta corporis & sanguinis Christi nõ fuisse testamentũ nouũ, quandoquidem & ipsa inualida fuerant ipso

*Discrimen inter mortem & testamẽtum Heb. 9.*

testatore nõdum mortuo. Dilucidum igitur ex his est, ineptissime Lutherum collegisse, quum paulo post subdat.

» Vides ergo quòd missa, quã vocamus, sit
» promissio remissionis peccatorum à deo
» nobis facta, & talis promissio quæ per
» mortem filij dei firmata sit.

Hic nisi Lutherus existimet cũctos qui sint ista lecturi, plane cæcos esse, miror quòd talem vnquam collectionem effutire non puduerit, quum nihil adhuc antecesserit probatum, vnde posset eiusmodi collectionem efferre. Insanit profecto, si credat homines talibus ineptiis posse fascinari. Recte nimirũ istud Euãgelio congruit, quo nobis & remissio peccatorum & cœleste regnum promittuntur: at missę nequaquam, quũ non ob eam, sed ob sanguinis effusionẽ sit promissa peccatorum remissio, vt iam ante diximus, & mox dicemus apertius.

VI. *Testamenti noui definitio.*

Testamentum itaque nouum, si quis apte iuxta scripturas definire cupiat, recte dixerit esse legem nouam a Christo latam & eius obsignatã sanguine, cuius professores heredes instituũtur cœlestis regni. Ecce definitionem hic habes ex omnibus

causis

tausis integratam. Materiali primum, quũ dicitur, Lex. formali, quum subiungitur, noua. Efficienti, quum adiicitur, à Christo lata. Instrumentali, quum adiungitur, eius obsignata sanguine. Finali demum, quum apponitur, cuius professores instituuntur heredes cœlestis regni. Cæterum & huius definitionis mẽbra singula, scripturarum testimoniis abundè roborabimus.

*Testamentum nouũ est lex noua*

Principio, quòd testamentum nouum sit noua lex, Paulus non solum ex iis quæ superius ex epistola ad Hebræos nono capite produximus, verumetiam ex octauo manifestius declarat, vbi docet Christum excellentius fuisse sortitum sacerdotium, quã sacerdotes veteris testamẽti, ac proinde testamenti præstãtioris intercessorem esse, nimirum ipsius de quo citat prædixisse Hieremiam: Ecce dies venient, dicit dominus, & consummabo super domum Israel & super domum Iuda testamentum nouum, non iuxta testamentum quod feci patribus illorum in die quum apprehenderem manum illorum, vt educerem eos ex Aegypto: quoniam ipsi non perstitemunt in testamento meo, & ego negle-

*Hieremiæ 31.*

ctui eos habui, dicit dominus. Hoc inquã vaticinium Paulus ibi citat, & pergit ex eodem propheta docere quid sit testamẽtum nouum. Nam hoc est (inquit) testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit dominus deus: dans leges meas in mentem illorum, & in corde illorum inscribam illas.

VII. *Testamentum nouũ est sanguine Christi confirmatum.*

Ecce iam hic habes lector, quid sit testamentum nouũ, nempe leges nouæ cordibus hominum inscriptæ. Has Christus ipse tulit ac promulgauit, nequaquam chartis & atramento, sed cordibus auditorum inscribens. Porro quòd easdem & sanguine ratificauerit suo, Paulus haud multo post, nempe capite nono, palam astruit, vbi & docet hoc testamentum nouum eximio Christi sanguine ratum fieri, quemadmodum & vetus illud antea pecudũ sanguine cõfirmabatur. Quũ (inquit) Moses omne præceptũ iuxta legem exposuisset omni populo, sumpto sanguine vitulorũ & hircorũ cum aqua & lana coccinea & hyssopo, simul & ipsum librum, & totum populum aspersit, dicens: Hic est sanguis testamenti quod mandauit vobis deus. Hæc Paulus.

Et

Et hic aduerte lector optime, quàm similibus Moses vsus erat verbis in testamẽti veteris cõfirmatione, his quibus euãgelistæ referũt vsum fuisse Christũ in cõfirmatione noui. Sic enim dixit Moses, Hic est sanguis testaméti quod mãdauit vobis deus. Hoc pro testaméto veteri Moses dixit: Matthæus autẽ & Marcus Christũ similia protulisse verba testãtur, quum sui sanguinis poculũ sub cœnã discipulis porrexisset. Nam Marcus ita scripsit, Hic est sanguis meus noui testaméti, qui pro multis effundetur in remissionẽ peccatorum. Fũdebatur enimuero prius in lege veteri vitulorũ & hircorũ sanguis tã pro peccato, quàm ob veteris testaméti cõfirmationẽ: sed illo sanguis nimisquàm inualidus fuit nõ solũ ad peccati deletionẽ, verumetiã ad perfectionẽ illius testaméti cõstabiliendã. Fuit enim impotẽs ad delendum peccatum, quẽadmodũ & Paulus testatur dicẽs: Non potuit sanguis taurorũ & hircorũ auferre peccata. Sanguis verò Christi (qui & nouũ testamentũ ratificatũ est) sicut in remissionẽ peccatorũ effundebatur, ita verè talem præstitit remissionem. Quis hic non perspicit singula sin-

*Cõparatio pulchra.*

*Exodi. 24.*

*Marci 14.*

*Heb. 9.*

gulis vel ad amussim respondere, Moseni inquam Christo, calicem calici, sanguinem sanguini, testamentum testamento? Nam vt Moses accepto calice, in quo sanguis pecudum fuit, eodem stabilire vetus testamentū est molitus, ita & Christus accepto calice, quo proprius ipsius sanguis continebatur, eodem prorsus nouum confirmauit testamentum.

Non est ergo sanguis testamētum nouum, quandoquidem sanguine testamentum nouum confirmatur. Quis enim non perspicit diuersa esse oportere duo hæc, nimirum id quo quicquam ceu quodam instrumento cōfirmatur, & illud quod ita cōfirmatur? Quamobrem quum calix sanguinis Christi sit id quo testamentū nouū corroboratur, vt ex Paulo iā ostendimus; Nā sicut vetus illud sanguine pecudū cōfirmabatur, ita & nouū sanguine Christi. Quū inquā ista sic se habēt, planè suā inscitiā prodit Lutherus, qui vel Christi sanguinē, vel sanguinis eius calicē, nouū appellat testamentum. Non est ergo sanguis testamentum nouū, tametsi sanguine testamentum ipsum fuerat solidissimè roboratum. Cui sententiæ patres omnes asti-

*Hebr. 9.*

*Sanguis Christi nō est testamē tum.*

stipulantur, quicunque putantur & sunt orthodoxi.

Sed & istud annotãdum est, quẽadmodũ id quod Moses protulit, nẽpe, Hic est sanguis testamenti: suppleri debet per voculã aliquã quæ ratificationẽ significat, vt dicamus, Hic est sanguis cõfirmatiuus seu constabilitiuus eius testaméti, quod mandauit vobis deus: sic & sermo Christi supplendus est, mimirũ vt intelligamus dixisse Christũ, Hic est sanguis meus cõfirmatiuus noui testamenti. Dilucidũ igitur est neque Christi sanguinem posse nouum testamentum dici, sicut neque vitulorum & hircorum sanguis testamentum vetus dicebatur. VIII. *Verba Christi supplenda.*

Adde quòd istud quoque satis apertum est ex ipsius Lucæ verbis. Neque enim dixit apud Lucam Christus, Hic sanguis meus est testamentum nouum, sed, Hoc poculum testamentum nouum in meo sanguine, seu per meum sanguinem, vt alius traduxit. Non est ergo sanguis testamentum nouum: & multo minus calix aut poculũ ita dici meretur. Quis em̃ ita insanit, vt Moseos poculũ aut craterã quã ipse plenã sanguine manu tenuit, vet⁹ fuisse *Lucæ.22*

testamentum opinetur? Quòd si neque poculũ, neque sanguis in poculo sit testamentum nouũ, palã est sermonẽ hũc eclipsim pati, verbóque carere quod ratificationẽ exprimat: ad quem sensum hactenus cuncti patres tam Pauli quàm Lucæ verba duxerunt intelligenda: neque ante Lutherum repertus est quisquã, qui vel poculũ vel sanguinẽ ausus est testamentũ interpretari. Tantũ igitur hoc loco Christus ob id noui testamẽti facit mẽtionem, quòd istud sanguine Christi ratũ habebatur, nõ ideo quòd missa testamẽtũ sit, quemadmodũ Lutherus pestiferè machinatus est. Arrogat enim sibi Lutherus libertatẽ, imò licentiã quandã interpretãdi scripturas quaslibet pro sui cerebri somniis, insánaque phrenesi. Sic enim superius Christi verba, quũ dixit, Hoc est corpus meũ, hoc id est hic panis interpretabatur. Nũc verò dicit, Calix, id est missa, est nouũ testamentum. Sed neque calix est missa, neque horũ alterutrũ est testamentũ nouum: quæres vel cunctis dilucida est, qui quid sit testamentũ nouum, haudquaquam ignorant.

*Luthe. distortè interpretatur scripturas.*

Ad hęc, Quum de corpore suo loqueretur

esset Christus, nihil omnino testamẽti sine noui seu veteris meminit, quod tamen ad missam nihilominus pertinere quàm sanguinem, quis dubitat? Quod & ideo fecisse clarissimũ est, quòd sanguinis effusio, mortis indicium sit. Quoniam igitur testamẽtum (vt inquit Paulus) in mortuis ratũ habetur, & mortis non inefficax symbolum est plena sanguinis effusio, sanguine decuit testamẽtum constabiliri. Quod si voluisset Christus his verbis intelligi missam esse testamẽtum nouum, testamẽtũ non minus meminisset quum de corpore suo, quàm quum de sanguine fuisset locutus, quũ ad missam æquè pertineat corporis atque sanguinis sui sacramentum. Liquet igitur ex his, testamentum nouum esse legem nouam a Christo latam, & eius obsignatam sanguine.

*Christus nũ meminit testamenti cum de corpore suo loqueretur.*

IX.

Iam verò quantum ad postremam attinet particulam, nimirum hanc, cuius professores hęredes instituuntur cœlestis regni, adeo palam est ex scripturis, ob hunc finem cætera fuisse facta, nimirum vt homines huius legis obseruatores, cœleste regnum velut hæreditarium adipiscerentur: vt omnino superuacaneum sit

vllas in hanc partem afferre probationes. Manifestum est igitur hanc quam attulimus, esse noui testamenti definitionem.

*Anthypophora.*

Quòd si contenderit Lutherus alium huius vocis vsum apud Lucam esse, quàm apud cæteros Euangelistas, id nemini persuadebit opinor. Nam etsi verbis aliis Euangelistæ dominicam cœnam enarrauerint, sensu tamẽ oportet fateamur omnes penitus conuenire. Quamobrem & apud Lucam nihil aliud hæc vox testamentum significat, quàm quod apud Matthæum & Marcum.

*Euãgelistæ non dissidẽt de cœna vltima.*

Quoniam igitur apud istos, vti superiùs ostẽdimus, nouum testamentũ nihil aliud est, quàm lex noua, cõficitur & apud Lucã nec aliud quicquã significare posse, quàm legem nouam. Quamobrem & funditus corruit vniuersa Lutheri structura, quam super hoc fundamentũ conatus est erigere. Quem ergo iam Lutherum, aut quo dignum epitheto censebimus, qui tam falsum fundamentum & ex Euangelio subornare molitus sit? Veracem hunc prophetam appellabimus, qui tantum & tam insigne mendacium ex Christi verbis commentus est? Aut pastorem bonum Chri-

stiani gregis, qui tam pernicioſè tot ſeduxit animas? Aut ſacrorum denique bibliorum correctorem, qui ſic Euãgelium corrumpere nihil eſt veritus? Quod tibi Luthere iam ſubterfugium eſſe poterit? quæ tergiuerſatio? quibus technis, quibúſve ſtrophis iam effugies? An non hęc ſcripſiſti: Stet ergo primum & infallibiliter miſſam ſeu ſacramentum altaris eſſe teſtamentum Chriſti? Et iſtud probare moliris ex his verbis quæ dixit Chriſtus, Hic calix nouum teſtamentum in meo ſanguine. Et ingeminas: Stet inquam iſta veritas, vt fundamentum immobile. At iam Luthere cernis, opinor, ea Chriſti verba nihil inſtituto tuo conducere poſſe. Neque enim ipſe per teſtamentũ nouũ miſſam voluit intelligi, ſed legem nouam, legem videlicet Euangelicam, quæ præcepta ſimul & promiſſa, necnon & ſacramenta complectitur omnia. O nobilis olim Germania, quę nullis hactenus Bohemorum hæreſibus fœdari potueras, quoaduſque patieris hanc Lutheranam peſtem in tua viſcera graſſari? Et vos Lutherani, viri alioqui doctiſſimi pariter & eximij, niſi quòd de magiſtro tam peſtifero gloriamini, pudeat vos

*Doctrina Luthe. perniciosa. Apostrophe.*

*Exclamatio.*

tãdem vsqueadeo turpiter fuisse delusos. Nam vt hic fœdè simul & pernicioſè lapsus est, ita potuisse & in aliis quibus ecclesiæ catholicæ contradicit, labi, nemo dubitare potest.

X. Et quanquam sit vsqueadeo fœdè pernicioseque lapsus, non erubescit tamen illustrissimo regi insultare, quòd is intactũ

*Lutherus.* reliquerit hoc negocium. Protestatur (inquit) se relicturum intactum id, quod maximè omnium ei confutandum fuerat, nempe robur meum principale, & argumentum capitale, vbi ex verbis Christi probaui missam esse testamentum & promissionem, ideo non posse opus aut sacrificium dici. Hæc Lutherus.

*Reffensis.* At rex nusquam protestatus est se relicturum intactum, quanquã dixerit se nolle multis in hac re contendere. Breuiter enim & paucis indicauit, quibus rationibus error ille possit refelli, & ex eo potissimum, quòd testamentum nouum sit promissio quædam per legem Euangelicam facta, quemadmodum vetus fuit per Mosaicam. Nam vt in Mosaica lege terrena promittebantur, ita & in Euangelica lege cœlestia.

Quando igitur vnicum est nouum testamentum, vti suprà docuimus, palam est non posse Missam testamẽtum nouum dici. Conuincit insuper ipse Rex peccatorũ remissionem (quam pro hæreditate nuncupatam Lutherus aiebat) non idem esse quod cœlorum regnum, quum sit via potius ad regnum, & adiumẽtum quoddam, quo paulo pòst ipsam hæreditatem consequemur, modò persistamus in ipsa puritate. Neque enim omnis cui remissio peccatorum obtigit, cœlestem hæreditatem assecutus est. Quamobrem vt nemo rectè dixerit viam esse terminum, aut medium ad finem ipsum finẽ, ita nec remissio peccatorum cœlestis hæreditas dici poterit. His paucis regia celsitudo plane subruebat Lutheranum fundamentum, quo statuere molitus est missam esse testamentum nouum. Quocirca quum hoc ipsum Lutherus principale suum robur appellet, & argumentum capitale, quis nõ perspicit q̃ caduco sit innixus fundamento?

*Remissio peccatorũ non est regnum cœlorum.*

XI.

Cæterum vt hic elabatur, multa (scio) diuerticula quæret, ac propterea tam varius vbique est, & ipso Proteo mutabilior. Nam aliquando missam vocat sacra-

*Varie ac-*

mentum altaris, aliquando testamentum, nonnunquam testamentum Christi sacramento corporis & sanguinis sui commendatum, sæpissime promissionem, & nihil aliud quàm promissionem. Istudque nimirum ideo facit, vt quum in horum quouis durius vrgeatur, mox ad aliud confugiat. Quamobrem & singula refellamus necesse est.

*Sacramentum altaris non est promissio.*

Principio male cohærent, missam esse sacramentum altaris, & nihil aliud quàm promissionem. Nam apertissimum est, sacramẽtum altaris aliud esse quàm promissionem: quandoquidem sacramentum altaris nusquam est nisi sub panis & vini speciebus: quę si nusquam extarent, maneret nihilominus ipsa Christi promissio. Adde, quòd ante panis & vini consecrationem promissio firma stat. At ante consecrationem ipsam nemo tam impudens est vt dixerit missam esse. Non est ergo missa promissio sola. Ad hæc, Si post consecrationem, sacramentum corporis, vt in multis ecclesiis fit, in pyxide repositum seruetur, adhuc manet sacramentum altaris: manet & ipsa promissio: nemo tamen sic insanit, vt dicat missam durare quam-

*Missa non est promissio.*

diu sacramentum in pyxide sit repositum, aut quamdiu promissio Christi firma perseuerauerit. Quamobrem neque sacramentum altaris, neque sola promissio, missa dici poterit: sed nec proinde missa promissio est sacramento corporis & sanguinis Christi commendata. Manet enim promissio illa sacramento commendata, quamdiu sacramentum illud reseruatum fuerit. Nam vtrumque manet & sacramentum & promissio, nec tamen extare tam diu missam, quisquam, nisi insaniat, audebit asserere. Non est ergo missa promissio, quæ sacramento corporis & sanguinis Christi commendatur: neque proinde missa testamentum est eodem sacramento commendatum. Nam Luthero testamentum promissio quædam est: missa verò non est promissio. Nam si missa promissio fuerit, dicat velim constanter cuius rei promissio sit. Nam & in hoc se mirificè versipellem agit. Nonnunquam enim scribit missam esse promissionē mortis Christi, aliquando verò missam esse promissionem remissionis peccatorum. Illud verò firmare molitur ex eo quòd dixerit Christus, Hoc est corpus meū quod

*Missa non est testamē tum.*

pro vobis tradetur, & Hic est sanguis qui pro vobis effundetur. his (inquit) verbis Christus mortẽ suã testatur. Proinde quũ is qui testatur, promittat: promissionem mortis Christi, missam esse contendit. At istud stare non potest. Nã ipsa mors Christi præteriit. Christus (inquit Paulus) iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Promissio verò futuri est, & non eius quod præteriit. Quare missa, quæ iam fit, non est promissio mortis Christi.

*Roman. 6.*

Sed dicet Lutherus, in missa recenseri promissionem mortis Christi. Fateor: & ob id, missam quisquis dixerit esse repręsentationem mortis Christi per sacramentum corporis & sanguinis eius, meo iudicio rectè dixerit. Verùm ex hoc nõ sequitur missam esse promissionẽ mortis Christi. Aliquando verò scribit missam esse promissionem remissionis peccatorum, ob id, quòd dixerit Christus, Hic est sanguis qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Sed neque magis validum istud est. Nam si Christus (vti Lutherus ait) mortem suam testatus est, quũ dixerit, Hic est sanguis qui pro vobis effundetur: & ex hoc pendeat adiuncta pars

*Missa non est promissio remissionis peccatorum.*

ticula, In remissionem peccatorū: palam est ob effusionē sanguinis, & non ob eius potationem, promissam esse remissionem peccatorum. Non est igitur missa promissio remissionis peccatorum, quando non ob sumptionem corporis & sanguinis in missa, sed ob eius effusionē quæ iam olim in cruce facta fuit, remissio peccatorum promittebatur. Et hæc opinor sufficient ne missa nouum testamentum credatur.

## MISSAM RECTE SACRIficium & opus ab orthodoxis vocari.

QVando igitur abunde satis constitit missam haudquaquam testamentum esse, iam sexto loco disquiremus, num queat ipsa sacrificiū & opus dici. Nam istud & pertinacissimè quidem Lutherus negat, inuincibili (si quis homini credat) argumentatione ductus, nimirū hac. Probaui (inquit) ex verbis Christi missam esse testamentum & promissionem, ideo nō posse opus & sacrificium dici. I.

In hoc ariete Lutherus ita spem omnē *Luthe. non*

repoſuit, vt ipſum, robur ſuum principale, ſimul & argumentum capitale iactitare nõ vereatur. At quàm imbecillum ſit hoc argumentum capitale, quamque nutabundum fuerit hoc principale robur, nemo non perſpicit, opinor, qui ſuperiora nequaquam ſomniculoſe perlegerit. Nam ex illis apertiſsimum eſt, nondum ex verbis Chriſti conſtare, miſſam teſtamentum eſſe. Nuſquam enim Chriſtus miſſam teſtamentum vocat. Nec iſtud hactenus oſtendit Lutherus ex vllis verbis Chriſti, quæ id plane doceant. Falſum eſt ergo quòd probauerit ex verbis Chriſti miſſam eſſe teſtamentum & promiſsionem. Quamobrem quum nos hoc fundamentum radicitus euulſerimus, par eſt vt reliquam ſtructuram penitus corruiſſe neutiquã ambigamus, adeo vt iam nihil opus erit pluribus hoc negocium perſequi, quũ idipſum de quo Lutherus vnicè confidebat, ita ſuſtulerimus, vt cunctis (opinor) perſpicuum ſit, id iam nihil habere ſolidæ veritatis. Quocirca nihil deinceps à nobis iure quiſquam exigere poteſt, quum apertè ſatis euerſum ſit Lutheri fundamẽtum. Sed neque tenemur aduerſus hæreti-

cum argumentis ea statuere, quæ communis ecclesiæ consuetudo tot annorum centenarios approbauerit: quin hæretico potius incumbit, aut pro sua parte rationes vsqueadeo validas in medium adducere, quæ prorsus à nemine reuinci queant, aut vestigio dare manus orthodoxis. Nobis ergo plus quàm satis fuerit, si docuerimus ab initio nascentis ecclesiæ missam pro sacrificio fuisse receptam, atque ab antiquissimis illis patribus, nimirum sanctissimis & illuminatissimis viris, vti supremum ecclesiæ sacrificium vsurpatam. Quod (opinor) abunde præstabimus. Neque tamen istud solum faciemus, verumetiam idipsum ostendemus esse scripturis & rationibus maxime consentaneum. Certe si nihil aliud pro nostra parte staret, quàm longæua consuetudo, & ea quidem à primis ecclesiæ incunabulis, ipsa sufficeret, quum nõ sit verisimile, spiritum sanctum qui perpetuus ecclesiæ datus est instructor, tamdiu fuisse passum totam ipsam ecclesiam errare in re tam necessaria cum tanto suarum animarũ discrimine. Quantum autem vim habeat antiqua consuetudo, non solum ex his quæ aduersus articu-

*Ab ecclesia approbata non oportet rursum rationibus fulcire.*

*Argumentum à consuetudine.*

los Lutheri disseruimus, constare potest, verũetiam ex authore vetustissimo, nempe Tertulliano, qui libro de corona militis, multa collegit, quæ nulla scriptura, sed consuetudine suum robur obtinent. Quã itidem consuetudinem idem affirmat ex apostolica traditione manasse. Sed age nunc ostendamus, quòd ab antiquissimis ecclesiæ temporibus missa pro sacrificio sit habita.

II. Clemens ille, qui fuit & discipulus & successor Petri, in epistola ad cunctos orthodoxos ita scribit: In aliis locis sacrificare & missas celebrare non licet, nisi in his in quib⁹ episcopus proprius iusserit. Ecce & missæ & sacrificij mentionem facit Clemens. Et rursum in altera epistola ad Iacobum: Præcipimus (inquit) ne vnquam extero ecclesiæ siue laico de fragmentis oblationum domini ponantur ad mensam. Et item Clemens hoc sacramentum oblationem vocat.

Dionysius item Pauli discipulus cap. 3. ecclesiasticæ hierarchiæ sic ait: Oportet igitur nos, vt reor, nudata primi ac præcipui intelligentia signi, intra sacrosancta transire, diuinamque principalis huius signi

signi speciem intueri: ac pontificem augustius cernere à diuino altari vsque ad phani nouissima cum odoris suauitate pergentem, ac rursus ad altare ipsum consummandi sacrificij causa remeantem. Et huic, vt videre licet, missa sacrificium est.

Ignatius quoque, qui & contemporaneus apostolis fuerat, in epistola ad Smyrnæses dicit: Firma Eucharistia reputetur, quæ ab episcopo concessa fuerit. Vbi episcopus præsens fuerit, illic & plebs congregetur: sicuti & vbi Christus est, omnis cœlestis militia adest, tanquam principi militiæ virtutis domini. Et ipse est dispensator totius intelligibilis naturę. Propterea non licet sine episcopo neque offerre, neque sacrificium immolare, neq; missas celebrare. Et is missã intelligit sacrificiũ.

Hos subsecutus Origenes, vnus item ex priscis ecclesiæ patribus, in commentariis super Iob ita scribit: Hanc itaque pietatis ac religiositatis formam nobis omnibus demonstrans Iob, surgebat mane, & mundabat filios, offerens pro eis hostiã secundum numerum illorum. Primò mundabat, purificabat, sanctificabat, & ita demũ pro eis hostiã offerebat: vt cunctis in per-

petuum ostenderet quia mũdos & castos
* condecẽs. atque sanctos conderent* sacrificia, vt sanctè atque dignè immolata, sanctè atq; dignè à sanctis accipiantur. Sic nanque & a-
1. Cor. 11. postolus post hæc dicit: Probet seipsum homo, hoc est, mundet semetipsum, & ita de sanctissimis domini sacrificiis fruatur. Hæc Origenes, qui & sacramenta corporis & sanguinis domini sacrificia vocat.

Subscribit Chrysostomus homilia. 17. ad Hebræos ita dicens. Quid ergo nos? Nónne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna est hæc hostia, nõ multę. Quomodo vna est, & nõ multę? Et quia semel oblata est illa, oblata est in sancta sanctorũ: hoc autẽ sacrificiũ exemplar est illius. idipsum semper offerimus. Nec nũc quidẽ alium agnũ, crastina aliũ, sed semper idipsum. Proinde vnũ est hoc sacrificium: alioquin hac ratione, quoniã in multis locis offertur, multi Christi sũt? Nequaquam, sed vnus vbiq; est Christus, & hic plenus existẽs, & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbique offertur, vnum corpus est, & nõ multa corpora: ita etiam & vnum sacrificium. Põtifex autem

noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit. ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem quidem fit eius quod factū est. Hoc enim facite (inquit) in meam cō- *Lucæ.22.* memorationem. Nō aliud sacrificiū, sicut pōtifex: sed idipsum semper facimus, magis autem recordationem sacrificij operamur. Hæc Chrysostomus.

Astipulatur his Damascenus de orthodoxa fide lib. 4. sic dicens: Hæc est pura scilicet hostia & incruenta, quam ab ortu vsque ad occasum ipsi offerri per prophetam dominus loquitur: corpus videlicet & sanguis Christi in stabilimētum animæ nostræ & corporis. Hæc Damascenus.

Sed & sexta synodus, quæ magnæ fuit III. authoritatis, testatur Basilium adiecisse quædam ob missæ celebrationē. Hactenus de Græcis.

Ex Latinis verō Tertullian⁹, qui & erat vicinus apostolorum temporibus: Is in eo libro quem de cultu fœminarum edidit, mentionem huius sacrificij facit, obiiciēs ipsis fœminis nullā esse foras progrediendi causam, quæ non sit grauis & tetrica.

*Latini doctores asserūt missam esse sacrificium.*

*Fœminæ quando foras prodire possint.*

Et tres eiusmodi memorat, vtpote aut quũ quispiã è fratribus mala valetudine laborat, aut quũ dei verbum populo prædicetur, aut quum sacrificium deo sit in tẽplis offerendum. Ecce hic sacrificij meminit Tertullianus quod in templis offerebatur, cuiusmodi nullum apud Christianos est præter missæ sacrificium.

Post hunc imitator eius Cyprianus, in epistola quadam ad Cæcilium ita scribit: Qua in parte inuenimus calicem mixtum fuisse, quẽ dominus obtulit, & vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit: vnde appareret sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici: nec sacrificiũ dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrũ responderit passioni. Ecce palam vocat sacrificium. Accedit his Hieronymus in epistola ad Hedibiam. Dominus (inquit) Iesus ipse conuiua & conuiuium: ipse comedens & qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare nõ possumus, & quotidie in sacrificiis eius de genimine vitis vere rubẽtia musta calcamus! Et hic planè Hieronymus per sacrificia missam intelligit. Ambrosius item in lib. de sacramentis. 4. ca. 6.

recẽset verba ex canone, quibus plane testatur apud veteres missam pro sacrificio habitã. Sacerdos (inquit) dicit: Ergo memores glorioſiſsimæ eius paſsionis, & ab inferis reſurrectionis, & in cœlũ aſcenſionis, offerimus tibi hãc immaculatã hoſtiã: rationabilem hoſtiã: incruentã hoſtiã: hũc panẽ ſanctum, & calicem vitæ æternæ: & petimus & precamur, vt hãc oblationem ſuſcipias in ſublimi altari tuo per manus angelorũ tuorum, ſicut ſuſcipere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel: & ſacrificiũ patriarchę noſtri Abrahę: & quod tibi obtulit ſummꝰ ſacerdos Melchiſedech. Hactenus ex canone recenſuit Ambroſius.

Demum Auguſt. 17. lib. de ciuitate dei cap. 20. ſic inquit: Participem autem fieri menſę illius, ipſum eſt incipere habere vitam. Nã & in alio libro, qui vocatur Eccleſiaſtes, vbi ait: Non eſt bonum homini, niſi quod mãducabit & bibet: quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationẽ menſæ huius pertinet: quã ſacerdos ipſe mediator teſtaméti noui exhibet ſecundũ ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo? Id enim ſacrificium ſucceſsit omnibus illis ſacrificiis ve-

teris testamenti, quæ immolabãtur in vmbra futuri. Hæc Augustinus.

*Vnanimi priscorum sententiæ stãdum est.*

Vides igitur amice lector, tam ex Græcis, quàm ex Latinis authoribus vetustiores huic sentẽtiæ suos addidisse calculos. Et quid est quod his Lutherº queat obiicere quo fidẽ eis abroget? Nihil penitus. Neq; enim in eis vlla fuit aut ambitionis, aut auaritiæ, aut malignitatis vel minima suspicio. Omnino nihil est quod quisquã possit in istis criminari. Omnes enim eruditione iuxtà atq; vitę sanctimonia cõspicui sunt: sed & vnanimi cõsensu rem omnes enunciãt. At quis hunc cõsensum eorum peccatoribus inspirauit alius, q̃ vnitatis & cõcordiæ spiritus? Cur ergo tot patribus tam priscis, tam sanctis, tã eruditis, tantaq; concordia rẽ hanc asseuerantibus, nõ erit maior fides adhibenda, q̃ vni Luthero, vt nihil dicã aliud, q̃ heri nato, qui tam arrogãter ab illis dissidet, nulla solida ratione, nullaq; scriptura, nisi perperã intellecta ductus, sed suo sensui suoq; spiritui prorsus innixus? Eiusmodi sanè prophetis Ezechiel seuerè cõminat, inquiẽs: Vę prophetis qui sequuntur spiritũ suũ. Si Lutherus non suũ sequitur spiritũ, nemo

*Lut. instinctu satanæ nititur suo sensui.*

*Ezech. 13.*

vnquam secutus est, quũ neminẽ patrum quantũuis doctissimũ, quantũuis probatissimum pro suo sensu nõ contẽnat, imò simul reiicit & aspernatur cunctos. Et quid illũ adhãc amentiã perduxit, nisi pessimus ille dissensionis & discordię spiritus? Nã vt sanctissimos illos patres diuinꝰ ipse spiritꝰ concordes afflauit, ita non est dubiũ quin spiritu diabolico (qui semper dissensionis author est) Lutherus ad hanc agendã in ecclesia tragœdiam sit afflatus.

IIII. Quod si forte cuipiã ista quæ produximus, parũ sufficiant, sed desyderet adhuc ex ipsis apostolis testimonia quædã, is profecto nõ satis æquus videri possit, quũ iniuria temporum deperiisse credibile sit, si quid hac de re scripsissent apostoli. Tamẽ ex eorũ actis, quæ per maiorũ nostrorum diligentiã hactenus reseruata sunt, abũdẽ liquet quod quærimus. Nam in actis Andreę sic is traditur ad Egeam respondisse: Omnipotenti deo, qui vnus & verus est, ego omni die sacrifico, nõ thuris fumum, nec taurorũ mugientiũ carnes, nec hircorum sanguinẽ, sed immaculatũ agnũ quotidie in altari crucis sacrifico: cuius carnes posteaquã omnis populus credentiũ man

ducauerit, & eius sanguinẽ biberit, agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus. In Matthæi quoq; vita sic habetur: Quumq; celebrata ab apostolo missa, vnusquisque ad propria remeasset, apostolus iuxta altare remansit. Affirmat & sexta synodus, Iacobũ domini fratrẽ modũ quendam celebrãdæ missæ tradidisse. Sed & opinio constans est, Petrum Antiochię primam celebrasse missam.

*Modũ celebrandi tradidit Iacobus.*

V.

*Missa asseritur esse sacrificium ex actis põtificum.*

Cæterum quicquid de iis fuerit, in pontificũ item actis res hæc satis est dilucida. Nã in decretis Anacleti qui Clemẽti proxime successit, 2. ca. sic habet: Episcop⁹ autẽ deo sacrificãs, testes secũ habeat, & plures q̃ alius sacerdos. Sicut enim maioris honoris gradu fruit: sic maioris testimonij incrementatione indiget. In solennioribus quippe diebus, aut septem, aut quinq;, aut tres diaconos qui eius oculi dicuntur, & subdiaconos, atq; reliquos ministros secũ habeat, qui sacris induti vestimẽtis à frõte & à tergo, & presbyteri è regione dextra læuaq;, contritoq; corde, & humiliato spiritu, ac prono stent vultu custodientes eũ à maleuolis hoĩbus, & cõsensum eius præbeãt sacrificio. Peracta autẽ cõsecratione,

omnes communicẽt, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet ecclesia. Ecce hic affirmat episcopũ deo sacrificare: & missam appellat sacrificium.

Et Alexãder quoq; qui Anacleto proximè successit vno duntaxat intermisso, sic scribit in decreto suo: Ipsa veritas nos instruit calicẽ aut panẽ in sacramento offerre, quãdo ait: Accepit Iesus panẽ, & benedixit, deditq; discipulis suis, dicẽs: Accipite & mãducate. hoc est enim corpus meũ, quod pro vobis tradet. Similiter postquã cœnauit, accepit calicem, dedit discipulis suis, dicẽs: Accipite & bibite ex eo omnes, quia hic est calix sanguinis mei, qui ꝓ vobis fundetur in remissionẽ peccatorũ. Crimina atq; peccata oblatis his domino sacrificiis delentur. Iccirco & passio eius in his cõmemorãda est, qua redẽpti sumus: & sæpius recitãda, atq; domino offerẽda. Talibus hostiis delectabitur & placabitur dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in sacrificiis maius esse potest, q̃ corpus & sanguis Christi. Nec vlla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit: quæ pura cõscientia est domino offeren-

*Matth. 26.*
*Marc. 14.*
*Lucæ. 22.*

da,& pura mente sumenda. Hactenus Alexander primus.

VI. *Concilia generalia asserunt missam esse sacrificium.*

Complures item alios ex pontificibus memorare liceret, qui in decretis suis missam vocant sacrificium: sed hos duntaxat hic duximus inferendos, quòd ex primis erant,& ipsis apostolorum temporibus vicini. Subscribunt etiam huic veritati concilia plurima: sed vnum huc adduxisse satis fuerit, Nicænum videlicet, in quo fuerunt episcopi decem & octo supra trecentos. Verba concilij sic habẽt: Peruenit ad sanctum magnumque concilium, quòd in quibusdam locis & ciuitatibus Presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant: quod nec regula nec consuetudo tradidit, vt ab iis qui potestatem nõ habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant. Ecce cõcilium, quod & apud omnes orthodoxos maximę semper authoritatis fuit, affirmat sacerdotes iure sacram Eucharistiam offerre, quam potestatem diaconis apertè negat. Et vbi quæso talem oblationẽ faciunt sacerdotes alibi quàm in missa? Quẽ ergo tot episcoporum subscriptiones, vel si nihil aliud esset, ad huius rei fidẽ non adigerẽt? Missam

*Nicænum concilium.*

igitur ab exordio nascentis ecclesiæ fuisse pro sacrificio semper vsurpatã, oĩbus omnium patrũ suffragiis apertissimè constat.

Iam & scripturis consentaneum esse VII.
monstremus, quòd missa dicatur opus & sacrificium. Et quanquam scripturæ perparum hac de re loquantur, in his tamen paucis nonnihil lucet, quod ad hanc rem aperiendam abundè sufficiat.

Negat Lutherus ideo missam opus & sacrificium dici, quòd promissio quædam sit adiecta signo in pane & vino: quorum vtrumque nobis datur, nempe tam verbũ promissionis, quàm signum in pane & vino. Quamobrem & vsus vtriusque (vt ipse videri vult) nequit in offerẽdo aut operando, sed solũ in recipiendo & patiendo cõsistere. Atqui nos ex ipsis scripturis hæc apertissimè falsa esse, paucis docebimus.

Principiò dilucidum est ex ipsius Pau- 1. Cor. 11.
li verbis, nõ solum dari nobis missam, vti Lutherus astruere conatur, verumetiam aliud quiddam nostro ofício fieri, quum dicat: Quotienscunque manducaueritis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec veniat. Ecce dicit, annunciabitis mortem domini,

donec veniat. Nec istud Paulus de priuata sumptione voluit intelligi, sed de ea quæ fit in publico cõuẽtu. præmisit enim: Quum conuenitis in eundem locum. In conuentu igitur publico vbi sacrosancta ista mysteria tractantur, ac panis & vinum in corpus & sanguinem Christi consecrantur, iam repręsentatur & annunciatur dominica mors, & eius in cruce sacrificium. Quare nõ solum donari nobis hoc sacramentum, verumetiam eodem sacramento Christi mortem & sacrificium (quod idẽ in cruce pendens obtulit deo patri) per nos repręsentari manifestum est. Quid enim est aliud, annunciare mortem domini, quàm sacrificium illud crucis repręsentare? de quo Paulus alibi loquitur dicens: Tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam deo in odorem bonæ fragrantiæ. Quam quidem oblationem & victimam ipse procul dubio voluit per hoc sacramẽtũ à nobis repręsentari, vt quẽadmodum ille seipsum in cruce pro nobis immolauit patri, ita nos pariter corpus eius & sanguinem in hoc sacramento iugiter immolemus. Non igitur vsus sacramenti solum in recipiendo & patiendo

*Mors Christi repręsentatur in sacramento altaris.*

*Ephe. 5.*

*Vsus sacramenti con-*

do consistit, sed etiam in annunciando & repræsentando Christi mortem, & crucis sacrificium. Adde, quòd si missa non sit aliud quàm promissio, neq; præterea quicquam operis complectatur, frustra Paulus ingeminasset hoc, facite. semel enim post panis consecrationem ex ore Christi subiecit, Hoc facite in mei memoriã. Et iterum consecrato calice subdit, Hoc facite quotiescunque biberitis, in mei memoriã. Sed neque Lucas hoc ipsum tacuit pane consecrato. Mox enim adiecit, Hoc facite in mei memoriam. Quid toties inculcant hoc verbum, facite, non aliter quàm ab ipso Christo pronunciatum, si missa tantùm sit promissio, neque secum operis quicquam inuoluat? An vllum quæso verbum operationẽ & opus magis exprimat, quàm hęc vox facite? Nullum profecto. Quando igitur missa nõ fit, nisi quod Christus mãdauerit faciendum, idipsum sacerdos opere compleuerit, omnino dilucidum est, nõ posse nisi ab impudentissimo negari, opus aliquod nostrum ad missæ substãtiam exigi. Certissimũ enim est, si nemo post Christum hactenus consecrasset, neque id fecisset quod Christus fecit post cœnam,

*sistit in annunciatione & repræsentatione mortis Christi. I. Cor. 11.*

*Luce. 22.*

certissimum (inquam) est, nunquam ab eo tempore missam fuisse. Quare quum aperte constet ad missæ cõsistentiam opus nostrum exigi, palã est missam non esse promissionem solam. Liquet igitur ex Pauli Christique verbis, missam citra nostrum opus haudquaquã fieri. Liquet & missam non esse promissionem solam, quum promissio rata maneat absque nostro opere, missa verò sine opere nostro nõ habeatur.

VIII. 1. Cor. 5. Ad hæc, Paulus quum dicat, Pascha nostrum immolatus est Christus: an non plane discriminat pascha nouum à veteri, & nostrum, hoc est Christianorũ, à Iudaico secernit? Plane profecto docet Iudæorum pascha sic ad Christianorum pascha se habere, quemadmodum figura se habet ad veritatem, & ad corpus vmbra. Quamobrem vt illorum pascha legalis agni sacrificium fuit, ita nostrum, hoc est Christianorum pascha, veri agni sacrificium est. Et quãquam is verus agnus in cruce pro nobis fuerat immolatus, non in cruce tamen edebatur, sed in altari duntaxat. Et agnus item ipse verus, nempe Christus Iesus, qui in cruce passus fuit, in altari quoque fit nostrum pascha. Neque duo tamen pa-

*Vnum pa-*

schata sunt, aut duo sacrificia, sed vnum pascha, vnumque sacrificium: quando quidem alterum alterius est repræsentatiuũ. Nam in vtroque verus & idem agnus est Christus Iesus, qui vt olim in cruce per mortem fuerat immolatus, ita nunc & immolat quotidie, nimirũ vt apud nos mortis Christi memoria quotidie renouetur.

*sibi est qđ tunc Christus obtulit, & modo sacerdos.*

Sed & quum de mensa domini, & de mensa dæmoniorum loquatur Paulus, tandem rem satis euidenter insinuat. Sic enim scribit: Videte Israëlem secundum carnem. Nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico quòd idolis immolatum sit aliquid? aut quòd idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gẽtes, dæmoniis immolant, & non deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mẽsæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Est ergo ratiocinatio Pauli hæc: Sicut qui victimas iuxta legẽ veterẽ immolatas edebant, participes effecti sunt altaris, & cõsortiũ quoddã inibãt cũ eo cui sacrificabãtur ipsę victimę, ita fit & passim vbi tales victimę cuiuis offerũtur, siue deo

*1. Cor. 10.*

seu dæmonibus. Nam vt in mensa dæmoniorum dæmonibus oblationes fiunt, & quisquis ex eis ederit, consortium habet cum dæmonibus: ita & in mensa domini quod immolatur, immolatur domino: & qui talibus oblatis vescitur, communionem init cum domino. Quamobrem omnino cauete ne gustetis quicquã ex his quæ dæmonibus immolantur. Nolim enim vos consortes esse dæmoniorum: cuiusmodi certe si fueritis, communione domini carebitis, quum non potestis vnà participes esse & mensæ domini, & mensæ quoque dæmoniorum. An non Paulus hic plane docet, quòd quemadmodum in mẽsa dæmoniorum qui participes fiunt eorũ quæ illic dæmonibus offeruntur, consortium cum ipsis ineunt dæmoniis: ita & qui in mensa dei communicant oblatis istic victimis, consociationem quandam ineunt cum deo? Quòd si quis neget hunc esse sensum argumentationis Paulinæ, is plane non aduertit quid hac argumentatione Paulus efficere conatur. Molitur enim his verbis Paulus, q̃ omnes qui in mensa domini sumimus Eucharistiam, eius corpori pariter ac sanguini communicamus.

Nam

Nam proximè superius admonuerat Corinthios, quatenus fugerent ab idolorum cultura: & mox rationem subdit: Quoniã Christo communicamus per victimã carnis & sanguinis sui, quibus in eius mensa vescimur. Et istud qua ratione probat? Quoniam (inquit) vt carnales Iudæos victima quam offerebant, ipsos effecit participes altaris, ita & victima quæ vel in mensa domini, vel dæmoniorum offertur, aut illius aut istorum constituit participem. Dilucidum igitur est ex Paulo, corpus & sanguinem domini victimam esse & sacrificium oblatum in mensa domini.

His accedit, quòd in scripturis plerun- IX.
que de sacerdotio nouo secundum ordinem Melchisedech mentio facta sit, & ✠
Christus secundum ordinem illum sacerdos fuerit, sæpius asseritur. Quod si verũ sit, oportuit aliquando Christum in pane & vino sacrificasse, quẽadmodũ & Melchisedech in eis sacrificasse traditur. At nusquã id fecisse legitur præterquã in cœna quãdo sub specie panis & vini sacramenta sui corporis & sanguinis instituit. Quãobrem & in cœna verè sacrificauit, verúmque patri suo sacrificium obtulit. Et quo-

niam apostolis, vt idipsum postea iugiter facerent, mandauit, eosdem etiam voluit ad eum ritum sacrificare. Nec ab illis dũtaxat, sed ab eorum item successoribus, q̃diu foret ecclesia duratura, sacrificiũ istud similiter offerri voluisse credendum est: quum iam huiusmodi sacrificio nõ minus egeat ecclesia, quàm apostolorum temporibus indigebat. Quamobrem & hodie quoq; sacrificiũ istud extare dilucidũ est.

*Hebr. 7.* Super hæc, quum Paulus ad Hebræos testetur vetus illud sacerdotium quod secundum ordinem Aaron fuerat, iam prorsus antiquatum esse, oportet apostolorum successores, qui iã nouæ legis sacerdotes sunt, sacrificium aliquod habere quod respondeat ordini Melchisedech: quẽ ordinem & deus pater æternũ fore iureiurãdo confirmauit. At nihil eiusmodi palã est in ecclesia reperiri, præter hoc augustũ & in primis adorandum corporis & sanguinis Christi sacrificium, quod in omnibus ecclesiis omnipotenti deo per sacerdotum manus iugiter offertur. Id enim apertissime nõ solũ illã oblationẽ, quam solitus est offerre Melchisedech, verum etiam ipsum sacrificiũ summè colẽdissimũ, quod in ara

crucis Christus pro nostris peccatis obtulit, repræsentat. Quamobrem & manifestè scripturis consentaneum est, quòd missa dicatur & opus & sacrificium.

*In omni lege fuit sacrificium.*

Præterea, nulla vnquã lex absq; sacerdotibus, neq; sacerdotes vnquã absq; sacrificio fuisse leguntur. Nam & in veteri lege, quæ nostræ legis (quã nouã dicimus) vmbra fuit, erant sacerdotes & sacrificia, quibus & in hac noua lege similia quædã oportet respõdeãt. Nam iussus est Moses omnia facere secundũ exemplar quod in monte sibi monstratũ fuit. Et quanquam Christus summus noster põtifex templũ non manufactum, nec sine sanguine semel sit ingressus, nos tamen qui sacerdotes inferiores sumus, ociosos esse nõ decet, sed in altaribus istis quæ in atrio sunt, hostiã oportet aliquã immolemus, quę pro peccatis & nostris & alienis satisficiat. Quũ igit nulla talis assignari possit p̃ter hostiã & sacrificiũ corporis Christi, planè colligitur missã vel ob id maximè sacrificiũ dici oportere. Nã p̃ter missã nihil habem', quod iuxta Lutheri rationẽ à nobis queat offerri. Quicquid enim nostrũ est, sordet, & indignũ est qd̃ offerat. Quicquid verò

*Exod. 25.*

*Hebr. 9.*

dei fuerit, id à nobis accipitur, & nobis ab ipso datur, vsusque eius (si Luthero credimus) in recipiendo & patiendo consistit, non in offerendo & operando. Quamobrem quum omnia vel nostra sint vel dei, nihil omnino relinquitur nobis quod offeramus deo. Neq; enim dei dona (vt Luthero visum est) possumus offerre: sed nec opus aliquod nostrũ est, quod offeramus, quum quicquid eiusmodi fuerit, immundum & sordidatum sit, authore Luthero. Denique nosipsos si moliamur offerre, quum carere nequeamus peccati fomite (quem & Lutherus verè peccatũ esse contendit) sacrificium nostrũ non potest non impurum esse. At sacrificium quo placatur deus, oportet omni macula carere. Quare quum tale nihil apud nos haberi potest præter ipsum in primis venerandum missæ sacrificium, supereſt vt hoc ipsum apud Christianos sacrificij loco potissimum habeatur.

*Corollariũ.* Quo fit vt quisquis hoc sacrificium ab ecclesia tollere moliatur, nihilo minorem ei iacturam intentet, quàm si mundo solẽ eripere studuerit. At quispiã dicet: Luthero nihil est discriminis inter plebem & sa-

cerdotes. Fateor, Lutherus ita dicit: at scripturæ discriminant inter vtrosque. Quid enim aliud Paulus cap. 3. 1. ad Corin. agit, quũ dicit, Dei cooperatores sumus, dei agricultura estis, dei ædificatio estis? Sacerdotes, dei cooperatores vocat, plebẽ verò cẽset agricolationẽ, ædificationemq; dei. Num in his nihil esse discriminis quisquã audebit asserere? Plebs ad modũ agri sacramentis vitalibus excolitur, neq; minus eadẽ salutaribus documẽtis ædificatur. In quo opere tametsi Paulus deo primas partes tribuat, se tamẽ & cæteros commystas suos, nimirũ sacerdotes, deo facit cooperarios. Quamobrẽ & quũ sub Christo põtifice summo plures cõperiantur esse minores sacerdotes, quemadmodũ in veteri lege sub maximo põtifice minores erant haud pauci qui plebis curã agebãt: cõsentaneũ est vt & illis pariter deputatum sit quoddam sacrificij genus, quo pro peccatis tam suis q̃ alienis deo satisfieri queat.

*Tacitæ obiectionis dẽ lutio.*

*Sacerdotes à plebe distant.*

X.

*Passionis Christi per sacramenta efficimur participes.*

Nam etsi redemptio illa in cruce semel facta sempiternum habeat vigorem, non tamen singulo cuiq; peccatori virtus eius accõmodatur, nisi per media quædã. quod nec Lutherꝰ ipse negabit. Nã etsi Christus

pro peccatis omniũ abolendis mortu' sit, nemo tamen huius abolitionis particeps euadit, nisi qui crediderit, & sacris ecclesię mysteriis submiserit sese. Hoc est ergo participem fieri redemptionis illius semper stantis, credere videlicet, & sacramentis ecclesiæ quemlibet rite initiari. Huius autẽ initiationis ministros quosdã oportuit designari, quos & sacerdotes vocamus, quorũ est & hoc altaris offerre sacrificiũ: quod quoties faciunt, etiã crucis ipsius & mortis referunt sacrificium.

*Participẽ redemptionis fieri quid sit.*

His accedit, quòd quum sacrificare nihil aliud sit, quàm sacra facere: vbi sacra fiũt, illic sacrificatio sit oportet: atque per locũ a cõiugatis cõsequitur & illic agi sacrificiũ. At palã est ex scripturis, mandasse Christũ, vt hæc eadẽ quę ipse pridẽ in cœna fecerat, ipsi faceremus. Quæ certè quũ non sint prophana, sed sacra, & nos eius iussu sacra facimus. Quamobrẽ & monitore Christo, quoties panẽ & vinũ consecramus, toties & sacra facimus, ac sacrificamus, omninoq; sacrificiũ agimus. Et quis hominũ est, qui quũ de sacerdote quopiã audierit eũ feciſſe sacra, nõ protinus eundem intelligit missæ sacrificiũ obtuliſſe?

*Sacrificare quid sit.*

Manifestum igitur est, id tam rationibus quàm scripturis cõsentaneum esse, quòd missa dicatur opus & sacrificium.

XI.

Sed vt dicere cœperam⁹, Luther⁹ missã ideo testamẽtũ & promissionẽ esse cõtendit, quatenus inde facili⁹ colligere queat, nec op⁹ eã esse, nec sacrificiũ. Quòd si Lutherus iã primũ hoc missæ vocabulũ reperisset, liceret pro suo arbitrio vocẽ eã interpretari: neq; valde reluctarer, si quid ipso vocabulo vellet intelligi, nobis apertè definiret. At quũ non heri & nudiustertius (vt aiunt) sed ab ipsius ecclesiæ ptimis vnguiculis hoc vocabulũ vsurpatũ sit, omnino temerariũ & ĩpudẽs fuerit, aliã ei definitionẽ adhibere, q̃ quæ mẽti & sensui illorũ qui primùm eã vocẽ instituerũt, conquadret. Quãdo igitur priores patres omnes quotquot de missa locuti sint, ipsum missæ vocabulũ pro opere & sacrificio cõcorditer vsurparũt, improbissimum fuerit, illi definitionem vllam accommodare, quæ a patrum dissentiat institutis.

*Missæ vocabulũ omnes antiquè pro sacrificio vsurpant.*

Ex ipsis verò patrum traditionibus apertissimum est, missam non rẽ vnam simplicem esse, sed multas in se complecti. Complectitur enim missa, multa verba sa-

*Missa rẽ cõplectitur multas.*

cra, tam ea quæ Christus post cœnã protulit, quàm cætera quæ per apostolos & viros apostolicos ad eius sacrificij decorem adiecta sunt. Complectitur & verborum ipsorum ratiocinationem, sine qua nihil omnino fit. Per hanc enim de pane fit corp⁹ Christi, si mul & de vino sanguis. Quamobrem & hæc recitatio non aliter ad missę substantiam exigitur, quàm quod maximè. Hæc etiam prolatio si per idoneum ministrum super panevinoque fiat, iam corporis & sanguinis cõsecratio est. Quamobrem & panis ac vini præsentia ad hoc vt missa peragatur, necessaria est. Complectitur insuper & repręsentationem mortis Christi, atq; ita per missæ sacrificium annunciatur aliud, nimirum illud quod in cruce Christus pro nobis olim obtulit. Complectitur item preces & commendationes tam viuorũ quàm mortuorum, quemadmodum in vetustissimis patrum traditionibus apertissimũ est cernere. Complectitur demum & mutuam incorporationem tam Christi nobis, quàm nostri Christo, quę non tam efficaciter sola fide fit, quàm per hanc realem corporis & sanguinis Christi sumptionẽ.

Hæc inquam omnia missa complectitur, vt nequeat vna simplex res dici, sed multiplex.

XII. *Missæ definitio.*

Meritò igitur sic describi missa poterit. Missa est cęremonia seu functio sacerdotis, dum in altari conficitur eucharistia, simul & Christi crucifixi sacrificium annunciatur. Sicut enim paschalis agni cæremonia seu religio (quæ sane res non paucas exigebat) phase vocabatur, id est trãsitus: sic & eucharistiæ conficiendæ cæremonia missa dicta est. Porro quantum ad etymologiam spectat, parum refert vnde deductam hanc missę vocem putes, an ab emittendo, an à demittendo, aut à promittendo, aut demum (vt nonnullis placet) a transmittendo, de qua re postea nonnihil dicemus. Interim istud ad rem pertinet annotare, quòd sicut phase, quãquam omnes autores transitum interpretentur, alij tamen aliam huius transitus considerationem faciunt: (nã quidam ideo transitum dici volunt, quòd tunc populus ex Aegypto versus terram sibi promissam transierit: alijs verò placet vt dicatur transitus, quòd tum transierit angelus per domos Aegyptiorum, eisdem percussis)

*Missa vnde deriuatur.*

*Phase trãsitus.*

sic & missæ vocabulum originem variam habere potest. Sed quorsum ista? Nimirū vt intelligamus argutiam Lutheri qua missam colligit nō esse sacrificiū, esse merum sophisma. Sic enim argutatur: Missa promissio est, sacrificiū autē res est: nō est ergo missa sacrificiū. At sic de phase quiuis pariter argutari poterit: Phase transitus est & motus quidā, nō autē res: at agni sacrificium res est: non est ergo phase sacrificium. At qui tali sophismate vteretur, nonne protinus exibilaretur & explodereretur ab omnibus, quum in scripturis tam aperte neque semel phase vocetur sacrificium?

1. Cor. 5. Paulus vtiq; dicit: Pascha nostrū immolatus est Christus. Et quādo precor sacrificium istud edimus potius, quàm vbi sumimus eucharistiam? Quamobrem & eucharistiæ cōsecratio, verè sacrificium est, quum illud olim in cruce factum sacrificium, eucharistia palam referat. Merum itaque sophisma est: Phase transitus est & motus: sacrificium res est: non est ergo phase sacrificium. Et eiusmodi profecto Lutherus se nunc sophistā præstat, quum sic argutetur, quemadmodū infra non se-

nel facit: Missa promissio est, sacrificium nutẽ res est, nõ est ergo missa sacrificium: sicut neque promissio quæ in verbis consistit, res esse potest. At istud sophisma nemo diluet apertius, quàm si nouam istam cæremoniam cum illa veteri conferat, & vocabulum huius cum illius componat vocabulo. Nam & ad cæremoniã illã veterem exigebãtur multa, nõ solùm agnus qui debebat immolari, verumetiã panes azymi, pariter & agrestes lactucę, q̃ post quàm agnus assus esset, vnà cum agni carnibus ederẽtur: postes item & superliminaria domorum, agni sanguine necessum erat obliniri. Multa quinetiam vetabãtur, ne videlicet aut crudũ, aut aqua coctum ederent, néve caput aut pedes amputarẽt à corpore. Nõnihil verò promittebatur, nimirum quòd à plagis quibus affligerentur Aegyptij, tuti forent ipsius agni comestores. Quis non perspicit hanc veterem cæremoniam, nouæ nostræ cæremoniæ qua verum agnum immolamus, ferme per singula respondere, non aliter quàm vmbram aliquã suæ rei, figuráque clarissimę veritati? Propter quod & *Exodi. 12.*

*Matth.26. Marci.14. Lucæ. 22.* Christus postquam in cœna veterem illam agni typici complesset: nouam aliam protinus instituit cæremoniam, qua seipsum verum & immaculatum agnum obtulit. Obtulit inquam gratiis actis patri: simul & oblatum vnà cum discipulis suis comedit: iussitque quatenus hanc cæremoniã exercerent in memoriam suæ mortis, qua sanguis suus in remissionem peccatorum effunderetur.

XIII. Eat iam Lutherus, & obganniat Missam esse promissionem, nec ob id sacrificiũ esse posse. Nihilo certè magis ipsum audiemꝰ, quàm si de veteri cęremonia sic argutaretur: Phase transitus est, & ob id non potest esse sacrificium. Sicut enim phase vocabulum à trãsitu fuerat impositum illi veteri, sic & nunc huic nouæ cæremoniæ, Missæ vocabulum inditum est à missione. Fuerunt vtique qui missam ab emissione vocatam existimarunt, quòd tum emitterentur catechumeni, quum sacerdos esset sacrorum mysteriorum confectionẽ aggressurus. At aliis placet à demissione sic dictam, nimirum ob id quòd à patre tũ ad nos hostia ipsa viua demittatur è cœlis. Aliis visa fuit à transmissio-

*Missæ vocabulũ vnde dictum.*

ne vocari, quòd per sacerdotem, qui mediatoris vice fungatur inter deum & homines, preces & vota simul & oblationes deo transmittantur. Nonnulli verò censent à remissione missam appellari, quòd ea finita populus ad sua remittatur.

Et quanquam in Etymologia vocis ita varient, nemo tamen repertus est qui negaret missam sacrificium esse, quoad iam tandem exortus sit Lutherus, qui ceu novitatis author, ne videatur quenquã priorum imitari, Missam promissionem facit, quòd in ea promittatur remissio peccatorum. Neque nos negamus promissionem remissionis peccatorum in missa recensitam esse, & per missam item præstari, quatenus missa crucis annunciat sacrificium, in qua sanguis effundebatur in remissionem peccatorum. Et quid prohibet missam ita nomenclaturam suam à promissione remissionis peccatorum accepisse? Neque enim istud impedit quo minus ipsa missa dicatur sacrificium. Vtcunque fuerit, istud haud dubiè compertissimum est, missam concorditer à patribus creditam & habitam fuisse pro summo sacrificio: sed hos Lutherus arrogantissimè

*Regis verba.* contemnit. In quare profectò Rex hominẽ scite simul & acute salsissima perpunxit acrimonia. Vnus (inquit) Lutherus perspicuè videt missam non esse sacrificium, nec oblationem. Mirum est, ex tot sanctis patribus, ex tot oculis, quot in ecclesia tam multis seculis idem legerunt euangelium, nullum fuisse vnquam tam perspicacem, vt rem tam apertam deprehenderet, imò omnes etiamnum tam cœcos esse, vt nec adhuc quidem queant id, quod cernere se Lutherus iactat, quamquam ipso monstrãte, perspicere. An non Lutherus hallucinatur potius, & aliquid se videre putat, quod non videt, & digito conatur ostẽdere, quod nusquã est? Hactenus ipse Rex, non minus verè quàm eleganter, quibus verbis apertissimè docet, non esse Luthero contra tot sanctissimos pariter & eruditissimos patres fidendum in hac hæresi, qua cẽset missam non esse sacrificium, nisi dogma suum scripturis vsque adeo manifestis comprobauerit, vt nemo vel pertinacissimus queat contradicere.

*Rossensis.*

*Epilogus.* Vides itaque lector, quanto consensu traditum sit à patribus, missam & opus &

sacrificium esse. Ab illis (inquam) patribus, qui tam eruditione quàm vitæ sanctimonia, ceu totidem astra, fulserunt in ecclesia dei. Sed & vsu tot seculorum, ab ipsis videlicet Ecclesiæ crepundiis comprobatum, neque id solum, verum etiam scripturis & rationibus omnino consentaneum. Lutherum verò contra nihil attulisse pro sua hæresi fulciēda prętер meras nugas, & inania commenta. Contorsit enim scripturam illam cœnæ dominicæ tam violenter in partem suam, vt nemo non intelligat iniuriam Christi verbis illatam, atque id temerrimè.

Cæterum quia disputatio nostra de vocabulo missæ iam agitur, non abs re fuerit huc citare quid amicus noster Ioannes Capnion vir in omni literatura celebratissimus, hac de re scripserit. Sic enim in rudimentis quæ pro linguæ sanctæ notitia digessit, sub dictione מָס tradidit. מָס (inquit) munus personale, collecta, tributum, &c. Et paucis interpositis ita subdit: Inde venit per additionem ה literæ in fine מַסָּה, id est oblatio quæ fit superiori domino propter debitum munus personale. Deut. 16. Oblationem sponta- Capnion.

neam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem dei tui. Quod nomen nos Christiani sacrificio nostro impositum retinuimus vsque ad hoc tempus, vt à nobis appelletur missa, quod à Grecis λειτουργία. Nota igitur quòd missa neque græcum neque latinum est, sed hebraicum, sicut etiam pasha neque græcum neque latinum extat, sed ab Hebræis mutuatũ. Hactenus ille. Ecce lector audis hic missæ vocabulum neque græcum neque latinum esse, sed hebræum, quemadmodum & pasha. Audis & Hebræis idem oblationem dici, quæ fit superiori domino propter munus debitum personale. Audis & scripturæ locum ex Deuteronomio citatum, quo vocabulũ ipsum מִנְחָה, hoc est missa, per interpretem oblatio spontanea vocatur. Audis & idem vocabulũ ab Hebræis mutuatum, hactenus apud nos Christianos vsurpatum esse pro sacrificio nouo, hoc est, pro illo quod antiquatis Mosaicæ legis sacrificiis, in lege noua successit. Audis denique, Latinis hoc ipsum dici missam, quod græcis est liturgia Et sanè priscorum Hebræorũ complures (quemadmodum in libello quem pro sacerdotio stabiliendo

*Missa dictio hebræa est. Roffensis.*

stabiliẽdo cõtra Lutherũ edidimus, aper tũ est) affirmãt futurũ Messię tẽporib⁹, vt iuxta ritũ sacerdotij Melchisedech in pane & vino sacrificetur. Quãobrẽ & hi plurimum astipulãtur Capnioni nostro pariter & scripturæ, quæ מִנְחָה vocabulũ interpretatur oblationem. Sed & Malachias meo iudicio rem istam haud obscurè prodidit. Nam haud multo posteaquã sacerdotib⁹ Iudęorũ exprobrauit ꝙ panẽ pollutũ obtulissent in altari: Offertis (inquit) *Malach. 1.* super altare meũ panẽ pollutũ: nõ multò pòst subinfert: Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiã de manu vestra. Ecce hic munus panis per sacerdotes Iudęorum oblati, prorsus auersatur deus. Sed iam aduerte quodnã aliud à gentibus oblatũ, se susceptũrũ pollicetur. Ab ortu (inquit) solis vsque ad occasum, magnum est nomẽ meũ in gẽtibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Quænã precor est hæc oblatio munda, nisi panis ipsius qui de cœlo descẽdit, hoc est corporis Christi sub spe cie panis ĩ Eucharistia? Nã quicquid aliud à nobis proficiscitur (si Luthero credimus) impurum est, & panno menstruatæ

*Argumentum ad hominem ex Luthe. sentia. Ioan. 6.*

sordidius, nimirũ ob peccatũ (vt illeait) quod in nobis residet cõtinuo. Quo fit vt nullum omnino sit opus nostrum (si Luthero fidem habeamus) quod peccato careat. Quamobrẽ neque nõ pollutum esse potest, quicquid est operis nostri. Hæc iuxta Lutheri sẽtẽtiã & hæresin dicimus. Verum cœlestis iste panis, quẽ sacrificamus deo, nihil habet impuritatis, sed est immaculatum sacrificium, & idem iugiter in omnibus ecclesiis per totum Christianismum immolatur. Sicut igitur oblatio panis, quẽ super altare Mosaicum sacerdotes veteris legis offerebant, iã plane spreta est & contẽpta prorsus à deo, ita sacrificium panis quod super altaria nomini Christi dicata per sacerdotes nouæ legis iugiter offertur, acceptum erit, & magnoperè gratum. Quis non itaque iã exploratissimum habet, istuc omnia cõquadrare, nimirũ vt missa verè dicatur sacrificium? Verissimum equidem est, quod Ethnicus quidam ait: Omnia vero consonant. Nam huic sanè veritati cõsentiunt omnia. Subscribit enim cum primis receptissima totius ecclesiæ consuetudo. Eandẽ itẽ comprobat sanctissimorum iuxta & doctissi-

morum patrum omniũ calculus. Scripturarum etiã authoritas eidem astipulatur. Sed & infensissimi Christiani nominis aduersarij, huic plane suffragantur, quandoquidẽ suis libris testãtur palã, quòd ceteris abrogatis veteribus sacrificiis, hoc solum quod iuxta ritum Melchisedech in pane vinoque fit, vsu perpetuo celebrabitur. Sed hæc in libello quem diximus, fusius & apertius continentur.

## STROPHAE QVAEDAM & mendacia cauillique Lutherani deteguntur. Cap. VII.

NVnc igitur septimo loco quibus strophis, mẽdaciis, sycophantiis, argumenta Regia refellere conetur, expẽdemus. Insimulat primò Regem vnicam rationem attulisse, nimirum hanc: Si missa nõ esset opus bonum, « leici nihil pro ea tribuerent clericis temporalis beneficij. « Nec hoc mẽdacio cõtentus, tandem post multa conuicia subdit: Memento lector, ab assertore Rege « nullam aliam afferri rationem pro missa « sua, quàm istam. At vtrumque profectò «

mendacium est, & quòd Rex hac ratione molitus fuerat probare missam opus esse, & quòd nullam aliam ad id probandũ attulerat, præter hanc. Prius illud facilè cõstabit, vbi contextum ipsum totius Regij sermonis describserimus. Sic enim Rex, vbi cęteros Luthero cõcionatores æquat, nisi quòd hi concinnius ac verius quoque quàm Lutherus, ad ipsum testamentũ referebant non tantũ ea quæ Christus fecit in cœna, sed etiam quę passus est in cruce, continuò per ironiam ludit: Hoc vno tãtum, inquiẽs, impares Luthero, quòd mirabiles & hactenus inauditos Missæ fructus non inuenerunt quibus & clerus prę sentis vitæ fructum omnẽ, & populus futurę perderet. Cuius rei ratione Rex illico subiecit, dicens: Neque enim sacerdotibus quicquam laici temporalis boni cõferrent ob missam, è qua persuaderentur nihil se spiritualis boni referre. Ecce lector, hac ratione Rex haudquaquam molitus fuit ostendere Missam esse opus, sed quòd clerus omnem fructum emolumenti temporalis esset perditurus, si laici nullum ex missa per clerum celebrata spiritalem fructum se sperarent assecuturos.

*Lutheri primum mendacium.*

Hic igitur, vt vides, vnum mẽdaciũm est, iam audies & alterum. Negauit Lutherus aliam à Rege rationem præter illã quam Lutherus falso cõmentus est, afferri: quod etiã falsissimum est. Nam ex ipsis Lutheri fundamentis docet Rex, Missam & opus & sacrificium esse. Verum quũ Regia ratio prolixior sit, & oratorio more fluat, nos eam in formã breuiorẽ contrahemus. Ego (inquit Rex) istud fundamẽtũ ei permittã. quod immobile postulat esse, non mouebo: tantùm ostẽdã ędificium quod superstruxit, facilè per se corruere. Esto Christus fuisset in cœna testatus: par tamen est, vt id sit testatus, quod post mortem voluit in sui memoriam fieri. Quãobrem & præcipua testamenti pars fuit, vt in sui commemorationem hæc ipsa discipuli facerent. Propter quod & dixit, Hoc facite in meã cõmemorationem. At non tum cœnantis cõmemorationem intellexit, sed postea crucifixi: quod & ex verbis Pauli manifestum est, qui simul atque dixisset, Quocienscunque panem hunc comederitis, & calicem biberitis: protinus adiecit, non cœnam domini, sed mortem domini annunciabitis Hoc est ergo quod

*Secundum*

*Lucæ. 22.*

*1. Cor. 11.*

in missa repræsentatur, ipsum videlicet crucis sacrificium: quod quum ipsa Missa palam referat, eadem satis appositè sacrificium appellatur. Quamobrem & sacerdotes qui mortem eius in missa repræsentant, corpus à sanguine seorsum offerunt & immolãt. Iã enim exequitur quod in memoriã suę mortis fieri in cœna mãdauit. Mortẽ etenim testatoris, vt Lutherus ait, testamẽtũ inuoluit: neque antè vires & robur sumit, quàm absoluta perfectione cõsummatur, quàm sit is mortuus qui testatus est. Concludit itaque Rex, quod si quis diligenter hæc expenderit, videbit Christũ sacerdotẽ æternũ, loco sacrificiorũ omniũ quæ sub Mose fuerãt, & huius sacrificij gerebãt typũ, hoc vnũ instituisse, quod & offerretur deo, & in cibũ itidẽ populo diretur. Inteligis itaque lector, quando quidẽ hæc ratio lõge diuersa sit à priori, iam bis mendacem fuisse Lutherum.

II *Licet pro missa recipere temporalia.*

Cæterum vt calumniis eius respõdeamus, quis sacerdotibus iimpingit, qui temporarias opes pro Missis accipiunt? an non in libro Geneseos cap. xiiij. legimus, vbi Melchisedech deo sacrificium

panis & vini pro Abrahæ victoria obtulerit, hunc illi vicissim omnium spoliorum quæ conquisierat, decimas? Et Pau.j.ad Cor.9.dicit:Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si vestra carnalia metamus?

Sed ad reliquas Regis argumẽtationes transeamus, quas quũ non ignorarit Lutherus,vtpote qui conatus est easdem refellere,nõ pudet tamen inficiari Regem aliã pro sua Missa rationẽ attulisse, præter illã primã.Audi igitur lector adhuc & aliã per ipsum Regẽ introductã. Quæremus (inquit)a Luthero, an non aliquod opus tum Christus fecerit, quando panem & vinum in suum corpus & sanguinem consecrauit? Quod si neget, mirabimur profecto, si quum is opus faciat, qui imaginem facit ex ligno, Christus nullum prorsus opus fecerit, quum carnem suam faceret ex pane. Hactenus ipse Rex.Et hanc rationẽ Lutherus recenset peruersissimè. Thomisticatus (inquit) in hunc modum Rex, Qui lignum cædit, facit opus:ergo qui consecrat,facit opus. quare Missa etiã opus erit. Hic perspicis lector Lutherũ haudquaq̃ ignorasse quin

*Secũda Regis ratio pro missa.*

*Responsio.*

Rex aliam attulerit rationem qua missam opus esse doceat, quàm primã illã: quod tamen superius impudentissimè negauit.

Cæterum iam videamus quanam stropha conetur hãc rationẽ eludere. Iocatur vbique duplicem acceptionem Missæ faciens. Alteram, vt eius verbis vtar, pro eo quod est consecrare seu proferre verba cõsecrationis. Alterã pro eo quod est verbum promissionis, adiecto signo panis & vini. Iuxta priorẽ acceptionẽ fatetur Missam opus esse: negat tamẽ seipsum ita vel per febrẽ vel per phrenesin de Missa cogitare potuisse. Affirmat etiã ad hunc modũ Missam posse multa alia dici. Nam (vt ait) si Missa, consecrare est, potest etiam clamare, cantare, thurificare, cereolos incendere, calicem mundare, hostiã leuare, forte & sternutare, & excreare, Missa dici.

At quis tam crassus est, vt nihil inter hæc & opus consecrationis intersse iudicet? Nam sine pluribus horum missa non incongruè celebrari potest. Neque enim cantus & clamor & thurificatio, vt Missa fiat, exiguntur. Verum consecratio sic Missæ substantiam ingreditur, vt

sine consecratione Missa nunquam esse queat. Quis enim vnquam vsque adeo phreneticus est, aut per febrem insaniens, vt putet se Missam habere posse citra corporis & sanguinis cõsecrationem? Quòd si panem & vinum quis habuerit, & librum in quo scripta fuerint ipsa Christi verba, nisi quis eisdem prolatis panem & vinum consecrauerit, Missa neutiquam habebitur. Vnde & perspicuum est, neque secundum posteriorem acceptionem (quam supra distinxit Lutherus) Missam definiri posse, quam tamen ipse verè & propriè dici Missam affirmat, nempe verbum ipsum promissionis cum signo adiecto panis & vini. Quod & paucis monstrabimus. Nam & si præsens fuerit (vt diximus) panis & vinum, simul & verbum promissionis vel in mente vel in libro quouis scriptum, hauddum habetur Missa, nisi quispiam idoneus ipsa eadem verba cum studio consecrandi pronunciet. Frustra ergo separat ista Lutherus, quum ad Missæ subsistentiam hæc tria pariter exigantur. Neque enim verba sola, neque signa sola, neque vtraque hæc sine verborum aliqua prolatione qua panis

*Cõsecratio exigitur ad essentiam Missæ.*

*Prolatio verborum consecrationis necessaria est.*

& vinum consecrantur, Missam faciunt. Ipsa nimirum sacerdotis actio seu functio potissimum requiritur, quemadmodum in cœna Christus iubebat, inquiens, Hoc facite in mei memoriam.

Sed iam ad cauillum, quod aduersus superiorem Regis rationem obiicit Lutherus, respondeamus. Egit vtique Rex ratione priori non solum vt Missa probaretur opus, verumetiam vt esset bonum opus. Si Christus, inquit, vllum opus fecerit: quin id bonum fuerit, nemo opinor dubitabit. Nam si bonum opus fecit mulier, quæ caput eius perfudit vnguento, quis potest ambigere an bonum opus fecerit Christus, quum corpus proprium & in cibum exhibuerit hominibus, & in sacrificium constituerit offerri deo? Quod si negari non potest, nisi ab eo qui in re maximè seria velit nugari, bonum opus feciſſe Christum: nec istud etiam negari potest, in Missa bonum opus facere sacerdotem, quippe qui non aliud facit in Missa, quàm Christus in cœna fecit & in cruce. Hactenus ipse Rex.

*Missa est opus bonum. Verba regis.*

Hic Lutherus mire cauillatur. Hac, inquit, ratione Missa non erit bonum opus, nisi bonus sit consecrator. Malus enim male facit consecrando, id est missando. Itaque non licebit malo sacerdoti consecrare, imò neque poterit, quum Missam velint necessariò bonum opus esse. En perspicis optime lector merum Lutheri cauillum. Sic enim cauillatur, perinde quasi nihil operis boni nisi à bono ministro prodire possit: quod planè falsum est. Nam & sacerdos malus baptizans operis boni minister est, tametsi non bene faciat. Et malus item sacerdos, qui peccatorem confessum & resipiscentem absoluit, bonum opus facit, quanquam non bene. facit enim vterque male, tametsi neuter in opere suo malum agat. Et de consecrante similiter dici potest, quòd licet ipse malus fuerit, opus tamen quod facit, bonum est, non solum pro opere operato, verumetiam pro opere operantis: quemadmodum conferens eleemosynam, dum expers fuerit gratiæ, bonum opus haud dubie facit, quanquam nõ omnino bene feciſſe credatur.

*Rossensis.*

*Malitia ministri nõ officit sacramento.*

Lutherus itaque Regem hic stolidè carpit, ceu pluribus sui regni negociis occupatum, quàm vt huius theologiæ recordetur, nempe de opere operato & operantis. In qua re planè suam insciciam Lutherus prodit, quum illa distinctio locum hic non habeat. Neque enim hic de de fructu Missæ quæritur, qui semper vberrimus est quãtum ad opus operatum, siue Missa fiat à bono siue à malo. Verum non ita quantum ad opus operantis, vbi malus fuerit qui sacrificat. Is enim nullum sibi fructum reportat ex opere operantis, quanquam opus bonum faciat non bene. At bonus contrà plurimum tam sibi quàm aliis fructum parit: & non modo bonum opus facit, verumetiam bene.

*Opus duplex.*

» Parum scitè igitur Lutherus dixit per-
» iisse magnificam illam Theologiam, qua
» definitum est, Missam etiam mali sacer-
» dotis esse semper bonum opus, virtute o-
» peris operati, licet non virtute operis o-
perantis. Quod dico propter hanc secundam partem, quam nullus theologorum (opinor) asseret vnquam. Nam sacerdos consecrans, quantumuis ipse prauus fuerit, tamen opus eius, siue pro operato,

*Cõsecratio mali sacerdotis est bonum opus.*

siue pro operãtis opere intelligas, bonum est, licet ex ipso opere nihil mereatur. Nã & consecratio quę est opus operantis, bonum est: & quod fit item ipsa consecratione, sacramentum videlicet corporis & sanguinis Christi, quod est opus operatum, bonum est similiter. At id fefellit Lutherum, quòd quum theologi negent fructum & meritum aliquod ex opere mali sacerdotis vt operãtis oriri, ille putet eos etiam omnem ab eius opere bonitatem sustulisse: id quod ipsi neutiquam sentiunt. Et tamen adhuc tanta est hominis aut cæcitas, aut impudentia, quòd non contentus hoc semel exprobrasse, inculcat id denuo, Regi quasi victor insultans, quum sit nihil minus. Opprobrat enim Regi, se sua propria ignorare, nempe quid interfit inter opus operatum & operantis: atque ita se ipsum confutare, dum impugnat Luthe rana: quum tamen haud dubie Rex ipse certò sciat eam distinctionem huc nihil attinere, Lutherus contrà cæcutiat turpissimè.

## MISSAM NON ESSE promissionem solam. Cap. VIII.

I. CAeterum nec id intactum prætermittemus quo Lutherus „ pbare molitur Miſ
„ ſam verè & „ ppriè eſſe ver-
„ bum promiſsionis. Nam ſi
„ cætera (inquit) omnia de-
„ ſint, & credideris his verbis Chriſti, Hoc
„ eſt corpus meum quod pro vobis datur,
„ verè Miſſam integram habes. Deinde ſi
„ acceperis ſignum eadem fide, vſum & fru-
„ ctum Miſſæ accepiſti.

*Multa inconuenientia sequũtur si solum credere verbis sit Miſſa.*

Duo ſunt quæ iam audiſti lector. Alterum quid ſit integra Miſſa. Alterum, quonam modo fructum ipſius Miſſæ cõſequi valeas. Iam illud prius expendamus. Si cætera (inquit) omnia deſint, & credideris his verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, verè Miſſam integrã habes. Ergo ſi verbis illis vbilibet aut viſis aut auditis fidem adhibeã, erit Miſſa iam integra, tametſi reliqua defuerint omnia, etiam ſi panis & vinum deſint, etiam ſi de verbis cæteris quæ ad ſanguinẽ ſpectant, nemo vel cogitat quicquã, ſi dicta verba ſola vel inſculptã lapidi memorentur, vel à puero ſeu mulierecula quauis pronunciẽtur, modò credam illis, iam erit

integra Missa. Et si cẽties in die fiat istud, toties erit Missa integra. Hęc profecto satis mirãda sunt. Sed velim dicat nobis adhuc Lutherus apertius: Quid si dicta verba nusquam à quouis pronũciata fuerint, sed ne cogitata quidẽ, num & tunc Missa non erit? Si dixerit iam non esse Missam, mirum est, quum adhuc & verba dicta maneant, quandoquidẽ scriptum est: Verba mea non transibũt. fides quoque manet in cordibus hominum, quam & Lutherus viuum quendam actum & motũ esse contendit. Quando igitur & verbum ipsum perpetuò maneat, & actio fidei nunquam nõ vigeat, erit iuxta Lutheri dogma Missa quoque semper extans omnibus horis atque momentis, non diei solum, sed & noctis, dormientibus quoque sacerdotibus eẽq; atq; vigilãtib⁹, aut sacra faciẽtib⁹. Nã si præter verbũ & fidẽ nihil ad Missæ integritatẽ exigatur, & si per hæc sola, quãquã cętera oĩa defuerint, Missa prorsus habeatur integra, quis non intelligit eiusmodi Missam durare semper, & indesinẽter haberi, quando fides & verbũ semper & indesinenter maneant? Sed video sic vrgeri Lutherũ, vt præter verbũ & fidem tatea- *Matth. 5.*

tur alium aliquem actū exigi ad Missæ integritatē, quo cessante cessat & Missa. Et hunc puto dicturum actum recitationis illorum verborum. Nam ad hoc vt Missa fiat, oportet ipsa verba recenseantur, alioqui non faciemus aut quod in cœna Christus ipse fecit, aut quod iussit à nobis fieri. Hoc (inquit) facite in mei memoriam. Pronūciauit enim ipse dicta verba super panē quem sacris acceptum manibus consecrauit. Quamobrem & apertum est, præter fidem & verba, simul & verborum recitationem, etiam panis præsentiam omnino necessariam esse.

Luc. 22.

Longe igitur alienū à veritate est, quod supra dixit Lutherus. Nempe si cætera omnia desint, & credideris his verbis Christi, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: verè Missam integram habes. Nunquam enim haberi Missa integra potest, nisi sacerdos idipsum Christi verbis fecerit quod Christus iussit faciēdum, hoc est panem & vinum in Christi corpus & sanguinem cōsecrauerit. Is nimirum actus & circa panem item, ita Missæ essentiam ingreditur, vt sine hac nec Missa fieri, neque esse quouis pacto valeat. Et hunc actum si

quispiam

quispiam sacerdos exerceat, tametsi nemo circunstantiū crediderit, nihilominus erit Missa: non tamen ita, quòd solus is actus ad Missæ integritatem exigatur, sed quòd citra hunc Missa nullo pacto queat subsistere. Hactenꝰ ergo pro priori assertione refellenda, quam Lutherus nulla scriptura seu ratione fultā, sed propriæ innixus temeritati protulit, à nobis dictum sit.

*Fides circūstātium nō impedit Missam.*

Iam excutiamus & posteriorem, quam extulit in hunc modum: Deinde si acceperis signum eadem fide, vsum & fructum Missæ accepisti. II. «« «« ««

Et hac intelligi vult, quòd ille vsum & fructum Missę cōsequitur, quisquis Christi verbis habita fide, panem consecratum acceperit, quem & signū corporis vocat.

Hic primū aduerte lector, quod dicit, eadem fide. Nam supra dixit, Si credideris his verbis Christi, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, etiam si cætera omnia defuerint, verè Missam integrā habes. Et protinus subdit: Deinde si eadem fide signum acceperis, vsum & fructum Missæ accepisti. Hic lector perspicis (opinor) q̄ temeraria sit hæc assertio. Nā vt panis in corpus Christi consecretur, nō dicet opi-

*Fides formata non exigitur ad consecrationem.*

nor fidem formatam exigi, sed informem sufficere: alioquin idololatriâ sæpe plebs committeret, nimirū pro corpore Christi merum panem adorās. Verùm hæc eadem fides haudquaquam sufficit, vt per esum corporis, vsum & fructū Missæ consequaris, imò iudicium edisti potius, vt testatur Paulus, & dominici corporis reum te constituisti. Nam ad hunc sacrosanctum cibum edendum accedit indignè, quisquis citra formatam fidem accesserit.

1.Cor.11.

III. Ist ad insuper obseruandū est, quā stropha simul vsum & fructum Missæ coniungit, dicens: Si signum acceperis, vsum & fructum Missæ accepisti. quod planè falsum est. Nam vsus Missæ, ipsa functio sacerdotalis est: qua finita, Missa quoque (quantum ad hoc negocium attinet) cessat. Atqui finita Missa, fructus tamen aliquis ipsius durat in sacramento, quamdiu sacramentum ipsum superfuerit post finitam Missam. Et huius fructus particeps efficitur, quisquis deuota mente sacramentum ipsum acceperit, quanquam nulla Missa eo ipso tempore celebretur. Quare sic accipiens, iam nō vtitur Missa, tametsi rectè credatur vti sacramento.

*Vsus Missæ ab eius fructu distat.*

Vt igitur negocium istud apertius euoluamus, non fuerit inutile quiddam exempli gratia subiicere. Sic Missam existimabimus perinde atque cuiusdam aromatarij functionem, dum is medicamen conficiat quod, antè medicus quidam non imperitus pro restituendis ægroti cuiuspiam viribus excogitauit. Nam fit aliquoties, vt posteaquam aromatarius arte sua functus fuerit, & confecerit medicamen, ipsum ægroto protinus administret, aliquando tamen seruet in pyxide, quoad occasio dabitur ministrandi commodius. Quod si medicamen ex pyxide prolatum cuipiam ægroto deferatur, nemo vocabit hanc deportationem functionē artis aromatarij, quum illa per alium quemuis qui nō sit aromatarius, æque fieri poterit. Hoc exemplo certe quiuis facilè intelliget, plurimum interesse inter ministrationē Eucharistiæ, quæ per diaconum fieri possit, & sacerdotis functionem, sacriq; medicaminis huius confectionē, quæ sola propriè Missa vocatur ab omnibus. Vides igitur lector hoc exemplo, medicū esse Christum, aromatariū sacerdotem, ministrum diaconum: functionem sacerdotis, & con-

*Exemplum pulchrum.*

fectionem medicaminis, Missam esse. Vsus ergo missæ non diutius durat, quàm ipsa functio sacerdotis. Fructus tamen plurimus in sacramẽto post finitam Missam viget, quemadmodum in medicamine iam intra pyxidem reposito.

Neque tamẽ concesserim totum & integrum Missę fructum in sacramento manere. Nam quum in Missa sacrificium offeratur pro salute viuorum, & requie defunctorum, complureſque sacrę precationes adiungantur, quibus vota fidelium circunstantium deo commendantur, non est credibile, quòd is qui domi quantauis fide sacramentum istud acceperit, tantum ex eo fructum referat, quantum is qui pari fide Missæ deuotus interfuit, atqi precum quæ in Missa dicuntur, simul & sacræ ipsius communionis ibidem factus sit particeps.

*Multum refert an quis Missæ interfit.*

Ob hæc iam latere neminem opinor, quàm sit absurda Lutheri sententia, quum ex ea consequatur, quòd quoties ex pyxide sacramentum profertur, vel cuiuspiam ægroti causa, qui morti proximus fierit, toties Missam fieri dicamus. Et quis non perspicit quãtum hoc sit veritatis expers,

quum nemo tunc faciat quod ipse Christus in cœna fecit, & quod sacerdotibus iussit faciendum? Nemo enim tunc ex pane & vino corpus & sanguinem Christi facit, quod tamen ipse discipulis mādauit vt facerent. Hoc (inquit) facite in mei memoriam. *Lucæ.22.*

Liquet igitur ex his Missam non esse aut sumptionem signorum, aut promissionem signis adiectam, atque ideo multo minus promissionem solam. *Conclusio.*

Pergit tamen adhuc Lutherus ex prædictis illis duabus assertionibus colligere quod sequitur: Vnde (inquit) manifestissimum est Missam non esse aliquid nostri operis aut verbi, sed solius Christi dantis tam verbum promissionis quàm signum in pane & vino: atque vsum eius nō posse in offerendo aut operando consistere, sed in recipiēdo & patiēdo dūtaxat. Et vnde (te quęso) manifestissimū est? Tibi forsitan ex meris insaniis tuis quas vel per febrem (vt ais) aut per phrenesin excogitasti, manifestum est. At nobis tantum abest vt ex vlla scriptura (quam hactenus attulisti) manifestum sit, vt etiam neque videatur in se quicquā habere probabilitatis. Nos *IIII.* « « « « « « « « *Apostrophe.*

enim apertissimam habemus scripturam ex ore Christi prolatam, qua iussit vt hæc faceremus, hoc est vt panem & vinum in corpus & sanguinem suum cõsecraremus: id quod citra nostrum opus haudquaquã fieri potest. Et quanta est ista impudentia tua, vt velis nos absq; scripturis, imò cõtra scripturas, tuis nugis insanissimis credere, somniisque plane phreneticis adhibere fidem?

Porro quòd toties inculcas verbũ promissionis, haud scio quod verbum intelligas. In hoc enim & plus quàm Proteum exhibes temetipsum, nunc vnum, nunc alterum faciens promissionis verbum. Nã id quod paulo superius recensuisti, videlicet, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, nihil omnino promissionis in se continet. Promittuntur enim, quæ sunt futura. Sed & licet Christus apostolos quitum præsentes erant, certiores verbo suo reddidit de præsentia corporis sui sub illa specie panis, quo (te precor) scripturæ verbo nobis promittitur, quòd quũ nos consecramus, idem fit futurum? Neque enim scriptum est, quòd quotiescunque super panem sacerdos mea verba recensuerit,

protinus ex pane fiet corpus meum. Hoc vtique verbũ promissionis esset. Sic enim & alia quædam sacramenta promissiones factas legimus in euangeliis. Nam de baptismo scriptum est: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et rursum de sacramẽto remissionis peccatorum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Hæc certè verba promissionis sunt. Cæterum in his ipsis sacramentis agendis nemo verbis illis vtitur, sed aliis, quæ non sunt promissionis, nimirum, Ego baptizo te. & Ego absoluo te. quæ neutiquam in scripturis leguntur.

*Marci.16.*

*Iohan.20.*

At Lutherus dicet ex hoc verbo, videlicet, Hoc facite in mei memoriã, totã huius rei pendere certitudinẽ. Ergo hoc magis est verbum promissionis, quàm illud prius allatum. Quare si tanta vis in verbo promissionis est, istud inter consecrandũ corpus & sanguinem recenseri potius debet, quàm cætera. quod planè falsum esse nemo nõ credit, quum omnes asserant cõsecrationẽ antè factam, quàm istud verbũ pronunciaretur. Sed & pariter in aliis sacramentis, vtpote baptismatis, & abso-

lutionis, promissionis verbum recenseri potius debet, quod nemo tamen vnquam facit, vt ante diximus. Nemo enim quum absoluit, his verbis vtitur: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Neque quum abluit, ait: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Sed vterque tam abluens quàm absoluens in persona sua loquatur necessum est, & dicat ille: Ego baptizo te. & iste, Ego absoluo te. alioqui certe nihil fit.

Cæterum in captiuitate Babylonica Lutherus Missam vocat promissionem remissionis peccatorum. Sic nunquam secum constat, sed est ingenio vsqueadeo versatili atque versipelli, vt promissionis verbum nunc vnum, nunc alterum faciat. Sic enim in captiuitate Babylonica scribit: Vides ergo quòd Missa (quam vocamus) sit promissio remissionis peccatorũ à deo nobis facta. Quòd si quæramus ab eo, vbi scripta sit hæc promissio, scio respondebit, In his verbis esse scriptam, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Hic certe non inficiamur quin expressa sit promissio remissionis peccato-

rum. At hæc promissio nequaquã fit pro sumptione sacramẽti, quemadmodum sæpè diximus, sed pro sanguinis effusione, dum Christus in cruce seipsum immolauit. Huc accedit, quòd iuxta Lutheri sententiam quisque consecrat æqualiter, siue iuxta Matthæum, siue iuxta Marcum aut Lucam, aut Paulum pronunciet. At palam est nec Marcum, nec Lucam, neque Paulum de remissione peccatorum fuisse locutos. Quamobrem ad consecrationem faciendam nihil opus est promissione remissionis peccatorum.

Adde, quòd inferius in eodem impio libello testatur totam ipsius Missæ virtutem in promissione remissionis peccatorum consistere. Quod si verum sit, tum Paulus vsum & virtutem ipsius Missæ prorsus ignorauit, quũ & ille Corinthios instruens hac de re, verbum istud promissionis omnino prætermiserit, & tamen à Christo se testatur accepisse quæ tum Corinthios docuit. Quamobrem si tantum ex hoc verbo momentum pendeat, vt tota penitus Missæ virtus in eo consistat, profecto Paulus, & eo præsertim loco, vbi mysterium istud docet, id ipsum minime 1. Cor. 11.

tacuisset. Non est ergo Missa promissio remissionis peccatorum.

Sed neque vsus Missæ tantùm in recipiendo & patiendo consistit, quemadmodum falso Lutherus conatur asserere, verumetiam in offerendo & operando. Neque enim res vnica & simplex est, sed multas (vt ante diximus) in se complectitur. Vt enim Pharmacopolæ functio non in vno solum opere consistit, sed nunc tundit aromata, nũc liquores admiscet, deinde pariter coquit omnia: ita & sacerdotis functio varia est, nunc consecrat, nunc offert, crebro precatur, viuos item & defunctos per ipsius virtutem sacrificij deo commendat.

V. *Luther. destruit argumentum regis.*

Post hæc Lutherus aliud insuper argumentum illustrissimi regis impugnaturus, ipsum prius omni prorsus ornatu pariter ac robore spoliat, atque ita spoliatum recenset, ad hunc modum: Deinde pro sacrificio Missæ defendendo, Rex (inquit) ita thomisticatur. Esto (inquit) Missa sit promissio, nõ hinc sequitur non esse simul & sacrificium, quando in veteri lege erant sacrificia quæ simul erant & promissiones. Rex verò suam argumenta-

tionem non tam inermem & elumbem protulit, sed multo munitiorem. Nam argutiæ Lutheranæ respondens, Obsecro (inquit) qualis est ista probatio, quum docere nititur Missam non esse sacrificium, ex eo quòd sit promissio, quasi promissio & sacrificium ita sibi mutuo pugnarent, quemadmodum frigus & calor? Quæ Lutheri ratio adeo prorsus friget, vt nec responso digna videatur. Nam legis Mosaicæ tam multa sacrificia, quanquam essent figuræ omnia futurarum rerum, tamen promissiones erant & ipsa. Promittebant enim ea propter quæ fiebant, non modo futura quondam illa quorum erant figuræ, sed etiam liberationes, expiationes, purgationes, purificationes populi tunc præsentis, pro quo more solenni quotannis offerebantur. Quæ res cum tam aperta sit, vt nemo prorsus eam possit ignorare, ridicula plane dissimulatio est ista Lutheri, quum nunc argumentatur fieri id non posse, quod non ipse tantum, sed populus quoque nouit tam sæpe factum. Hactenus ipse Rex.

*Verba regis.*

*Roffensis. Sacrificia sunt promissiones.*

Vides lector quem in modum Rex probat sacrificia promissiones esse, duplici ratione. Altera, quòd ea certò pollicebantur veritates euenturas quarum erant figuræ. Altera, quòd liberationes, expiationes & purificationes populi tunc præsentis (pro quo quotannis offerebantur) etiã promittebant. Non quòd Rex intellexerit, nihil inter sacrificium & promissionẽ interesse, sed quòd sacrificiis vt plurimũ promissiones adiungebantur, vti mox ostendemus. Obiicit tamen huic argumẽto Lutherus duo. Primum, quòd huiusce rei Rex nullum attulit exemplum. Huius (inquit) assertionis Thomisticæ debuit Rex vel vnum exemplum producere.

*Sacrificiis iungebãtur promissiones.*

» (inquit)
» Rex

Verùm quid si rex nullum exemplum produxisset? Num propterea non valebit argumentatio regia? Rex enim putauit se eum eo congressum, quem exempla eiusmodi minime latuissent, quippe quum his exemplis abundant scripturæ veteris instrumenti, quas Lutherus præcipue callere se iactitat. Nam in scripturis, eiusmodi passim occurrunt exempla, quemadmodũ ostendemus.

*Exemplũ primum.*

Primum Leuit. 4. posteaquam Moses,

quem in modum pro peccato ignorantiæ populi vitulum sacrificandum ostenderet, scriptum est: Et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis dominus. Ecce promissionem adiunctam sacrificio. Rursum, vbi per ignorantiam princeps peccauerit, docet hircũ sacrificari debere, subdens: Rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius: & dimittetur ei. Ecce rursum peccati dimittẽdi promissionem annexã sacrificio. Ad hæc. Si priuatus quispiam per ignorantiam peccauerit, docet capram aut ouem offerendam, & pollicetur ob vtrumque sacrificium peccati dimissionem. Prolixum esset sacrificia cætera commemorare, quæ cap. 5. & 6. sequentibus pro diluendis aliis peccatis & delictis fieri docentur, vbi & cuilibet sacrificio remittẽdi delicti promissio subiicitur. Vides itaque lector, quot iam illius rei produximus testimonia, nimirũ quòd sacrificia veteris legis peccatorum remissionem promittebant: quamobrem & iuxta morem loquendi scripturarum promissiones dici non iniuria possunt.

*Secũdum.*

*Tertium.*

Neq; sophisma Lutheri, quod secundo loco producit, alicuius ponderis erit. Nã

VI.

& hoc alterum est quod obiectat. Promissio (inquit) est verbum: sacrificium res est. quare impossibile est vt promissio sit sacrificium. Ecce merum sophisma. Neque Rex collegit q̃ promissio sacrificium esset, quũ promissio minime sacrificetur. At retrorsum sacrificium vocauit promissionem, eo quòd per ipsum remissio peccatorum promittatur. Nam propter expiationes & purificationes sacrificia fieri mandabantur in lege.

Ad hæc. Quoties Luthero placet, Missa non sola promissio dicitur, sed promissio signis adiecta, ita quòd Missa non modò promissionem, verumetiam & signa pariter inuoluat. Quæ signa prout res veras, hoc est veram Christi carnem, verumque sanguinem ipsius contineant, non minus Missa propter ipsa signa res dicetur, quàm verbum ob ipsam promissionem. Nam vti superius de veteri quadã cæremonia diximus, quam Hebræi phase vocant, quòd non solum promissionem complectatur, verumetiam ipsum agni sacrificium: ita & de noua hac cæremonia nó dubitamus asserere, quòd præter promissionem & verba, consecrationem etiã

Eucharistiæ comprehendat, & ipsius corporis Christi, nimirum agni veri & immaculati sacrificium. Quamobrem & plus quàm puerile fuerit sic argutari: Missa promissio est & verbum, quare nõ potest res esse: quum ipse Lutherus nõ semel cõfiteatur in libello aduersus regem, Missam esse promissionem signis adiectam. Quod quid est aliud, quàm Missam verba pariter & rem esse?

*Lutherus nihil discriminat inter Missã, sacramentum & testamentũ.*

Sed & hæc tria sæpe confundit, vnum pro alio frequenter vsurpans, nempe Missam, sacramentum, & testamẽtum, de quibus in captiuitate Babylonica sic scribit: Stet ergo primũ & infallibiliter, Missam seu sacramentum altaris esse testamentũ. Ecce si testamentum de vtroque dicatur; hoc est, & de Missa, & de sacramento altaris, necessium est vt ista quoque alterum de altero mutuo dicantur. Atque ita Missa quum sit Luthero sacramentum, erit etiam & res.

De promissione verò multum hæsitanter loquitur. Nam de ipsa paulo post ita subdit: Vides ergo quòd Missa (quam vocamus) sit promissio remissionis peccatorũ. Hic aperte promissionẽ remissionis

peccatorum Missam facit. Et plusculum inferius vbi dicit: Recte itaque dixi totam virtutem Missæ consistere in verbis Christi, quibus testatur remissionem donari peccatorum. Et hic iterum Missam facit promissionem remissionis peccatorũ. At in libello contra regem, Nos (inquit) in Missa potissimum vocamus promissionẽ, ipsa scilicet verba Christi sine quibus panis & vinum essent neque signum neque sacramentum neque Missa. Quid iam his verbis intelligi velit, obscurum est. Nam si promissionem aliã intelligat quàm remissionis peccatorum, nimisquam recte loquitur & inuolute, nedum inconstanter. At syncera veritas his ambiguis inuolucris tegi non quærit: lucem postulat, nõ tenebras.

VII. *Virt⁹ Missæ non consistit in remissionis peccatorũ promissione.*

Cæterum quòd nec tota Missæ virtus in promissione remissionis peccatorum consistat, neque sit id sine quo panis & vinum nec signa sint, nec sacramenta, neque missa, iam plenius ostendemus. Dilucidum itaque vel ex hoc solo fuerit, totam ipsius Missæ virtutem nequaquam in promissione remissionis peccatorum cõsistere, quòd Paulus de hac nihil omnino loqua-

loquatur, & tamẽ ab ipso Christo doctus formulã corporis & sanguinis consecrandi tradidit sufficientẽ. Sed & de remissione peccatorum solus meminit Matthæus, vt si sine hac particula nec panis & vinũ essent neq; signum, neq; sacramentũ, neq; missa, quemadmodum Lutherus affirmat, non solũ Paulus, sed & Marcus, & Lucas vehementer aberrassent: quod nephas est credere. Nullus enim horũ de remissione peccatorũ verbũ vllum facit. Sed Paulus ipse præ cæteris grauissimè peccasset, qui magistrũ huiusce rei se pollicit⁹ est Corinthiis, quibus & conficiẽdi corporis & sanguinis Christi modũ tradidit illa sublata particula de remissione peccatorũ. Quam obrẽ si in promissione remissionis peccatorum tota virtus missæ consistat, vti Lutherus opinatur, Paulus haud parua Corinthios affecisset iniuria, nimirum ipsos fraudãs omni penitus virtute toti⁹ missæ. Nec est credibile quin ipsum totũ, quod ante fuerat edoctus à Christo, Corinthiis exposuerit. Quo fit vt etiam nõ dissimile vero sit Christum illam particulam omisisse: id quod neutiquam feciſſet, si totius negocij virtus in ipsa promissione vi-

*Mat.26.*

*1.Cor.11.*

guisset.

Adde, quòd si tota Missæ virtus in promissione remissionis peccatorum consistat, sine hac nihil omnino fieret: quod falsum esse Lutherus ipse testabitur. Nã paulo post in libello contra regem affirmat non minus verè consecrare, si quis forma Lucæ, Marci, Pauli vteretur, quàm qui canonis istius impij & falsi vtitur. Sic enim effrons audet sacro missæ canoni conuiciari, impium & falsum illum appellans. Atqui certum est in forma quam Lucas, Marcus, Paulus tradunt, nec verbum quidem esse de promissione remissionis peccatorum. Quare nec in ea promissione tota Missę virtus cõsistit, neque Missa dici potest sola promissio remissionis peccatorũ. Id qđ adhuc denuo cõfirmabimus ex ipsius Lutheri verbis. Nã si Missa fuerit sola promissio, neque præter eam sit res vlla, cur toties Lutherus Missam promissionem vocat adiectam signis? Quid enim signis opus erit, si Missa fuerit sola promissio? Auferat ergo signa penitus, que planè res sunt, nempe corpus & sanguis domini. Nam citra hæc, promissio manet promissio. Quocirca si Missam appellet

*Confutatio*

promissionem solam, & promissio signis absumptis nihilominus extat: Missam etiam oportet fateatur extare, tametsi nulla remanserint signa. Nam & ante cæremoniam (quam nos Missam esse non ambigimus) & rursum postquam eadem sit finita, viget ipsa promissio. Nunquam enim ipsa promissio cessat, quum verbum Domini maneat in æternum. *Psal.118.* Quare manifestum est nec Missam dici posse promissionem solam.

Et quanquam sophisticè contendat, sacrificia vetera non fuisse promissiones, neque promissionem esse rem, negare tamen haudquaquam potest quin simul & promissio & res ad Missæ complementum exigantur. De promissione ipse confitetur: & de signis item quæ sunt res veræ, quin exigantur, nemini dubium esse potest ex his quæ iam diximus.

Sed & prēter hęc, quum ipsa res Missæ, hoc est prēsentia corporis & sanguinis Christi, nequeat haberi sine consecratione panis in corpus, & vini in sanguinem, subterfugere nullo pacto licet, quin is actus pariter ad essentiam

Missæ prorsus requiratur. Atque hoc est quod sæpe diximus, Missam nō esse quiddam simplex, sed in se multa complecti. Neq; multum refert, vnde Missæ nomen fuerit inditū, modò constiterit de re ipsa. Nam vt ostendimus illam cæremoniam quę phase dicta est, non accepisse nomen à quauis ipsius cęremoniæ parte, sed à trāsitu angeli qui pertransiit Hebręos dum Aegyptij percuterentur, atq; ideo phase dictam esse, id est transitum: sic & Missa dici potest ab externa quapiā ratione, neque est necesse vt ipsum vocabulum mox in frōte singula prodat, quę sub ipsa Missa fiant & gerantur.

VIII. Frustra igitur Lutherus in captiuitate sua Babylonica nobis imponere suis argutiis molitur, cum ex paupere similitudinem hanc introducit. Nullus (inquit) audet tantum insanire, vt dicat bonum opus facere eum qui pauper & indigens venit accepturus de manu diuitis beneficium. Quamobrem quum sit Missa beneficium promissionis diuinæ per manum sacerdotū omnibus hominibus exhibitū, ipsa nō potest aut opus aut sacrificiū esse. Hac similitudine Luther⁹ nos fallere conatur,

natur, quum alioqui plurimum interfit inter pauperem munus accipientem à diuite, atque sacerdotem qui consecrat munus vtique plebi distribuēdum. Plebs enim vicem pauperis gerit, & sacerdos vicem diuitis agit, hoc est ipsius Christi. Christus enim in cœna sacerdotis officiū vsurpauit, Eucharistiam consecrans, eandemque discipulis qui tum plebem referebant, administrans. Tunc enim discipuli recipiendo tantum & patiendo (vt Lutheri verbis vtar) exhibuerūt sese: Christus autem erat operator & consecrator, atque etiam immolator. Quid enim aliud sibi volunt Euāgelistæ, quum singuli memorent eum gratias egisse, quod & Paulus non tacet? Sed & idem officium quod ipse tunc exercuit, suis discipulis commēdauit agendum. Hoc, inquit, facite in mei memoriam. Quibus verbis & Lutherus fatetur tum apostolis Eucharistiæ consecrandæ tributam fuisse potestatem. Facere (inquit) est, hoc totū imitari quod ipse tunc fecit. Quando igitur ipse tum fuerat operator, consecrator, immolator, illos etiam operatores, consecratores, & immolatores huius sacrificij constituit.

*Mat.26.*
*Marci 14.*
*Lucæ.22.*
*1.Corin.11.*

*Sacerdos facit missam, sed plebs accipit eam.*

Sacerdos itaque quoties panem & vinum in Eucharistiam consecrat, Missam facit. Plebs verò quæ dum aguntur mysteria sacramentum accipit, non tanquam negocij gestores, Missę præesse, aut Missam facere, sed interesse Missæ dicuntur. Quá obrem & plebs ad instar pauperis est, qui solum accipit: at sacerdos qui velut hierarcha mysteriis præest, cũ sit inter Christum & plebem ipse mediator, nonnihil vtrinque repræsentat. Quatenus enim consecrat ac ministrat, Christum refert qui donat: quatenus autem accipit, eatenus cum paupere plebe communicat.

IX.

*Multa requiruntur ad Missam*

Iam igitur cunctis opinor dilucidum est, Missam præter ipsam promissionem remissionis peccatorum, alia multa requirere, quę quantum ad ipsius Missę substantiam attinet, longe plus habent momenti, quàm promissio quęuis. Nam Paulus epistola priori ad Corinthios, Missæ substantiam explicuit absque mentione qualibet remissionis peccatorum. Sed & remissio peccatorum etiam ex veteribus sacrificiis promittebatur, quemadmodum & hic remissio peccatorum pro-

1. Cor. 11.

mittitur, non quidem ob sumptionem sacramenti, quemadmodum sæpe diximus, sed ob virtutem sacrificij quod in Missa repræsentatur, nempe sacrificij crucis.

Species vtique panis in Missa Christi corpus refert, quod exangue pendebat in cruce: & species vini sanguinem, qui similiter in cruce fundebatur in remissionem peccatorum. Propter quod in mysticis illis verbis dicitur, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Atque ad hunc modum vetera nouis vel ad amussim quadrãt, quemadmodum & Mosi iussum fuerat, vt cuncta secundum exemplar faceret quod in monte viderat. Nam vt illic populus res quasdam offert, subinde sacerdos eas ipsas immolat, altare sanguine conspergens, mox igne quicquid est adipis adolet in altari, post hæc admiscet & preces, atque ita promittitur remissio peccatorum: sic & in hac noua cæremonia panis & vinum à populo consueuit offerri, subinde per sacerdotem igne cœlitus misso quicquid est adipis, hoc est intima panis & vini

*Matt. 26.*

*Conferũtur nouæ veteribus. Exodi. 25.*

ſubſtantia prorſus abſumitur, pane vinóque mutatis in ſacram euchariſtiam. Sanguis verò ſeorſum à corpore repreſentatus, quid aliud quàm iugulationem quandam & immolationem inſinuat? Calix interea madet ſanguine Chriſti: quo tametſi non reſpergatur altare, non eſt dubium tamen, quin ab illo nonnihil ſanctitudinis accipiat. Admiſcentur demum & preces: atque ita virtute tam eximij ſacrificij vera promittitur peccatorum remiſsio.

*Euchariſtiæ ſacramentum non ſumãt niſi pœnitentes.*

Quis iam nõ perſpicit illas figuras huic veritati prorſus reſpõdere, ac viciſsim veritatem iſtam vmbris & figuris illis? Nemo tamen ex hac cõparatione credat cuiquam ad hoc ſacramentum accedere licere, quem non ante verè pœnituerit. Nã ſi quum ad ipſa vetera ſacrificia accedebãt, confitebantur peccata ſua domino, quem admodum Num. 5. iubentur: multo magis ad hoc ſacrificium acceſſuri tenentur ſe prius expurgare, & dignè præparare, quũ ob hoc ipſum inſtitutum ſit abſolutionis ſacramentum. Nõ eſt ergo quod quiſquã ad euchariſtiam accedere præſumat cum peccati mortalis conſcientia. Nam eiuſmodi peccata per ſacramẽtum abſolutio-

nis expurgari pridem oportuit. Veruntamen hic delentur peccatorum reliquiæ, simul & peccata quorum inter confitẽdum non est habita memoria. Neque sacramẽtum istud, vt sæpe diximus, est signum remissionis peccatorum, sed vnionis est sacramentum, & incorporationis Christo, nõ remissionis peccatorũ. Aliud est enim præstare peccatorũ remissionem, & sacramentum esse talis remissionis.

## Quædam quę Lutherus falso impingit illustrissimo Regi, diluuntur. Cap. IX.

IAm satis abunde cõfectum est, opinor, Missam nõ esse promissionem solam, neque totam ipsius Missæ virtutem in promissione remissionis peccatorum consistere. Quamobrem & à veritate longe alienum est quod Lutherus cõminatur, nempe quòd nisi Missam obtinuerimus esse promissionem seu testamẽtum (vt ipse falso iactitat verba clarè sonare) totum Euangeliũ & vniuersum solatiũ amittimus. Nam & in- 1.

tegra nihilominus erit totius euangelij veritas. Sed neq; ſolatij quicquã eſt quod Lutheranũ commẽtum hominibus queat afferre, quod nõ iuxta communem totius eccleſiæ ritum & fidẽ ídque longe cumulatius q̃ pro Lutheri ſomniis exhibeatur.

*Corp⁹ Chriſti fieri per cõſecrationẽ nõ probatur ex nudis euãgelii verbis ſine pia interpretatione.*

Addam & iſtud, quòd niſi ritus eccleſiæ tot ſeculorum vſu, pariter & patrum aſſertionibus eſſet comprobatus, nec Lutherus neque alius quiſquam ex euangelij nudis verbis aduerſus proteruientẽ euinceret corporis Chriſti præſentiam in ſacramento fieri per cuiuſuis ſacerdotis cõſecrationem. Et quantum damnum eſſet nobis hoc ſolatio priuari, aut in hæſitationem aliquam leuiculam huius rei venire? At in iſtam inciderimus hæſitationẽ haud dubie, ſi cum Luthero nihil patrum interpretationi nihilq; conſuetudini cenſeremus deferendum. Veruntamen ex euãgelij verbis vnà cum aſſertionibus patrum, atque diuturna conſuetudine, præſertim in re tanti ponderis, nihil dubito quin euincetur aduerſum omnes, in Miſſa verè carnẽ & ſanguinem Chriſti conſecrari, donariq; fidelibus. Sed de iis rebus poſtea copioſius dicemus. Interea certum

habeamus, nullum in toto euangelio verbum esse, quo Lutherus valeat aduersus proteruientem firmare Missam esse promissionem, quod tamen ipse toties & tam magnifice iactitat.

Age iam excutiamus & istud quàm nõ erubescat homo impudẽtissimus Regi & mendacium & contradictionem impingere, quòd is hoc loco fateatur sese ad tædium vsque de testamentis & promissionibus à concionatoribus audiisse, & tamẽ postea cum de sacramento ordinis loquatur, neget vllam in tota cœna dominica esse promissionem. At in hoc plane mendacissimus esse Lutherus deprehenditur ab eo qui verba Regis illic scripta velit perlegere. Sunt enim hæc verba regis: Legatur locus de cœna dominica, non reperietur apud vllũ euangelistarum in susceptione sacramenti promissam gratiam. Legitur à Christo dictum, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionẽ peccatorũ. Quibus verbis significauit semetipsum in cruce per passionem redempturũ genus humanum. Sed quũ dixit ante: Hoc facite in meã cõmemorationem, nullã hoc facieti, *Matt. 26.*

II.

id est sacerdoti consecranti, neque eucharistiam recipienti, gratiam ibi promittit, nullam peccatorũ remissionẽ. Hactenus ipse rex. Quibus verbis palã est regem negare vel gratiã vel remissionẽ peccatorũ in missa promissam esse vel ei qui consecrat, vel ei qui recipit eucharistiã. Et hoc sanè verissimum est. Nõ negat tamẽ quin in ipsis verbis Missæ recenseatur promissio remissionis peccatorũ: quæ promissio, vt dicit, facta est propter effusionẽ sanguinis in cruce, & propter ipsam passionem, qua genus redemit humanũ, non propter esum sacramenti. Mendacium igitur est apertissimum, quòd rex negarit vllam esse promissionem in Missa.

*Luth. falsò ẽmponit regi contradictionem.*

Sed & istud quoque nihilominus mendaciũ est, quòd rex sibi ipsi contradixerit: quũ nihil repugnet concedere, se ab aliis audiisse de testamentis & promissionibus istiusmodi, & negare tamen quòd in missa fuerit vlla gratia seu peccatorũ remissio vel cõsecranti vel suscipienti eucharistiam aperte promissa. Rex vbique secum cõstat, & pro his quæ docet, aut scripturas aut rationes affert efficacissimas, quas vel aure surda Lutherus pertransit, vel

mẽdaciis &cauillis eludere conatur, quẽ-admodũ & in hoc (quod proximè ſequitur) manifeſtũ eſt. Nã ait regẽ citra vllam probationẽ aſſeruiſſe fieri à ſacerdotibus non modo id quod Chriſtus in cœna, ſed quod in cruce fecit. quod eſt haud dubie mendacium apertiſsimum. Nam rex ad id comprobandum duas affert ſcripturas, vtranque ex Paulo.

*Rex binæ autoritate probauit id a ſacerdotibus fieri quod Chriſtus fecit.*

Sed verba regis ſubiiciã. Si nobis (inquit) inſtet Lutherus, ſacerdotẽ offerre nõ poſſe, quia Chriſtus in cœna nõ obtulit: recordetur eorũ quæ dixit ipſe, teſtamentum inuoluere teſtatoris mortẽ, nec antè vires & robur ſumere, & tota perfectione cõpleri, quàm eo moriẽte qui teſtatus eſt. Quamobrẽ non ſolũ pertinẽt ad teſtamẽtũ quæ prius fecit in cœna, ſed etiã oblatio eiꝰ in cruce. Nã in cruce cõſummauit ſacrificiũ, quod inchoauit in cœna: eóque totius rei cõmemoratio, nẽpe cõſecrationis in cœna, & oblationis in cruce, vno celebratur ac repræſentatur ſacramento Miſſæ, atque adeo verius mors repræſentatur quàm cœna. Apoſtolus enim quum Corinthiis ſcriberet, Quotieſcunque panẽ hunc comederitis, & calicem biberitis,

III.

1. Cor. 11.

adiecit, non, cœnam domini, sed mortem domini annũciabitis. Hactenus ipse Rex.

*Rossensis.* In quibus verbis lector apertè vides regem testimonio Pauli communiisse quod dixerat, nimirum in missa verius mortem Christi repræsentari, q̃ dominicã cœnam. Annũciabitis (inquit) mortem domini donec veniat. Quam scripturam & nos ante latius tractauimus.

*Verba regis.* Sed audi iã alterã scripturã ex Luca, quã rex ad idipsum cõprobãdũ produxit. Verba regis sunt hęc: Negari nõ potest sacerdotem in Missa bonũ opus facere: quippe qui nõ aliud facit in missa, quàm Christus in cœna fecit & cruce. hoc enim declarãt verba Christi, Hoc facite ĩ meã cõmemorationẽ. Quibus verbis quid aliud volebat vt in missa repræsentarẽt ac facerent, quàm quod ipse faciebat in cœna, & cruce? Hucusque rex. Lutheri tamẽ tanta est improbitas, vt nihil pudeat asseruisse regem id dixisse solũ, & nõ probasse, quum tamẽ pro vna re duo scripturarũ testimonia Rex produxerit, vt iam ostendimus.

*Luca. 22.*

*Cauillum Luth.* Audisti mendacium lector, accipe nũc & cauillũ quod illico subiecit. Dico (inqt) ego contrà, manifestũ esse sacerdotes

in Missa id omittere quod Christ⁹ in cœna fecit, & id facere quod Iudæi fecerunt in cruce Christo. Nec dico hoc solũ, sed probo quoque. Nã qui verbũ dei peruertit & extinguit, is verè crucifigit filiũ dei: id quod faciunt omnes qui ex promissione opus faciunt, quũ hoc verè sit veritatẽ dei mutare in mẽdaciũ. Hæc Lutherus. "

*Confutatio*

Ego certè neminẽ hactenus audiui, qui promissionẽ opus fecerit. Neq; si quisquã id tutari vellet, quòd promissio fuerit opus: nõ video quomodo veritatẽ dei commutet in mendaciũ. At vnũ scio, quòd si peruertere & extinguere verbũ dei, sit filiũ crucifigere, Lutherus Christũ ita crucifigit, vt nemo magis. Nam ipse tam illud, Annũciabitis mortẽ domini, quàm illud, Facite in mei commemorationẽ, peruertere simul & extinguere conatur penitus.

*Luth. Christum crucifigit.*

Subinde non minus impudenter & sacrũ ipsius missæ canonẽ, tot seculis à patribus non minori eruditione quàm vitæ sanctimonia prẽditis honorificè cultũ, ipse cõtẽnit, ac pro nihilo ducit. Canonem (inquit) ego reiecci & reiicio, quòd prorsus apertè contra euangelium vocat sacrificia, quæ sunt signa dei promissionibus

IIII

adiecta, nobis oblata, à nobis recipienda, non offerẽda. Primum hic audis lector, quòd sacrũ reiicit canonẽ, quo nihil hactenus apud orthodoxos, exceptis euangeliis, antiquius habitũ est. Qui cõtẽptus (si nihil aliud esset) abũde monstrat quale monstrũ & quàm horrendũ sit Lutherus. At causſam subdit, nempe quòd prorsus apertè contra euangeliũ vocat sacrificia, quæ sunt signa dei promissionib' adiecta. Verũ istud apertissimũ est mendacium, quòd canon prorsus apertè contra euangeliũ ipsa dei signa vocet sacrificia. Proferat velim ipsum euangelij locũ, qui canoni tam apertè contradicat, id quod scio nũquam faciet. Nos autẽ abunde satis produximus, cur verus agnus Christus Iesus, verè sub illis panis & vini speciebus in altari sacrificetur. Et quid prohibet signa dei vocari sacrificia? Nam & in veteri lege quæ sacrificia vocantur, fuerũt itẽ & Christi per suam passionem immolãdi signa, simul & promissionibus adiecta, quemadmodũ superius ostendimus. Quid mirum igitur si panis & vini species, quæ non modo signa sunt carnis & sanguinis ipsius agni iam olim in cruce pro nobis

*Signa dei vocãtur sacrificia.*

*Species panis & vini vocãtur sacrificia.*

bis immolati, verumetiam eundem verè præsentem annunciant ob reficiendam eiusdem immolationis memoriam, quid inquam mirum est, si eiusmodi signa sacrificia vocentur? quando nusquam (quod tamen ob consequendam veram vitam oportuit) agn⁹ ille comeditur præterquam ex hoc sacrificio. Geminum itaque mendacium, vt ferè solet, Lutherus huc inuexit: alterũ, quòd signa ipsa nõ debeant vocari sacrificia: alterũ, quòd affirmet id tam prorsus apertè facere cõtra Euangelium. *Duplex Luth. mendacium.*

Quod verò subdit ideo signa hæc non esse offerenda, quòd nobis oblata sint, & à nobis recipienda, quid stolidius dici poterit, quum nihil penitus habeamus offerendum, quod nõ à deo prius accepimus? Sic enim Dauid deo confitetur. 1. Paralipomenon. 29. Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Et Paulus identidem ait: Quid habes quod non accepisti? Quare si nihil deo sit à nobis offerendum, nisi quod nõ accepimus, nihil vnquam offeremus. Præcluditur enim ad hunc modum omnis oblatio penitus, id quod apertissimè scripturis contranititur, quippe quæ passim hortantur *1. Cor. 4.*

vt hostiam aliquam offeramus deo. Quod si possit quidpiam quod à deo pridem accepimus, deo rursum offerri, quid vetat quo minus hunc immaculatum agnum, tam acceptabilem patri, quippe qui pro peccatis olim offerebatur, & ad nostram vtilitatem à deo nobis donatus sit, quid inquam vetat quo minus eundem rursus offeramus patri, ceu iuge quoddam sacrificiū, pro peccatis quæ quotidie facimus, quotidie redimendis? Nā etsi Christus semel oblatus fuerit pro peccatis omnibus abolendis, tamen oblationis illius meritum & fructus, non nisi mediis idoneis, peccatoribus omnibus applicatur. Alioqui nemo peccatorum fieret saluus, sed eūcti damnarentur.

*Filius patri offerendus.*

*Meritū passionis applicatur hominibus.*

Quod si Lutherus dixerit sufficere cuique suam fidem, neque ego refragor, vbi cætera defuerint. Verum vbi cætera queant obtineri, nec tamen conquirendi sufficiens adhibeatur diligentia, talem fidem ego minime suffecturam opinor, sed protinus ipsa negligentia deformari. Nam alioqui frustra non modò baptismus, verumetiam absolutionis sacramentum & Eucharistia quoque fuissent instituta.

*Sola fides non sufficit cuilibet adulto.*

Per hæc ergo sacramenta, passionis illius fructus peccatoribus communicantur. Nihil ergo, phibet quin sub signis Christus verus agnus offerri possit, quum hæc hostia nulla altera purior, nulla sanctior, nulla denique patri acceptior excogitari queat.

VI *Luth. mentitur omnia oblata fuisse incensa.*

Hic multis cõuiciis, multis insaniis, multis deniq; puerilibus ineptiis præteritis, ad illud solenne de sacris literis mendacium venio, quo Lutherus cõtendit nullum in lege fuisse sacrificium quod recipiebatur, & non penitus totum incendebatur. Mihi (inquit) satis. In lege quicquid offerebatur, totum incendebatur. Putat enim offerri nihil, quod nõ igne prorsus absumebatur, quum scripturæ palam asserant, nõ modo populum obtulisse sacerdotum manibus, verumetiam & ipsos sacerdotes immolasse lõge plũra quàm incenderint. Sed de populo prius exẽplum producamus. Leuit. 2. sic scriptũ est: Anima quũ obtulerit oblationẽ sacrificij domino, similа erit eius oblatio. Istud omnino de quouis offerente quantumuis laico debet intelligi. Porro sacerdotis officium erat, ex tota ipsa oblatione me-

moriale quoddam decerpere, mox ignibus exurendum, vt ibidem traditur. Nam paulo post sequitur, Ac deferet ad filios Aaron sacerdotis. Quorum vnus tollet pugillum plenum similæ, & ponet memoriale super altare &c. Ecce vides lector priuatum illum de populo prius ad sacerdotis manum offerre, deinde sacerdotem ipsum offerre denuo. Rursum in eodem capite sequitur apertius: Sin de craticula fuerit sacrificium tuum, æquè simila conspergetur oleo, quam offerens domino trades in manibus sacerdotis. Ecce traditio manibus sacerdotis oblatio dicitur, & oblatio domino facta. Quam (inquit) offerens domino, trades in manibus sacerdotis. Et continenter sequitur de sacerdote: Qui quum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare. Ecce vides lector quòd prius quàm id quod pro memoriali desumitur exurendum, totum illud pridem oblatum à laico dicitur oblatio: & denuo per sacerdotum oblatum, vocatur sacrificium.

*Memoriale quid significet.*

Cæterum ne in verbo memoriale scrupulus habeatur, Moses quinto

Leuitici, quid per hoc velit intelligi, docet apertius. Nam postquam pauperi ( qui non haberet quicquam viuum offerendum ) similam offerre iussisset, illico mandat vt sacerdos plenum ex ea pugillum hauriens cremet super altare in monumentum eius qui prius obtulerat: quodque residuum esset, sacerdos in suam partem acciperet. Ecce vides id quod incenditur, in eius memoriale & monumentum fieri, qui prius obtulerat. Bis igitur oblatum fuit, semel per laicum, & denuo per sacerdotem: tertio nonnihil ipsius oblati cremabatur. Sed & in eodem capite plenius aperitur non solum id offerri quod incenditur, sed totum quod apportatur ad manus sacerdotum. Nam iubetur ibi pauper, qui pecus non habeat, duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, alterum pro peccato, alterum in holocaustum. Offerebatur igitur vterque, sed alter tantùm incendebatur. At in re nimis aperta nimis laboramus: verùm istud ideo facimus, vt nemini non dilucidum sit quàm sit impudens Lutheri mendacium.

VII. Et quanquam ex his quæ diximus, aliquousque constet, etiam sacrificium aliquod in lege fuisse quod recipiebatur, & non totum incẽdebatur, quemadmodum de altero turture aut altero pullo columbarum apertissimum est: non grauabimur tamen & alia super hac re producere testimonia. Ego certè demiror hominem, qui tantam sibi de sacris bibliis peritiam arrogat, contrariũ asserere tam impudenter, quum in bibliis occurrant eius rei tam frequenter exempla. Nam Leuit. x. legitur ita sacerdotibus dictum: Tollite sacrificium quod remansit de oblatione domini, & comedite illud absq; fermento iuxta altare, quia sanctum sanctorum est. Ecce quòd reliquũ fuit præter oblationem domini, hoc est præter id quod incendebatur, sacrificium erat, quod & sacerdotibus in cibum fuit. Et quãquam aliqua pars totius exurebatur in memoriale, nihilominus ipsum totum erat deo verè sacrificatum. Nam vbi quispiam è populo sacerdotum manibus rem quamuis obtulisset, primum, si fuisset ipsa res inanimis, cuiusmodi simila est, siue cruda, siue cocta, frixáve, mox eandem sacerdos in sacrificium

*Sacrificiũ non semper comburebatur.*

offerebat, vt nuper diximus: atque ita demum portiuncula quadam eius sacrificij in altari exusta, quicquid residuum fuerat, ab ipsis edebatur sacerdotibus. Sic enim apertè iussit Moses Leui. 2. Quicquid (inquit) reliquum est, erit Aaron & filiorum eius sanctum sanctorum de oblationibus domini. Quòd si pecus offerendum esset à populo aut à principe, aut à priuato quouis, posteaquam sacerdotum manibus id semel oblatũ fuisset, tum sacerdos idem pecus immolabat in altari sanguinem eius effundens, & eodem altaris basim respergens, iamque hostia & sacrificium appellabatur. Postremò nõnullam eius partem sacerdos exurebat in memoriã ipsius muneris, si vel pacificorum hostia fuisset, vel victima pro peccato. Quicquid autem reliquum erat, sacerdotibus in esum vertebatur. Is ordo Leuit. 3. 4. &. 5. patet apertissimè. Quamobrem & Nume. 18. dominus ad Aarõ dicit: Omnis oblatio, & sacrificium, & quicquid pro peccato atque delicto redditur mihi, atque cedit in sancta sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum. in sanctuario comedes illud. Quid potest apertius dici? Propter quod & Moses, vti

Leuit. 10. traditur, iratus fuit aduersus Eleazar & Ithamar filios Aaron, quòd hircum oblatum pro peccato non comedissent, sed exussissent penitus. Cur (inquit) nõ comedistis hostiam pro peccato in loco sancto qui sancta sanctorum est? An nõ ex his verbis palam est idipsum quod edebatur, oblationem & sacrificiũ fuisse? Sed & Exo. 29. Panes (inquit dominus ad Mosen) qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonij comedent, vt sit placabile sacrificium, & sanctificentur offerentium manus. Ecce ipsa receptio & comestio panum, sacrificiũ illud effecit placabile, quo manus item offerentium sanctificabantur. Et Deutero. 18. scriptum est: Non habebunt sacerdotes & leuitæ, & omnes qui de eadem tribu sunt, partem & hæreditatem cum reliquo populo Israël, quia sacrificia domini & oblationes eius comedẽt. Falsum est igitur, quòd nullum in lege fuisset sacrificiũ quod recipiebatur, & non totum penitus incendebatur.

Cæterum & ex euangelio probemus hoc ipsum. Christus enim apud Matthæũ cap. 12. vocat sacerdotum opera, sacrificiũ. An nõ legistis (inquit) in lege, quòd sab-

batis sacerdotes in templo sabbatum prophanant, & crimine vacant? Et quomodo prophanãt, nisi faciẽdis sacrificiis? Nam & hãc eorum operam sacrificiũ appellat, quũ subdit: Misericordiam volo, & non sacrificium. At ob hæc quę incendebantur, solius ignis opera suffecit citra sacerdotum sudores. Sacerdotum labor erat potissimũ in iugulandis & excoriandis pecoribus: quod opus adeo sacrum fuit, vt nemini alteri præterquam sacerdoti liceret id facere. Quamobrem & palam est hoc opus à Christo vocatum sacrificium. Mendacissimum igitur est quod Lutherus affirmat, nempe quòd in lege quicquid offerebatur deo, totum incendebatur. Nec enim solum quod exurebatur, sed & quod edebatur ab ipsis sacerdotibus, erat verè sacrificiũ: nisi quis malit cum Luthero scripturas omnes peruertere, quàm assentire veritati.

Satisfecimus igitur (opinor) quæstioni Lutheranæ, qua tam arroganter quæsiuit, vbi reperiretur in lege sacrificium quod recipiebatur, & non penitus totum incendebatur. Palam igitur ex his est nihil omnino repugnare, quòd Christi corpus *Corp⁹ Chri*

*sti & sanguis vocatur sacrificium à nobis sumendum.*

& sanguiné in missa vocemus sacrificium. Et eadem identidem fateamur non solum antè nobis à deo donata fuisse, verùetiam à nobis rursus in cibum esse recipienda. Sic enim in ipsis typis factum legimus, nimirum in veteri lege, res videlicet à deo donatas, eidem rusum immolatas, demum à sacerdotibus in cibum sumi. Ex his iam discat lector quanta sit vel inscitia vel impudentia Lutheri. Inscitia primum, si tot scripturarum inscius fuerit, quarum notitiam vni sibi præ cæteris vendicat. Impudentia verò, si non ignorauerit, & tamè dissimulet, imò neget eas nusquam in lege reperiri posse.

Sed prolixiores quàm oportuit in re nimis dilucida fuimus. Veruntamen si (quæ sequuntur) meras amentias quibus Lutherus haud aliter, quàm furiis actus infernalibus debacchatur, persequi velimus, nimio certe lectorem quemuis afficeremus tædio. Quamobrem illis dimissis, ad ea quæ sunt maioris momenti transeamus.

INTERPRETATIONI quam de scripturis patres concorditer reliquerunt, fidē adhibendā esse.

Cap.

Cap. X.

HAud multo post hæc Lutherus cõtrouersiam quandã agitat, an videlicet præter scripturas vlla traditionibus patrum habenda sit fides. Quam sanè controuersiam Rex haudquaquam (vti Lutherus fingit) sed Lutherus ipse callidè mouit, quò regiis argumentis, quæ fuerant ob aliud institutum in medium allata, posset abuti cõmodius. Nam vbi Lutherus duobus potissimum, hoc est verbo Christi pariter & exemplo probare cõtendit Missam esse promissionem, Rex vtrumq; pluribus rationibus atque scripturis confutans, docet, neque verbum vllum Christi, neque exemplum quoduis, solidã eius rei præstare probationem. E quibus argumentis Lutherus quædam decerpsit, aliò contorquens quàm Rex instituerat, vt facilè quiuis lector iudicabit. Cæterũ quia Lutherus hanc cõtrouersiam introduxerat, ex eo iustissima nobis datur occasio iam præstandi quod antè pollicebamur, nimirum ostendendi, quòd intellectus Euangelij certius haberi potest ex inter- I. Euangelij

*sensus ex patrum interpretatione petendus est.*

pretatione patrum, & vsu nobis ab eisdem tradito, quàm ex nudis ipsius Euangelij verbis. Simulque patebit non posse ex ipso Euangelio probari missam esse promissionem.

II. Sed prius illud aggrediamur & doceamus, quòd citra patrũ interpretationem, & vsum nobis ab eisdem traditum, nemo probabit ex ipsis nudis Euangelij verbis sacerdotem quempiam his temporibus veram Christi carnem & sanguinem consecrare. Non q̃ res hęc iam ambigua sit, sed quòd eius certitudo non tam habeatur ex verbis Euangelij, quàm ex patrum (vt diximus) interpretatione, simul & vsu tanti temporis quem illi posteris reliquerunt.

*Ioan. Vviclef negat Christũ consecrasse in cœna.*

Principio si quis donauerit (quod tamen Vviclefus prorsus negat) Christum in cœna verè corpus & sanguinem suum ex pane vinoque confeciſſe, nequaquam ex hoc infertur, quòd vnusquisque sacerdos ita similiter panem in corpus, & vinũ in sanguinem permutabit. Nam Christus pleraque feciſſe non dubitatur, quæ iam nemo quãtũuis aut sanctus aut sapiẽs fuerit, queat efficere. Quamobrem, nisi fuerit in dictis verbis apertè promissum, quòd

quisquis siue laicus siue sacerdos eandem rem tentauerit, idem effectus sequetur, nulla nobis aderit huius negocij certitudo. Sed eiusmodi nihil in Euangeliis, vt patebit, est ꝓmissum. Sic enim refert Matthæus: Accepit Iesus panem: & quum egisset gratias, fregit ac dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. & accepto poculo gratiis actis dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus qui est noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionē peccatorum. Hactenus Matthæus, qui & solus testamēti noui meminit. Neque vllum hic verbum positum est quo probetur, in nostra missa veram fieri carnis & sanguinis Christi præsentiam. Nam & si Christus ex pane carnem suam, & ex vino sanguinem effecerit, non ob id consequitur, virtute alicuius verbi hic positi nos quoties idipsum tentauerimus, idem effecturos. *Matth. 26.*

Matthæus itaq; nihil facit ad huius rei probationem, ac multo minus ad Lutheri commentum, quo contendit ipse Missam esse testamentū nouum, vti sæpe diximus. Neque enim scripsit Matthæus: Hic sanguis est testamentum nouum, sed hic est

sanguis testamenti noui.

*Marc.14.* Marcus item nihil confert, qui de remissione peccatorum nec verbũ quidem faciẽs, in cæteris ferme cõsentit Matthæo. Quamobrẽ nec ille aut huic instituto aut Lutheri figmẽto conducit quicquam. Sed Lucas (inquit) & Paulus rem satis aperiunt. Istud iam excutiamus. Primum, hi nil omnino de remissione peccatorum loquuntur. Quare & dilucidum est, quantum ad promissam remissionem peccatorum attinet, nihil eos iuuare Lutherum. Quamobrem & clarissimum est, non posse Lutherum ex toto Euangelio probare, Missam esse promissionẽ remissionis peccatorum. Sed dicet: Ex Luca pariter & ex Paulo manifestè colligitur, sacerdotes ex pane simul & vino carnem ac sanguinem Christi conficere. Nam vterque narrat dixisse Christum, Hoc facite in mei memoriam. At istud apud eum, qui nihil præter scripturas admittit, neutiquam probabit institutum. Nam vt largiamur Christum apostolis dixisse, non propterea cõsequitur quòd omnibus eorum posteris eandẽ tradiderit potestatem. Nam & illis data fuit potestas eiiciendi dæmones, morbos-

*Anthypophora.*
*Luca.22.*
*1.Cor.11.*
*Matth.10.*
*Marc. 3.6.*

que curandi, quæ iam in illorum vicarios haudquaquam competit.

III. Adde, quòd in Euangelio nonnulla legũtur apostolis dicta, quæ non conueniant omnibus, cuiusmodi & istud est: In viam gentium ne abieritis. Quoniam igitur illud nusquam in toto legatur Euangelio promissum, iam planè deest quo probemus, quicquid in cœna dictũ erat apostolis, id etiam cunctis eorum posteris fuisse dictum. Quòd si nequeat hoc de vicariis apostolorũ comprobari, multo minus id de quouis alio Christiano conuinci possit, quum & apostolis & eorum vicariis multa fuerant tradita, quæ non ad omnes pertineant Christianos. Non potest igitur per vllam scripturam probari, quòd aut laicus aut sacerdos quotics id negotij tentauerit, pari modo cõficiet ex pane vinoque Christi corpus & sanguinem, atque Christus ipse confecit, quum nec istud in scripturis contineatur. *Matth.10.*

*Cõsecrationis fides ex priscorũ pẽdet eruditione.*

Ex iis (opinor) nemo non intelligit, huius rei certitudinem, non tam ex Euangelio pendêre, quàm ex vsu & consuetudine quæ per tot secula nobis ab ipsis primis patribus commẽdata est. Sic enim ip-

sis, docente spiritu sancto, visum fuit hanc Euangelij partem nobis interpretari. Sicque suis temporibus vtendam arbitrati sunt: vt iam quisquis aut alium sensum aut vsum velit introducere, is omnino repugnabit spiritui sancto, cuius instinctu priores patres hunc ritum & cæremoniam in Eucharistiæ consecratione tradiderunt. Nam persuasissimum esse potest ei qui nõ ignorat euangelium, spiritum sanctũ (qui datus est ecclesię perpetuº instructor) nũquam in re tanti ponderis fuisse passum ipsam errare tanto & tam prolixo temporum successu.

IIII. *Magis fidendum est consuetudini probatæ quàm nudis euangelij verbis.*

Cæterum vt confirmetur illud quod diximus, nempe maiorem habendam esse fidem vsui diuturno, quem à primis ipsis patribus ecclesia certò traditum confidit, quàm nudis ipsius Euangelij verbis, adiiciam exemplum aliud. In verbis Euangelij quæ supra recensuimus, duo sunt dumtaxat, nempe factum Christi, & mãdatum de sic faciendo. Ego verò iam alia verba Christi producam, in quibus præter factum & mandatum adiicitur & tertium, nempe promissio, nec tamen his diebus vllus ex eis effectus sequitur. Proferam inquam

inquam ex Euãgelio quiddam, quod olim Christus ipse fecit, quemadmodum & illud consecrationis opus Euangelistæ referunt feciſſe Christum. Deinde quòd & idem opus apostolis iubebat facere, quẽadmodum & Lucas & Paulus illic docẽt mandaſſe Christum vt ita facerent. Denique præter hæc in eisdem verbis ostẽdam promisisse Christum, vt effectus ex conamine futurorum Christianorum palam sequeretur. Id quod in cœnæ dominicę verbis nusquã scribitur CHRISTVM fuisse pollicitum. Et quanquam hæc omnia tradita sint in Euangelio, & vnius effectus gratia, nunquam tamen his diebus aut quàm rarissimè talis euenit effectus. At video præstolaris lector quidnam exempli sim productur⁹. Accipe quid id sit. docent Euangelia Christum eiecisse dæmones, illuminasse cæcos, ægrotos sanasse. Ecce factum. Apostolis insuper mãdasse, quatenus ipsi facerent eadem opera. Sic enim Lucas scribit: Conuocatis autem Iesus duodecim, dedit illis potestatem & authoritatem super omnia dæmonia, & vt morbos sinarent. Ecce iussum. Iubetur enim apostolis vt similia faciant. Datur

*Miracula Christus fecit, quæ & apostolis facienda commisit, cum certitudine effectus.*

*Lucæ.22.*
*1.Cor.11.*

*Lucæ.9.*

enim eis potestas eadem faciendi quæ fecit Christus. Sed aduerte simul & tertium, promissionem videlicet factam effectus secuturi, atque cunctis qui creditturi essent in CHRISTVM. Signa, inquit Christus apud Marcum, eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquẽtur nouis, serpentes tollent: & si mortiferũ quid biberint, non eis nocebit. super ægros manus imponent, & bene habebũt. Ecce tertium, promissionem videlicet, quam certè nullum his diebus effectũ sortiri dilucidè cernimus. Nemo enim est qui iam aut dęmones corporaliter eiicit, aut sanat morbos: & tamẽ ambigimus minime quin hodie plurimi sint qui fidẽ habeant. Quod si nullus iam effectus ex hac promissione sequatur, vbi tam factũ quàm iussum Christi præcesserit, quam certitudinem habebimus ex illis verbis in quibus non certo promiserit succesſuris sacerdotibus consecrandi potestatem?

*Marc. 16.*

Sed dicet forte quispiam: Inanis igitur erit promissio Christi? nequaquam. Non enim voluit Christus promissionem hãc efficaciã habere perpetuã, sed pro tempo-

*Promissio miraculo-*

re nascẽtis & adolescẽtis Ecclesiæ. Quod tamen ex ipsis Euangeliis haudquaquã didicimus, sed ex vsu & interpretatione patrum dũtaxat. Cõmuniter enim in ipsis Ecclesiæ primordiis à verè credentibus hæc facta sunt ad corroborandã Euãgelij fidẽ. *rum oportunè impleta est.*

At postquã fuerat euãgelica doctrina per totum orbem vsquequaque diffusa, nihil deinceps opus fuit eiusmodi miraculis. Veruntamen si nudam Euangelij lectionem sequeremur, certũ haberemus hodie neminem verè credere, nisi qui posset ea ipsa signa facere, hoc est & eiicere dæmones, & sanare morbos, quũ Christus tã apertè sit pollicitus, & eos qui crediturĩ forent, hæc signa subsequerẽtur: hoc est, vt per ei⁹ nomen dæmones eiicerẽt, morbosq; sanarẽt. *Non semper miraculis opus est.*

Quis itaque non ex iis iam planè perspicit, maiorẽ vsui & interpretationi scripturarum nobis concorditer ab ipsis patribus relictæ, quàm nudis ipsius Euangelij verbis adhibendam fidem? *Conclusio.*

Cæterum quid hic Lutherus forte cauilletur, nũc præuideamus. Fortasse dicet & hodie promissionẽ istam effectũ sortituram, si nõ defuerit fides. At velim istud dicat explicatius. Nam deesse fidẽ, tripha-

## V.

*Tẽpora nostra non carent miraculis ob fidei defectũ*

riam intelligi potest. aut ꝙ ipsa fidei sub-
stãtia, hoc est, quum nulla penitus fides in
mundo fuerit: aut pro fidei magnitudine,
hoc est, quòd non sit tanta fides in quouis
homine, quanta sufficiat ad agẽda miracu-
la, & quã tam habuerant illi prisci: aut de-
niq; pro qualitate fidei, quòd scilicet ob
inopiam & defectũ fidei viuæ & formatæ
res nõ succedat. Non est, opinor, dicturus
primũ, nisi prorsus insaniat, quãdo palam
est multos credere confiteriq; Christum.
Neque secundum affirmari potest, quum
non sit credibile, quin hodie tãta sit fides
in vno aliquo totius Ecclesiæ mẽbro, quã-
ta fuerat tũc in singulis. Nam singulo cui-
que credituro promissum erat, ꝙ eum illa
signa sequerentur. Neq; tertium dici po-
terit, nisi quisquam asserere velit Christũ
frustra fuisse mortuum, quum ob id ille
mortem obierit, vt nos fide viueremus.

Cæterum quouiscunque modo fidem
acceperit Lutherus, si nequeat ipse mira-
cula nobis edere, suopte iudicio confite-
tur sibi deesse fidẽ, de qua tamen alioqui
toties iactitat se certissimũ esse quòd eam
habeat. Quod si Lutherus ipse tanta fide
careat, nihil tamen ambigo quin in tota

prorsus Ecclesia quisquã fuerit, cuius fides æque vera, viua grataq; sit deo, atque fuerat aliquorũ fides, qui pridem eiusmodi miracula patrauerant. Nam ad eiectionem dæmonum sufficiebat olim fides non formata, quemadmodum ex euangeliis aperte constat. Multi, inquit Christus, dicent mihi in illa die, Domine domine nõne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc cõfitebor illis, quia nunquam noui vos. Ecce fides horum haudquaquã viua grataq; fuit, & tamen eiecerunt dæmonia, complureſque alias virtutes patrarunt. Quicquid igitur Lutherus dixerit, idem periculum eueniet, ne quis iam ex pane vinoque carnem & sanguinem Christi cõficiat, sicut ne dæmones eiiciamus, quandoquidẽ & illud opus magis arduum sit, nimirum ex pane Christũ facere, quàm eiicere dæmonem. Quamobrẽ quum illa verba quibus in re minoris mometi Christus adeo dilucidè promiserit effectũ subsecuturũ, iam frustrari videamus, nec effectum sortiri, multo magis in re maioris põderis, & vbi nulla promissio facta sit, metus esse

*Ad miraculorũ operationẽ nõ requiritur fides formata.*

*Colligit nihil certum ex verbis Euãgelij de consecratione colligi.*

potest, vt ob defectum fidei non eueniat, quod iubebatur duntaxat, non item promittebatur.

VI. *Hic nonnulli refutãtes patrum interpretationes, blasphemant Euangelia esse nudas fabulas.*

Hæc iccirco dixerim, ne quis nudis ipsius Euãgelij verbis pertinacius adhęrear, spreta patrum interpretatione, quẽadmodũ Lutherus facit, vsum & interpretationẽ à patribus Ecclesiæ traditã nihili pendens, & nuditati verborum insistens, quæ non sufficiunt ad id quod velit conuincẽdum. Nam vsus quẽ patres vnanimiter approbarunt, plerumq; multo certius docet quid sit amplectẽdum, q̃ ipsa Euangelij verba, quẽadmodũ in ipsis opinor exẽplis per nos ante productis abũdè patuit. Nam ex priori exẽplo dilucidũ fuit conuinci minime posse, quòd vel apostolorũ successores, vel singuli Christiani, vel soli demum sacerdotes cõficere queãt Eucharistiam, & ex pane vinoq; corpus & sanguinem Christi cõsecrare. Nunquã enim hoc Vviclefus ex illis verbis admisisset, neque alius quisquam qui velit nudę literæ contentiosius inhærere.

Sed neque ex posteriori exemplo quis effugiet, qui nudum verborũ sensum amplectitur, quin aut concedat neminem his

temporibus parē cuiuis illorum qui fuerant in primitiua ecclesia fidē habere, aut plane iā esse fruſtratā Christi ꝓmissionē.

At prꝫcipuè Lutherus id subterfugere nequit, quū is tam apertè neget quicquā vel à Paulo, vel ab euangelistis traditum, quod nō ex æquo pertineat ad oēs Christianos. Quod si verum sit, tum ad nos qui iam hac tempestate sumus, æquè spectabit ipsa Christi promissio de miraculis faciendis, atq; ad illos qui primi fuerant in Ecclesia. Quāobrem quū nemo suꝫ fidei iam eiusmodi fructū experiatur vel in se, vel in quouis alio, palā est aut iam nō vigere promissionem illam Christi, aut si vigeat, non extare nunc in vllo homine tantā fidem, quāta passim in singulis olim fuerat Christianis: quod neutiquā est credibile.

VII. Manifestū est igitur id quod ante polliciti sumus ostēdere, nempe ꝙ diuturnus vsus, & cōcors patrū interpretatio, nemine dissidente, solidiorē præbent certitudinem, quē in modū intelligi debeat obscurus quiuis Euāgelij locus, q̄ ipsa nuda verba, quæ variè possunt à cōtentiosis ꝓ suo cuiusq; placito detorqueri. Neq; enim dubito quicquā, quin is qui studia consiliaq;

*Spiritus ſancti inſtinctu euangelia recepta ſunt & interpretata.*

patrũ adeo fulciuit ne lapſi fallerentur in diſcernendis veris Euangeliis, ab iis quæ fuerant cõmentitia: eoſdẽ etiã illuſtrauerit, ne totam Eccleſiã per eorundẽ Euangeliorum vſum & interpretationẽ in tam impios errores abduceret. Nam quid profuiſſet Eccleſiæ, verum Euangelium à cõmentitio diſcreuiſſe, niſi pariter & ipſius veri Euangelij verus intellectus nobis innotuiſſet? Quamobrem vt euangeliis patrum vnanimi conſenſu receptis indubitatam fidẽ adhibuimus, ita par eſt vt vſui & interpretationi per eoſdem Eccleſiæ concorditer exhibitis, credamus inhæſitãter. Neq; minor certitudo nobis eſſe debet quòd recta ſit ipſa Euangelij interpretatio, quæ per patres (nemine diſſentiente) nobis tradita eſt, quàm quòd ipſum euangelium per eoſdem nobis exhibitum, pro vero ſit habendum Euangelio. Nam & idem vtrobique ſpiritus, illorum animis vtriuſq; ſuggeſsit veritatem, hoc eſt tam Euãgelij, quàm vſus & interpretationis eiuſdem. Errare quidem poteſt vnus aut alter patrum, non diffiteor, homines enim ſunt: ſed vt omnes inſimul aberrẽt, atq; adeo turpiter hallucinẽtur in his quę

*Eccleſia nõ errat circa fidem.*

sunt fidei, neque benignitas spiritus, qui perpetuus Ecclesię custos datus est, neque verax Christi promissio de fide nunquam defectura, per tot annorum centenarios passa fuisset. Quamobrem vt per Ecclesiã & Ecclesiæ patres certò nobis innotuit quodnam sit verũ, quódve sit fictum Euãgelium, ita per eosdem haud minus innotesceret, qui sit verus vsus, veraque Euangelij interpretatio: quum eisdem instrumentis, hoc est patrum linguis spiritus ille sãcer tam in Euangeliorũ discrimine quàm in sensuum interpretatione fuisset vsus. Ego sanè cum Augustino liberè clamo, me nec Euangelio crediturum, nisi quòd Ecclesiæ patribusque credam. Sed neque aut his aut illi fidem haberem, si non certo siderem & hos & illam à spiritu gubernari. Spiritus vtique sic Ecclesiam gubernat, vt eam prorsus vniuersam in rebus fidei necessariis non sinat errori diuturno subiacere. At Ecclesiam spiritus ipse non instruit nisi per linguas patrum. Quamobrem quum ab his edocta sit quodnam prę cæteris euangelium amplecti debeat, ab eisdem identidẽ & eiusdẽ interpretationẽ omnino conuenit obtẽperanter accipere.

## DIIVDICATIONEM dogmatum ad patres potius quàm ad plebem spectare.

### Cap. XI.

SVpereſt adhuc in loco quidam error cõuellendus, de quo Lutherus haud mediocriter gloriatur, nẽpe quòd ad plebẽ ſpectat de dogmatib⁹ iudicare. Sic enim ait: De doctrina (inquit) cognoſcere & iudicare pertinet ad omnes & ſingulos Chriſtianos: & ita pertinet, vt anathema ſit qui hoc ius vno pilo læſerit. Ecce quàm captet & aſſentetur plebi. Plebeio certè fauori, quem ſtultũ iudicem nemo vnquam ſapiens non planè cẽſuit, Lutherus totus innititur. Animaduertit enim callidus vcterator plebẽ ſuis peſtiferis opinionibus applaudere, atque ideo iudiciũ plebis tanquam oraculum quoddam ſolidiſsimum extollit, & ſacris ipſis literis fulcire conatur. Sed de populari fauore ſatis appoſitè dixit Seneca: Malis artibus fauor popularis quæritur. Et certè peſsimis artibus Lutherus populum ſibi conciliauit, quum ſolam fidem ſufficere doceat, nec

satisfactionem pro sceleribus quantumuis enormibus exigat, sed absolutione simplici (modo firmiter ei credatur) non solum culpam, verumetiam pœnam omnem deleri, tam impudenter quàm etiam perniciosè contendit. Et cuius animum, quanquam alioqui rectè sapientem, hæc tanta flagitiorum impunitas, & in omne vitium licentia permissa, non facilè peruertat, alliciatque ad sequelã? Ac maximè plebeiorum animos, qui leues & incõstantes semper esse consueuerunt, atque ad deteriora paratissimi. Quale fuerit iudicium populare, satis constat ex Ethnicorum historiis. Neque enim Camillus aut Scipiones à Romanis, neq; Lycurgus à Lacedæmoniis, neque ab Atheniẽsibus Solõ tantam iniuriam fuissent passi, si iudicio integro & incorrupto fuissent eorum ciues. Nec de Ethnicis tantum loquor, verum etiam & de populo dei, quem & deus ipse peculiarem sibi fecerat. An non legimus Hebræorum populum, posteaquam eductus fuerat à misera qua apud Pharaonem detinebantur seruitute, post tot portẽta pro eis ostensa, post tot exhibita eisdem beneficia, nihilominus ad idololatriam de-

*Exempla Ethnicorũ.*

*Exempla legis veteris.*

*Exo. 1. 32.*

clinasse, atque deo vero posthabito vitulum adorasse conflatilem? Hoc scilicet egregium & præclarum eorum iudicium fuit, quòd spreto vero deo, qui tot prodigiis eos ab Aegyptiaca seruitute liberauerat, fictitium vitulum, deum suum arbitrati sint. Sed veniamus ad nostra. Num idem populus qui Christi sermonibus pariter & miraculis allectus credidit, omnibus honoribus illum dignum arbitratus, intra vnius hebdomadæ spacium sic ab eo fuerat alienatus, vt tollendum & affigendum cruci plusquam insana rabie conclamauerit? Paulum item & Barnabam quum essent Lycaoniæ (quod in actis refertur) populus auditis eorum sermonibus & visis miraculis tanto in precio habuerũt, vt vix compesci valuerint, quin illis tanquã diis immolarent: cæterum sequenti die sic immutati fuerant, vt Paulum lapidibus obrutum, velut mortuum reliquerũt. Sed & Christianum populũ quis ignorat per hæreticorum dogmata sæpenumero delusum, & à tramite veritatis abductum fuisse? An non Donatistæ gloriati sunt multo maiorem populi partem sibi quàm orthodoxis assensum præbuisse? Et quoties quę-

*Exempla Euangelii. Matt. 21. 27.*

*Act. 14.*

*Exempla à populo Christiano.*

so vel sola populi multitudine Arriani cõtra orthodoxos præualuerint? Tanta certe fuit inconstantia iudicii popularis, vt nunc vera fidei dogmata, nunc apertissimas hæreses approbarent. Quæ res apertior est, quàm vt negari queat. Nam Athanasius dum viueret, totum Alexandrinensem populum aduersus Arrii dogmata sibi coniunctissimum habuit, quibus & moriturus Petrum virum orthodoxum, & pro fide catholica plurima perpessum, ceu futurum Episcopum obnixius commendauit. Illi tamen (tanta fuerat eorum inconstantia) Lucium quendam Arrianæ partis Episcopum admiserunt: id quod neutiquam feciissent, si recto fuissent siticeróque iudicio. Sed eiusmodi multa cõperiet quisquis illorum temporum percurret historias. Nunquam certe vel Arrij, vel Aetij, aut Eunomij vesania, Sabellij, Photini, Paiuli Samosateni, aut denique Macedonij venenũ à Christianis receptũ fuisset, si nõ defuisset eis iudicij integritas.

II. *Iuditium de dogmatibus nõ est plebi deferendum.*

Sed & quomodo fieri potuit vt tã subtilia dogmata discerneret populus, quæ vix ab illis qui plurimum essent in scripturis exercitati, diiudicari valuissent?

Perfectorum enim est cibo solido vesci, cuiusmodi sunt, vt ait Paulus, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni pariter & mali. Quibus verbis plane manifestat Paulus, non ad plebem super dogmatibus iudicium attinere, vt discernant quæ sana sint, & quæ pestifera dogmata. Paucorum semper & perfectorum (hoc est spiritualium) id erat officij, potius quàm multitudinis, quæ lacte magis alenda est, quàm solido cibo, quemadmodum
*Heb. 5.* & Paulus eodem testatur loco. Facti (inquit) estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Neque enim qui credunt cuncti sunt vsque adeo spiritales, vt de fidei dogmatibus ilico iudicare queant.
*1. Cor. 1.* Nam Paulus tametsi Corinthios laudasset velut in omnibus diuites effectos, in omni verbo & in omni scientia, ita vt nihil eis defuisset in vlla gratia, mox tamen eos velut carnales arguit, & quibus lacte sit opus. Ego (inquit) fratres
*1. Cor. 3.* non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed

nec nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis. Ecce quos Paulus ante prædicauit vsque adeo ditatos, vt nihil eis deesset in vlla gratia, iam carnales vocat, negátque adhuc vesci posse cibo solido.

Verum istud prorsus non de eisdem accipiendum est. Erant enim in eo populo spirituales aliquot, apud quos Paulus & ipse quoque spiritualis tanquam ad perfectos dei sapientiam in mysterio loquitur, quæ recondita quidem est.

Erant præterea carnales quidã & crassi, & hi longe plures quàm qui perfecti spiritualésque fuerunt.

De spiritualibus igitur & perfectis intelligit Paulus quum dicit, quòd spiritualis omnia diiudicat.

De carnalibus autem & imperfectis ait: Animalis homo non accipit ea quæ 1. Cor. 2. sunt spiritus dei, neque potest cognoscere quòd spiritualiter ea diiudicantur.

Palam igitur ex his est, quum sit carnalium & crassorum numerus longe maior quàm spiritualium & perfectorum, non ad multitudinem pertinere iudicium de

dogmatibus quæ ſpiritualiter fieri debẽt, & à ſpiritualibus, vtpote qui per longam
*Hebr. 5.* aſſuefactionem (vt Paulus ait) excercitatos habent ſenſus in ſcripturis ad diſcretionem boni pariter atque mali.

Adde quòd nec Lutherus ipſe tantum tribuiſſet multitudinis iudicio, niſi quòd in rem ſuam id plurimum facere ſibi perſuaſerit. Nam & alibi contemnit multitudinis iudicium. In captiuitate namque Babylonica dicit: Quid mihi cum multitudine & magnitudine errantium? Fortior omnium eſt veritas. Ecce hic ſoli confiſus ei (quam opinatur) veritati, pro nihilo ducit quòd multitudo ſibi aduerſetur. Sed dicet de multitudine errantium hic ſe fuiſſe locutum, non de ſuo grege, quem neutiquã errare contendit. Sed quomodo iſtud probat? Non aliter certè quàm Arrius & ſequaces ſui probant ſeipſos errore vacare. Afferunt enim ſcripturas, ſed quas ipſi pro ſuo ſenſu perperam interpretantur. Si talibus ſcripturis per vim contortis fides adhibenda ſit, iam Lutherus recte docet non errare Lutheranos.
*Lutherus per vim cõ torquet ſcripturas.* Sed tolle ſcripturas, quas ita prauè contorſit, & quid aliud erit Lutherus quàm peſti-

pestilẽtissimus hæresiarcha? Et quid grex Lutherianus, quàm populus à recto veritatis tramite seductus, & actus in præcipitium? Cæterùm in hac re Lutherus nihil à suis progenitoribus degenerat. Refert enim Socrates in historia tripartita, quòd quum optimi principis Theodosij studio pax fuisset ecclesiæ reddita, & Nouatiani relictis erroribus ad ecclesiæ gremium rediissent, maximáque pars Arrianorum, Eunomianorum, atque Macedonianorum ab hæresibus suis resipuisset, paucis exceptis Episcopis, qui plane contumaciter in sua vesania perstiterunt: hi quamquam antea de multitudine sui sequacium gloriati fuissent, tunc tamen ab ipsis derelicti, mutuo se consolabantur, illud Christi recensentes, Multos quidem esse vocatos, paucos autem electos. Sed operæprecium erit eiusdem historiæ verba subscribere. Sic enim illic habetur: Admiratus princeps, eorum (hoc est Nouatianorum) concordiam circa fidem, lege præcepit vt propria oratoria tenerent, & priuilegia suæ ecclesiæ atque fidei possiderent. Verum aliarum religionum Antistites propter discordiam suam

*Hæretici aliquando cõmendant multitudinẽ, & quãdoque dãnant.*

*Matt. 22.*

*lib. 9. ca. 19.*

in repræhensionem sui populi venientes æstuabant, tristitiáque confusi discedebant, & literis consolabantur alteri alteros, vt non cruciarentur quòd plurimi deficientes ad fidem τοῦ ὁμοουσίου accederent, dicentes, Multos quidem vocatos, paucos autem electos.

Quod certè tum non dicebant, cum multum populum per potestatem sibi ipsis aggregarent. Hactenus ex historia. Ex quibus verbis apertè liquet Arrianorum Episcopos nunc quidem laudasse, nunc verò damnasse multitudinis iudicium.

Ad quem modum & Lutherus nunc facit. Quando libet, & quoties in rem suam id faciat, multitudinis iudicium approbat: & rursus quando non libet, eorũ iudicium contemnit & damnat. Sed vt ad rem veniamus:

III. *Non est stãdum iudicio populi.*

Si iudicio populi standum fuerit, cur populo non æquè credimus dum Arrij, Eunomij, aut Macedonij dogmatibus acclamat, atque dum veram orthodoxorum patrum approbat doctrinam?

Neminem enim reor vsqueadeo desipere,

sipere, vt tum cum hæreticis populus applaudat, hunc rectum habere iudicium asserat: & contrà quum faueat orthodoxis, iniquum.

Quamobrem quum exploratissimum habeamus eundem populum nunc pro orthodoxis, nunc pro Arrianis, nunc pro Macedonianis, nunc pro aliis hæresum authoribus iudicasse, quis vnquam sapiens populi iudicio standum esse decernet, & maximè, quum nulla dari queat ratio, cur vno tempore fides illius calculo, magis quàm altero firmiter adhibebitur?

Præterea libet hic à Luthero scisciari quid sibi velit per iudicium intelligi, quum dicat populum habere ius iudicandi.

Si ius intelligat assentiendi verbo dei, nihil refragor.

Populus enim eiusmodi ius habet, vt credat & assentiat.

Sin dixerit eos item ius habere dissentiendi si velint, falsum id est, quandoquidem sic assentire teneantur, vt dissentire non liceat.

*Non licet dissentire à recte docentibus.*

*Luce. 1.* Nam & Zacharias ob id mutus effectus est, quòd verbo dei per angelum prolato non protinus assenserit. Et gentes in hoc laudantur, quòd in auditu auris obediuerint. Sed & Christus in Euangelio dicit: Super cathedram Mosi sederunt scribæ & pharisæi. omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite. Neque magis plebi Christianæ iam dissentire licet his qui docendi cathedram in ecclesia Christi legitimè susceperunt, quandiu nulla hæreseos aut falsi dogmatis laborent suspicione, sed omnino necesse est vt his præsidibus ritè vocatis fidem indubitatam adhibeant. Alioqui quot hæsitationes, quantas turbas, quantásque confusiones eam rem excitaturam quis non videt? Non de his loquor qui seipsos ingerunt non legitimè vocatos, aut qui manifestè contraria docent, & scripturas interpretantur contra sensum antiquorum patrum. Nã de his intelligi potest quod Ezechiel ait: Væ prophetis insipientibus, qui spiritum sequuntur suum. Et quod apud Heremiam dicitur: Non misi eos (ait

*Psalm. 17.*

*Matt. 23.*

*Non licet dissentire à rectè docẽtibus.*

*Ezech. 13.*

*Hiere. 27.*

dominus) & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter. Nemini dubium sit, eos qui huiusmodi sunt, falsos esse prophetas, hoc est qui sese ad concionandum populo non legitimè vocati ingerunt, quique manifestè contraria docent his quæ nobis vnanimiter ab orthodoxis patribus sunt tradita. Nec est quod obiiciant nobis, Multa ab eis fuisse dicta, quæ in scripturis nequaquam continentur. Nam & hoc Arriani pridem orthodoxis obiecerunt, nempe quòd consubstantialitatis vocabulum non erat in tota scriptura sacra repertum. At hi pro sua defensione satis habuerunt, vti refert Athanasius apud historiam tripartitam capite septimo, quòd priores orthodoxi qui se præcesserant, idem vocabulum vsurpassent. Vbi & videre licet callidissimas Arrianorum interpretationes de scripturis factas, quas à captu & iudicio populi tantum abfuisse constat, vt nisi ab oculatissimis & perspicacissimis ingeniis vix potuissent deprehendi.

*Orthodoxi vtũtur vocabulis quæ ab antiquis olim reperta sunt.*

IIII. Cæterum videamus quid in vtroque testamẽto patres fecerint, an ad iudicium

de dogmatibus accersierint plebem, nec ne. Certum est apud Israeliticam gentem fuisse septuaginta seniores, quibus quoties aliquid ambiguitatis emergeret, fides adhibebatur: nec licebat cuiquam illis nõ obtemperare. His, vt Numerorũ. 11. traditur, impertitum fuit de spiritu qui in Mose fuerat, quatenus in dubiis omnibus diiudicandis essent perspicaciores. His & deus effigiem quandam sui Exodi. 24. luculenter ostendit, id quod non fecit vniuerso populo, vt in Hebræo codice manifestius habetur: quod & magistri Hebræorum concorditer affirmant. Ad illos quoque pertinere confirmant quod de sacerdotibus Leuitici generis. 17. Deuteronomij scriptũ, est nimirum quòd in cunctis ambiguis ipsi iudicij veritatem aperirent. His tamen vnus adiungebatur Moseos loco, sic quòd totiꝰ collegij numerus vnum supra septuaginta eõtinebat. Quam obrem & quum Moses esset in montem ad deum ascensurus, reliquit apud eos Aaron & Hur, qui vices eius tum absentis agerent. Ex quibus apertissimum est, quòd in ambiguis & difficilibus do-

*Septuaginta senioribus reseruabatur dubiorũ determinatio.*

*Exodi. 24.*

gmatibus, populi iudicium in veteri lege neutiquam expectabatur. In lege verò noua Christus duodecim apostolos & septuaginta duos discipulos designauit, quibus & plebem voluit fidem adhibere, non iudicem fieri eorum quæ docerent. Nam & illis dixit (vt alibi docuimus), & non singulis Christianis: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Spreuisse autem intelligas quisquis non assensisset illorum documentis. Et quanquam Paulus idem accepisset à Christo Euangelium, quod & cæteri, tamen quia non vt illi Christum hic in terris fuisset secutus, ideo iussus fuit Euãgelium suum cum apostolis conferre, vt ab ipsis idem approbaretur. Ascendi (inquit) Hierosolymam secundum reuelationem, & Euangelium quod inter gentes prædico, contuli cum apostolis, sed priuatim cum his qui erant in precio. Ecce non iudicium populi, sed procerum Ecclesiasticorum Paulus exegit.

*Matt.10. Marci .3. Luc.6.10.*

*Luc.10.*

*Galat.2.*

Adde, quòd quum Antiochiæ quidam ex fratribus docuissent circunciſionem esse necessariam, Paulus & Barnabas qui

huic dogmati contradicebant, missi fuerunt Hierosolymam ad apostolos & presbyteros super hac quæstione consulendos. Conuenerunt igitur (vt in actis traditur) apostoli & presbyteri, vt dispicerent de hoc negocio: & re definita, scripserunt his qui tum abfuerant, quid essent crediturí. Et certum est complures Christianos, non solum eos qui tum Antiochiæ fuerãt, verum etiam alios in aliis orbis partibus nequaquam ad hanc synodum fuisse vocatos, nec eorum sententiam in hoc negocio fuisse requisitã. Ad solos enim apostolos & presbyteros attinebat super hoc negocio sententiam ferre, quémadmodum illic scriptum est: Conuenerũt (inquit) apostoli & presbyteri vt dispicerent de hoc negocio. Sed dicet quispiam: Inferius item est facta mentio de fratribus & de tota ecclesia, quorum etiam nomine literæ missæ sunt Antiochiam. Non reluctor. At hoc fuit humilitatis apostolicæ magis quàm absolutæ necessitatis, quòd ita scripserint. Nam quum apertum sit fratres inferiores, qui tum Hierosolymis aderant, nihilo maiorem authorita-

*Actor. 15.*

*Actor. 15.*

*Obiectionis dilutio.*

tem habuisse quàm qui tunc Antiochiæ vel in Syria seu Cilicia fuerant absentes, neque fratrum aut discipulorum absentium vllus petebatur assensus, sed tantum imperabatur, consequens est vt & hi minores qui tum præsentes fuerant, ius nullum habuerint dissentiendi. Sed & Lucas capite sequenti sic de illis decretis prodidit. Cum (inquit) pertransirent ciuitates, *Actor. 16.* nempe Paulus & alij fratres cum eo, tradebant illis seruanda decreta quæ erant ordinata ab apostolis & presbyteris qui erant Hierosolymis. Hic vides lector, quòd apostolorum & presbyterorum decreta facta Hierosolymis tum ligabant absentes omnes ad ea seruanda. Similiter & cap. 21. scribit Iacobum & presbyteros ad Paulum quum postremò veniisset Hierosolymam, dixisse. De his (inquiunt) qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus decernentes, ne quid huiusmodi obseruent. Ecce testantur se decreuisse: id quod ipsis inconsultis haudquaquam feciissent, si licuisset eis apostolorum decreta contemnere. Et hic item aduertendum est, apostolos & presbyteros nihil fuisse veri-

tos asserere suum hoc decretum à sancto
Actor. 15. spiritu processisse. Visum (inquiunt) est spiritui sancto & nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris.

V Ad hæc, quum principio recepta fuerint euangelia, non est dubium quin præter ipsa quatuor, quæ nunc in ecclesiis legimus, alia fuissent oblata, vtpote Petri, Thomæ, Matthęi, Nicodemi, necnon & illud quod secundum Hebræos euãgelium dicitur, verùm in his vel reiiciẽdis vel approbãdis quid valuit iudiciũ populi? Nihil penitus. Nam populus (vt par fuit) apostolorum & discipulorum calculis in hisce rebus credere tenebatur,
Psal. 71. quum scriptum sit: Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. Montes equidem erant, qui tum velut principes in ecclesia præeminebant nõ minori vitæ sanctimonia, quàm scripturarum intellectu: & hos decebat pacis euangelium non modò suscipere, verumetiam populo susciendum prębere. Porro colles inferiores intelligi debent, quorum fuit reuerenter admittere, & ad iustitiam credere, quicquid mõtes ipsi credẽdũ ĩdicauerint.

Cæterum si iudicium plebis in hoc negocio fuisset requisitum, credibilius est quòd euangelium illud quod secundum Hebræos inscribitur, cæteris prętulissent, quum tunc maxima Christianorum pars fuissent Hebræi, neque adhuc penitus omnẽ humanũ exuissent affectum. Alioqui nec murmur inter Græcos & Hebræos fuisset exortũ propter ipsorum viduas, eo quòd in ministerio quotidiano despicerentur. Vtcumque fuerit, dilucidum esse cuiuis potest quòd in approbandis aut reiiciendis Euangeliis turbę iudicium non fuerit expetitum, sed eius rei vel approbatio vel repudiatio ex principibus ipsis pendebat, & non ex rudiori turba. Quod si plebis iudicium in recipiendis Euangeliis neutiquam exigatur, multo minus in obscuris Euangeliorũ locis elucidandis illorum iudicio stabitur. Quid enim quum olim emergeret de cõsubstantialitate quæstio, iudicium rudis populi valuit, quando multos etiam eruditos & in scripturis sacris plurimum exercitatos eius rei subtilitas hallucinari fecerit? Eusebiũ enim Cęsariensem virũ optimũ, pariter & eruditissimum, aliosque

Acto. 7.

*In elucidatione euangelij non statur iudicio vulgi.*

*Eusebius aliquãdiu errauit.*

plurimos aliquamdiu tenuit in errore, quem tamen postea clariori scripturarum luce depulerunt. Quamobrem quum tanti viri cæcutierint in iudicandis rebus & negociis fidei, quis tam insanus est vt indoctæ plebis iudicio censeat confidendum?

VI. His accedit, quòd si iam in quæstionem venerit, an epistola Iacobi sit inter catholicas epistolas connumeranda, an, vt Luthero videtur, eximenda penitus, quis iudex erit? populúsne rudis qui gregis obtinet vicem, an eruditi potius & optimi præsides ecclesiarũ, q̃ pastores in apostolicis vocantur literis? Hos profecto longe magis consentaneum est iudices huiusce rei quàm plebem fieri, & quod illi decreuerint, absque contradictione recipi debere à cæteris. Nam alioqui si Lutherus gregi suo persuaserit hanc epistolan non esse catholicam, & hi subscripserint illius sententiæ, iam vel erit manifestum schisma, vel omnes tenebimur pro iudicio Lutheranorum ex bibliis nostris diuum Iacobum euellere. Et quãquã Origenes, aut alius quiuis, si quis in scripturis examinandis repertus fuerit eo diligentior

*Male negat Luth epistolam Iacobi non esse catholicam.*

& circumspectior, asseruerit hanc esse verè catholicam, nõ tamen audietur contra Lutherum. Et quamobrem? Quòd scilicet populus Lutheranus ita sensit, ita iudicauit, iudicio populi stabitur. Quis hic non videt latebras Lutherum quærere? Sed quid si Christianorum cœtus longè copiosior quàm Lutheranorum è diuerso censuerit, & hanc epistolam in bibliis reponẽdam decreuerit, eamque omnino catholicam asseuerauerit, vtpote à sanctissimis & eruditissimis patribus hoc nomine sibi commendatam: quis iam inter vtrumque populum iudex erit? non enim æquum est, vt nos, quibus legitima successione fides à primis ipsis ecclesiæ columnis per totfide dignos intermediatores promanauerit, iam horum diligentia doctrináque spreta, dextras iungamus eorum aduersario, qui tam ingratè simul & impiè lacerat eorum vitam, doctrinam & eruditionẽ. Sed nec ille vicissim p nos, aut p maiorũ nostrorũ scripta, quæ, p nihilo ducit, iudicari patitur. Quid ergo dicemus? Existimabimus Christum qui propter nimiam charitatem qua dilexit nos, non solum pro nobis nasci, verumetiam

emori dignatus est, & carnis & sanguinis sui sacramẽtis nos alere, spiritum suum è cœlis promittere, qui nobiscum residens nos omnem doceret veritatem. Hunc inquam tam ardentem adamatorem existimabimus ita suum gregem, quem tanto precio redemit, in tam horrẽdis errorum tenebris, atque nobis opponit Lutherus, & per tot annorum centenarios iacere permisisse, neque vllum reliquisse nobis iudicem, & harum tenebrarum excussorẽ, præter vnum Lutherum? quem nemo, qui furias has contra regem illustrissimum scriptas perlegerit, non planè perspicit à dęmone quodã actum, & à diuino spiritu longe alienum esse. Præscriptum est igitur aduersus Lutheri Lutheranorumque iudicium, non solum quòd ipse carnalem se prodiderit, cuiusmodi Paulus nullum omnino iudicium de spiritualibus permittit, verumetiam quòd nobis doctrina spiritus integerrimo conductu per sacros canales eruditissimorum atque sanctissimorum patrum ab ipsis fontibus deriuata sit. Quamobrem si vel contra epistolam Iacobi, aut aliã quamuis scripturam, seu scripturæ quamlibet interpretatio-

nem concordi patrum astipulatione factam Lutherus populusve Lutheranus iudicium sibi arrogauerit, manifestum est idipsum nullius esse momenti, neque licere nobis vllo pacto Lutheranam interpretationem quatenus maioribus nostris aduersatur, admittere, nisi velimus Paulo repugnare, qui districtius monet, vt non simus amplius pueri, qui fluctuemus & circunferamur quouis vento doctrinæ per versutiam hominũ, per astutiam qua nos adoriuntur vt imponant nobis. *Ephe. 4.*

VII

*Iudicium populi antiqui cõtra Lutherum.*

Superioribus accedit, quòd si momenti cuiuspiam fuerit iudicium populare, iam plurima de quibus hodie litigamus, in rem (vt aiunt) iudicatam transierunt. Nam exploratissimum est, per vniuersam totius orbis ecclesiam has veritates quas Lutherus damnat, à præsidibus ecclesiarũ fuisse prædicatas, populumque easdem citra contradictionem aliquam approbasse. Quid ergo super hac re diutius contendimus, quandoquidem & iudicio populi iam olim in hoc negocio cõclusum sit? An non æqualis, vt ne maioris dixerim, authoritatis erit apud quosque bonos & æquos iudicium populi, qui sanctis

ipsis apostolis ac martyribus vicinior erat quàm huius populi nunc superstitis, qui certè vix rationem sæcis habet ad purum vinum, si cum priori illo populo conferatur? Quamobrem si quicquam in hac causa valeat iudicium populi, iam dirempta lis est, nec reuocari per deterioris notę populum licebit id quod per lõge prę-stantiorem fuerat approbatum. Nisi forte velimus pueriles imitari ludos, qui quod heri construxerant, hodie demoliuntur. At hoc erit semper discere, & nunquam ad scientiæ veritatem peruenire. Nam qua ratione præsenti populo iam licet prioris populi iudicium in dubium reuocare, eadem licebit & subsecuturo populo præsentis damnare iudicium. Atqui istud quid aliud est, quã contra doctrinam Pauli, nunquam adolescere, sed semper esse pueros, atque fluctuare & circunferri quouis vento doctrinæ per astutiam & versutiam hominum? Et vt in Ecclesiastico scriptũ est, Vnus ædificans, & vnus destruens, quid prodest illis nisi labor? Sed hic dicet Luth. Adempta fuerat tũ populo sua libertas. At hoc falsissimum est. Nam Lutherani nequaquam hodie

*Ephe. 4.*

*Eccle 34.*

*Obiectionis dilutio.*

hodie cõstantius Luthero, quàm priores populi suis prę̃sidibus adhę̃serũt. Quę res manifestissimè cõstitit in Athanasio, Ambrosio, Chrysostomo, aliisque compluribus. Nam erant eorum auditores etiam ad mortem subeundã parati potius, quàm eos auferri sibi paterentur. Ista iam sufficiunt, opinor, vt quiuis intelligat populum omnino ius nullum habere dissentiendi ab eorum dogmatibus qui legitimè constituti sunt diuini verbi prę̃cones, & scripturarum sacrarum interpretes, maximè in his quæ ad fidem pertinent, & quandiu priorum patrum concordi sententiæ sese conformes reddiderint.

## SED NVNC PAR EST vt rationes Lutheri quibus contrarium astruat, in mediũ afferamus.

### PRIMA RATIO. VIII

CHristus (inquit) hoc ius statuit inuictis & variis sententiis. Mat. 7. Attendite à falsis prophetis qui veniũt ad vos in vestimentis ouiũ. Hoc verbum certè dicit ad populũ aduer

» sus doctores, & mandat eis, vt falsa do-
» gmata eorum vitent. At quomodo vitare
» possunt nisi cognoscãt? quomodo cogno-
» scere, nisi ius habeant iudicãdi? Nunc aũt
» nõ solũ ius, sed præceptũ iudicãdi statuit,
» vt hæc sola authoritas satis esse queat ad-
» uersus omniũ pontificũ, oĩm patrũ, omniũ
» cõciliorũ, oĩm scholarũ sentẽtias, quę ius
» iudicãdi & discernẽdi solis Episcopis & mi
» nistris tribuerũt, & impiè ac sacrilegè, id
» est ecclesiæ reginæ rapuerũt. Stat etenim
» Christ⁹ dicẽs, Attẽdite à falsis prophetis.

*Rossensis.* Primum hic aduerte lector quàm vio-
lentè contorqueat hanc scripturã Luthe-
rus, quũ nihil hic vel de dogmatib⁹ vel de
iudicio neverbũ quidẽ fiat. Neq; em̃ Chri
stus hic dixit, Attendite à dogmatibus, vt
inter ea discernatis quæ sunt praua, quæ-
ve salubria. Neque dixit, Attendite à fal-
sis dogmatibus, ne vos inficiant. Sed dixit,
Attẽdite à falsis prophetis. hoc vero quid
*Christ⁹ dehortatur audire falsos prophetas.* aliud est, quàm si dixerit, fugite consortiũ
falsorum prophetarum, ne audieritis eos?
Vetat enim Christus ne tales audiantur,
nimirũ quòd eorum sermo protinus infi-
ciat, & facilè capiat simpliciores. Propter
quod & Paulus Romanos hortatur, vt

huiusmodi seductores declinent, quòd scilicet per blãdiloquentiã & assentationem decipiant corda simplicium. Tales etiam 2. ad Cor. 11. idem Paulus vocat pseudoapostolos. Istiusmodi (inquit) pseudoapostoli, operarij dolosi sunt, sumpta persona apostolorum Christi. Ab his metuit ibidem Paulus, ne quemadmodum serpens Euam decepit versutia sua, ita corrumperentur sensus eorum à simplicitate quæ est in Christo. Profecto nimisquàm periculosum est istos audiri nõ solũ à simplicioribus, verumetiam ab his qui vel mediocrem habent peritiam scripturarum. Res hæc notior est, quàm vt multis egeat verbis. Quis ignorat Nouatum, Arrium, Macedonium innumeros corrupisse, qui si protinus vt per orthodoxos de periculo fuissent moniti, fugissent & declinassent ab illis, nihil omnino discriminis incurrissent? Propterea Christus hoc verbo iussit, vt à falsis prophetis caueamus, qui Christianitatis nomen ceu pelles ouium prætexunt sibi, verum intrinsecus (vt verè Tertullianus ait) lupina rapacitas delitescit, hoc est subdoli sensus & spiritus operiuntur ad infestãdum gregem Chri- *Roma. 16.*

sti. Vetat igitur hic Christus ne audiantur huiusmodi falsi prophetæ: nõ aũt præcipit vt à singulis examinentur & diiudicentur eorum dogmata: quod certè longe periculosissimum foret.

Sed dicet Lutherus: Ex hoc verbo plane sequitur, quòd omnes habent ius iudicandi. Nam Christus hoc verbũ dicit ad populum aduersus doctores, & mandat eis vt falsa eorum dogmata vitent. At quomodo vitare possunt nisi cognoscant, & quomodo cognoscent nisi ius habeant iudicandi? Respondeo, si vir quispiam vxori suæ mandauerit quatenus attendat ab alienis: putabimus iam vxori licere vt alienorum peruersas audiat suasiones sub eo prætextu vt diiudicet eas? Nequaquã: sed hoc molitus est vir, ne charissima sibi cõiunx in periculum incidat, atque ideo penitus omne colloquium interdicit. Eiusmodi profecto zelum & sponsus noster Christus Iesus habet erga nos. Propterquod & nolens vt ab eiusmodi falsis prophetis seducamur, iubet vt ab eis omnino
Matth. 7. caueamus. Attendite inquit à falsis prophetis. Falsi prophetæ sunt, qui, sicut in
Apoc. 2. Apocalypsi traditur, se dicunt apostolos,

& non sunt, hoc est se dicunt esse missos, & nemo tamen eos miserit. De quibus & alibi Christus dicit, quòd seducent multos. Quamobrem & qui nolit ab eis seduci, huic necesse est vt colloquium eorum pariter & consortium deuitet. Nam vt Paulus ait, Mores bonos colloquia corrumpunt mala. Non ergo iussit Christus hoc verbo, quatenus eorum dogmata singuli iudicarent, id quod absque periculo simplicium fieri nequit : sed vt eos quos vel de errore suspectos, vel non esse legitimè missos accepissent, declinarent, quoad eorum doctrina per eos quibus incumbit doctrinarũ examinatio, solidius fuisset approbata.

*Matth. 24. Marci. 13.*

*1. Cor. 15.*

IX

Iam etiã & istud aduerte candide lector quàm subdolè molitur Lutherus ex illo Christi verbo colligere ius iudicamdi dogmata. Prińcipio scripturam ipsam recenset, dicens : Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Deinde subiicit intellectum eius. Christus (inquit) hoc verbum certe dicit ad populũ aduersus doctores, & mandat eis vt falsa dogmata eorum vitent. Subdit tertio loco : At quomodo vitare pos-

sunt nisi cognoscant? Et demum apponit: Quomodo cognoscent, nisi ius habeant iudicandi? Ita sensim & gradatim introducit venenum. Ego verò tametsi possem singula mẽbra facillimè subruere, tamen ad hoc postremum respondeo, populum posse cognoscere non dico dogmata de quibus Christus ne verbũ quidem dixit, sed falsos prophetas, vel ex eo quòd hi qui non sint legitimè missi, docendi tamen cathedrã vsurpent, vel quòd vehementer à probis habeantur suspecti, vel quòd palam eorum doctrina condemnata sit, vel demum ex aliis indiciis, quibus Paulus epistolas suas passim respergit. Ait enim (vt vnum locũ exempli gratia producam) ad Romanos. 16. Obsecro vos fratres, vt considéretis eos qui dissidia & offendicula contra doctrinã quam vos didicistis, gignunt: & declinetis ab illis. Hæc certe verba non Romanis modo, verumetiam omnibus Christianis haud dubiè scripta sunt. quod & Lutherus (si tamen secum constet) non negabit. atque vtinam omnes Lutherani dignè verbum istud expenderent. Sed vt ad rem redeam: Talibus vtiq; notis discerni potest pro-

*Falsi prophetæ variis deprehẽdũtur indiciis.*

pheta falsus, vt nihil oporteat singulum quenque Christianum habere ius iudicãdi. Similiter & ad tertium dico, quòd propheta falsus vitari potest à simplicioribus per aliorum admonitiones, quanquam illius dogmata nequiuerint iudicare. Et ad secundum identidem aio, quòd vitabunt falsa dogmata, qui falsorum doctorum & libros & colloquia fugerint, id quod fieri potest absque dogmatum auscultatione.

Postremo demiror hominis impudentiam, quòd hãc scripturam, quę cum primis eum tangit, non erubescit introducere. Neminem enim percellit hoc verbum potius quàm Lutherum: qui si falsus propheta non sit, nemo vnquam fuit. Quis enim non pseudoprophetam appellabit eũ, qui deũ tam impiè malorũ authorem pronunciat, qui liberum tollit arbitrium, qui necessitate cuncta prorsus agi non veretur asserere, qui tam apertè contra scripturas fidei totum tribuit, operibus nihil, qui scripturas sacras fœdè lacerans, alias penitus damnat, alias perperam interpretatur, qui sacra patrum concilia sanctissimáque scripta cõtemnit prorsus, qui denique nullum non mouet lapidem,

*Lutherus pseudopropheta.*

vt ſuam hæreſin ſtabiliat? O ſi nunc ſanctiſsimus ille Polycarpꝰ viueret, qui quoties aliquid cõtra fidem audiret noui, ſolitus erat aures occludere ſuas, & in hunc modum exclamare, Deus bone, in quæ tẽpora me reſeruaſti, vt hæc audiam? Quid nunc piiſsimus ille faceret, tot & tam perniciosis auditis hæreſibus? Sed & integerrimus ipſe pater & Epiſcopus Irenæus qui Florinum acerbius repræhẽdit, quòd is malorum authorem deum aſſeruerit, quomodo nunc excandeſceret in Lutherum, qui veterem illam hæreſin reſuſcitauit? Legat quiſquis velit orthodoxorum pugnas aduerſum hæreticos, & inueniet illos non alteri fundamento ſolidius innixos eſſe, quàm vt dicerẽt, Hęc à fide dignis maioribus noſtris qui ante nos fuerunt, accepimus, vt nunc hanc fidem nullis hominum aut dæmonum impoſturis nobis liceat immutare. Iſtud olim ſuffecit ad reuincendos quoſuis hæreticos. Quam obrem quum Lutherus etiam in hanc baſim impingit, vel is eſt falſus propheta, vel alius nullus vnquam fuit.

*Antiqui pugnabant aduersꝰ hęreticos ex patrũ aſſertionibus.*

*Obiectio.* Sed adhuc dicet quiſpiam: Lutherus à ſectatoribus ſuis libenter auditur, & in-

gentem fructum ex concionibus suis parit, quo fructu Christus pios prophetas ab improbis censuit discernendos Ex fructibus(inquit)eorum cognoscetis eos. Egoverò quòd libenter audiatur,nihil miror, quandoquidē licentiā tātā permittit omnibus. Nullis enim legibus alligari Christianos permittit, neque pōtificibus vllam condendarum legum finit habere facultatē. Quo fit vt omnē à subditis,quā hi præsidibus suis debēt,auferat obedientiam & subiectionem. Neque id solū,sed & omnē dirimit conatū obseruandarum legum dei: quandoquidem & has prædicat impossibiles esse cuiuis, neminemque posse diuina seruare mandata. Resecat & omne studium conterendi pro peccatis, quum contritio(vt ait) quæ nō fit in gratia,deteriorem faciat peccatorem. Confitendi quoque diligentiam sustulit, eam inquam quę sacerdotibus fieri solet,quòd ad eam neminem teneri dogmatizet. Sed & contendit nullam pro sceleribus vllis quæ secreta sunt, satisfactionem & pœnam exigi debere, sed omnia liberè condonari per fidem affirmat. Sacerdotes quirasi sunt,omnes fictitios esse clamat, quū

*Dilutio. In the. omne malum persuadet.*

sit omnis christianus (vt dicit) verè sacerdos. Negat & opera bona necessaria esse ad salutem, quũ nullũ sit opus quantũuis bonũ quod peccato careat. Hæc nimirum & alia plurima quæ multã habent malitię libertatem, passim prædicat apud populũ. Et quis sceleratus est, qui ista non audiat libentissimè? Porro fructus quos parit, omnium amarissimi, sunt schismata, rixæ, contentiones, inimicitiæ, furores plusquã rabidi, impudentia, scelerum omnium copia, adulteria sponsarum Christi, votorũ fractiones, sanctę virginitatis defloraciones, monachorum ad secularia negocia fœminarumque complexus, reditus: sanctum canibus apponitur, & margaritæ porcis.

*Plurima vitia sequũtur Lutheri doctrinã*

XI. At inter hæc (dices) deo creditur, & Christus diligitur, Falsum & hoc est, nisi fuerint scripturæ prorsus falsæ. Nã Christus dicit Ioã. 14. Si diligitis me, mandata mea seruate. Et rursum: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Et paulo post: Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit. Et Paulus quoque: Circuncisio nihil est, sed obseruatio mãdatorũ dei. Ioãnes itẽ: Qui dicit, noui

*Non credit rectè, qui non obseruat mandata.*

1. Cor. 7.
1. Ioãnis. 2.

eũ,& præcepta eius nõ ſeruat, mẽdax eſt, & in eo veritas nõ eſt. Fingant igitur iſti quantũ velint ſe & credere & diligere: ſi mãdata non ſeruẽt, nihil eſt quod faciũt. Sed neque credibile eſt eos mandatis obſeruandis incũbere, quũ negẽt fieri poſſe vt vel minimũ mãdatũ obſeruetur à quoquã. Ex fructib⁹ ergo ſuis Lutherus qualis ꝓpheta fuerit,abũde cognoſcitur, bonús ne,an mal⁹. Propter quod & Chriſtus ſubiũxit: Ex fructibus eorũ cognoſcetis eos.Si ſchiſmata, ſi cõtẽtiones,ſi furores, ſi cõuicia,ſi maledicẽtiæ, ſi ſcripturarũ ſacrarũ adulteratio, ſi ſcelerũ oĩm ĩpunitas, ſi votorũ fractiones, ſi ſanctimonialiũ inceſtus,ſi monachorum ſcortationes,ſi precationum horariarũ contẽptus,ſi ieiuniorũ violatio nephãda, ſi blaſphemię ĩ Chriſti & ſanctorũ imagines, ſi probra in ſanctiſsimã dei genitricẽ,ſi nepharius abuſus ſacræ Euchariſtiæ, ſi iſta inquam & alia innumera flagitia boni fructus dicenda ſint, iam Lutherus erit propheta bonus. Sin iſta peſsima ſint, & auribus omnibus verè Chriſtianis execrãda, quis Lutherũ ceu peſtem quandã teterrimã non fugiat, non horreat,non abominetur?

Cæterum vt ad institutũ reuertar: Iam liquere satis opinor non posse Lutherum ex illo verbo Christi colligere, quòd populus habeat præceptum aut ius iudicandi dogmata, sed fugiendi cauendiq; falsos prophetas, inter quos & antesignanũ quendam apertissimis indiciis Lutherus ostendit sese. Nam iudicare de dogmatibus vsqueadeo difficile est, vt in illis etiã hi qui eruditiores sunt, sæpius hallucinentur, quemadmodum de Eusebio superius ostendimus. Eat igitur nunc Lutherus & glorietur quòd hæc sola authoritas satis fuerit aduersus omniũ pontificum, omnium patrum, omniũ conciliorum, omniũ scholarũ sentẽtias, quos clamat impiè atq; sacrilegè populo ius istud rapuisse. Eat inquam, & talibus adulationibus pergat ludificare populum, qui à tali propheta merito seducitur, quum nec monẽte Christo dolos & fraudes huius lupi declinent. Stat enim Christus dicẽs: Attẽdite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Nec est quòd Germani putent Romanos hic lupos vocari, quòd aurum sibi rapiãt,

Matth. 7.

Neque enim aurū lupi, sed sanguinem sitiunt: quod & hæretici faciunt. Rapiunt enim id quod auro quouis præstātius est, animas videlicet, de quarū præda maximè gloriantur. Et eiusmodi sanè lupum sub ouilla pelle sese Lutherus iam præstitit. Et quāquam hæc authoritas (vt sibi videtur) huic negocio vel sola sufficiat, tamē ex veteri testamento voluit eam reddere paulo cōfirmatiorem. sed ipsius verba subiūgam.

Secunda Lutheri ratio.

XII.

HVic subscribunt ferme omnes omnium prophetarum syllabæ. Quid enim agunt prophetæ, nisi quòd populum monēt ne falsis prophetis credat? At quid est hoc monere, nisi iudicandi & cognoscendi ius penes populum esse, declarare & confirmare, ipsumque sui operis monefacere & excitare aduersus omnes omnium suorum sacerdotum & doctorū doctrinas? Quare hic concludimus quoties Moses, Iosue, Dauid, omnesq; prophetæ, in veteri lege populum à falsis prophetis vocant & monēt, toties clamant, mandāt, confirmant, excitant ius cognoscendi & iudicandi omnium omnia dogmata. At hoc infinitis locis faciūt. Habet hic Hen-

» ricus noster, aut vllus impurus Thomista
» quod istis ogganniat? nónne obstruximus
*Reffensis.* os loquentium iniqua? Et hic se rursum o-
stendit fallacem esse prophetam, quòd hu-
ius vocis acceptione duplici nos fallere
*Propheta dupliciter dicitur.* studeat & circũuenire. Nam propheta bi-
fariam accipitur. Paulo propheta dicitur,
*1. Cor. 14.* qui scripturas enarrat, & exponit eas po-
*Primo.* pulo: ad quem sensum Lutherus intellexis-
se videtur prædictum Christi verbũ, quo
populum admonuit à falsis attendere do-
ctoribus, & à falsis (vt ait) dogmatibus.
*Secundo.* Cæterum quum in veteri testamento mo-
» nemur à falsis cauere prophetis, de falsis
» vatibus & futurorum euentuũ prædicto-
» ribus intelligi debet: ad quem modum in
» Deuterono. 18. capite quoddam indicium
» traditur, quo discerni queat propheta fal-
» sus à vero. Hoc, inquit, habebis signum.
» Quod in nomine domini propheta ille
» prædixerit, & non euenerit, hoc dominus
» non est locutus. Hoc vtique signo falsus
» propheta diiudicabatur apud eos. Et quã-
» quam prẹter prophetas alij fuerint & scri
» pturarum interpretes & doctores, hos ta-
» men in veteri testamento nusquam lego
» vocatos prophetas. Quamobrem neque

hæc posterior argumentatio Lutheri priorem illam confirmat, neque cum ea quicquam habet affinitatis. Nam in diiudicandis vatibus oportuit, vt diximus, euentum rerum expectare. verùm ad veritatem interpretum discernẽdam nihil remoratur eorum iudicium qui gratiam habent spiritus, & sensus in scripturis plurimum exercitatos. Quo fit vt alia ratione vates diiudicentur, alia scripturarum interpretes.

Sed dicet Lutherus, hi qui vates erant, etiam docuerunt plurima. Ego istud non inficior. At hoc nomine, nempe quòd docuerint, neutiquam prophetæ dicebãtur. Neque enim per trecentos annos ante Christum doctores & interpretes defuerunt apud Iudæos, & tamen constat eo tempore prophetas nullos fuisse vsque ad Zachariam Iohannis patrem. Quamobrẽ apertè falsum est q̃ quoties Moses, Iosue, Dauid, omnesque prophetę in veteri lege populum à falsis prophetis vocant & monent, toties clamant, mandant, cõfirmant, excitant ius cognoscendi & iudicãdi omnium hominũ dogmata. Nam & veri prophetæ sępius monent populum ne falsos quouis modo prophetas audiãt. Sic enim

*Trecentis annis ante Christũ nẽ defuerunt prophetæ.*

*Veri prophetæ dehortabãtur à malorum auditu.*

Hieremias ait: Vos ergo nolite audire prophetas vestros, & diuinos, & somniatores, & maleficos. Et rursum: Nolite audire verba prophetarũ dicentium vobis, Non seruietis Regi Babylonis, quia mendacium ipsi loquuntur vobis. Et paulo post, Hæc dicit dominus: Nolite audire verba prophetarum vestrorum qui prophetant vobis dicentes: Ecce vasa domini reuertẽtur de Babylone cito. Mendacium enim prophetãt vobis. Nolite ergo audire eos. An hic tibi videtur Hieremias præcepisse populo quatenus ipsi falsorũ prophetarum dogmata diiudicent, an magis vt auersentur eos, & aures suas occludant eis penitus? Sed & Mosen quoque num opinaris tum iussisse populo vt dogmata iudicaret, quũ dixerit ei: Caue ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te qui lustret filium suũ aut filiam, ducẽs per ignem, aut qui ariolos scisciteatur, aut obseruet somnia atq; auguria, ne fit malefícus, nec incãtator, neque pythones consulat, neque diuinos, & quærat à mortuis veritatem. An non longe tutius istorum hominum dogmata Moses existimauit populum debere ignorare, quàm scrutato-

*Hiere. 27.*

*Deut. 18.*

scrutatorem & iudicem horum suo maximo fieri periculo? Quod si Lutherus adhuc contendat vniformem huius vocis acceptionem in vtroque testamento fieri, tamen vellem aduertat quàm seueriter istiusmodi falsis prophetis comminatum sit vbique. Sic enim Deuter.18. scriptum est: Propheta qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo quæ ego non præcepi illi vt diceret, aut ex nomine alienorum deorũ, interficietur. Hic si Lutherus seipsum excusserit, quot errores & falsa dogmata sub nomine Christi protulisset citra mandatum vllum sibi datum à Christo, sed sola deprauatus arrogantia, vel spiritu maligno concitatus, audiet omnino se condemnari. Neque potest hãc scripturam in orthodoxos patres aut sequaces eorũ quouis modo retorquere, quum in compluribus eorum nec leuissima fuisse arrogantiæ suspicio, neque maligno spiritu ad scripturarum interpretationes per eos editas essent impulsi, quin contra potius à spiritu sancto, quem & ad hoc missum non dubitabant, vt ipsi fideliter Ecclesiam erudirent. Et quis tam impudens est, vt istos neget ad docendã ple-

*Punitio falsorũ phetarum quadrat in Luth.*

*Sancti patres id ad quod vocati erant, in humilitate docebant.*

bem fuisse legitimè vocatos, atque instructos ab ipso spiritu? nisi spiritum sanctum frustra fuisse missum, & ociosum in Ecclesia residere contendat: quod impiũ est vel cogitare. Quod si priores interpretes fuissent legitimè vocati, manifestè palam est Lutherum, qui nõ vnum aliquem horum, sed omnes indiscriminatim conténit, arrogantia deprauatum esse, malignoq; pariter afflatum spiritu. An non mirè arrogantem in his friuolis argutiis ostentat sese? quæ quum mera blateramenta sint, vt iam opinor intelligis optime lector, his tamen se vicisse gloriatur, & Regem illustrissimũ ob has impurum vocat Thomistam, nec habere quod istis ogganniat, hisq; obstruxisse se iactitat os loquentiũ iniqua. Quod si fecerit, mirum est quòd non suum ipsius os in primis obstruxerit, quo nullum iniquius aut impudentius loqui potest. Sed iam ad scripturas quas attulit ex nouo testamento, respondeamus.

*Lutherus malignospiritu afflatus cõtenit omnes.*

Tertia ratio Lutheri.

XIII. » REdeamus (inquit) ad nouam legem; » Christus Ioan. 10. dicens, Oues meæ » vocem meam audiunt: vocem vero alie- » norum non audiunt, sed fugiunt ab eis.

Nónne hic oues facit iudices, & ius cognitionis transfert ad auditores? Hic primum aduertamus quanta licentia Lutherus scripturam istam recenseat. Nusquam equidem hoc verbum Christus de suis ouibus protulit: Oues meæ vocem alienorum non audiunt. nam plane falsum est, quòd oues Christi nunquam audiunt vocem alienorum, sed quòd semper fugiunt ab eis. Sæpius enim compertum est oues Christi secutas fuisse vocem alienorum, & maximè dum hæresis Arriana vexaret Ecclesiam Christi. Tunc enim complures falsis dogmatib⁹ erãt seducti, quorum aliqui tamen postea resipiscentes, redierunt ad catholicam fidem, vti mox docebimus. Neque desperamus quin de Lutheri sectatoribus idem eueniet, per quẽ complures ex ouibus Christi iam à recta semita veritatis abductas esse nihil ambigimus. De communibus tamen ouibus id dixisse Christum non inficior, & de huiusmodi verum est quòd non sequuntur vocem alienorum, sed vocem pastorum suorum cum quibus longam & diuturnam habuerunt consuetudinẽ. At palam est nonnullas ex ouibus Christi mysticis aliquã

*Prædestinati tãdem conuertentur.*

diu vocem alienorum fuisse secutas, tametsi postea rediissent ad Christum. Neque enim fieri potest vt ouis Christi prędestinata, quantumuis interea plaudat hęreticis dogmatibus, non finaliter ad Christi vocem redeat, eam auditura. Quam rem & Christus testatur hoc ipso capite: Alias, inquit, oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere: & vocem meam audient: & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Ecce vocat eas oues suas, quę tamen adhuc non Christi vocem auscultarunt, sed alienam à Christo. Ex Iudæis etiam plurimos, qui dum hic in terris prędicaret Christus, vocem eius contempserunt, post ipsius tamen ascensionem verbo eius credidisse in actis apertissimũ est, quare planè falsum est quòd oues Christi nunquam sequantur vocem alienorum, neque hoc in Euangelio traditum est vsquam. Quod si dixerit Lutherus in parabola sic haberi, non reluctor: at nõ oportet, vt quicquid in parabola sit dictum, id omnino mysticam habeat veritatẽ. quod Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus ac cæteri patres non semel affirmãt. Murmurabãt equidẽ in parabola hi qui diuti-

Ioan. 10.

*Parabolarum verba non habent omnia mysticã veritatem.*

laborarũt, aduersus patremfamilias quòd parem aliis qui sero venerãr, dederit mercedem. Indignabatur item & in parabola senior filius aduersus patrẽ, quòd redeunti fratri vitulum saginatum occiderit. verum à mysticis operariis aut fratribus abest omne murmur. Cæterũ vt institutum nostrum apertius ostendamus, proponatur exempli gratia verbum istud Christi: Ego & pater vnum sumus. Assentiuntur huic singuli tam hæretici quàm orthodoxi, atque id quidem propterea, quòd norunt hoc ipsum à Christo fuisse dictum. Sed nũc ex ipso verbo propter duplicem eius intellectũ varia suborta sunt dogmata, quibusdam dicentibus, quòd pater & filius vnum sunt substantialiter, aliis contra negantibus inter eos vnitatem substantiæ, sed concordiæ duntaxat & animorum vnitatem inter eos statuentibus. Orthodoxi prorsus affirmabant filium patri consubstantialem esse: at Arrius & sequaces sui modis omnibus inficiabãtur. Sed dum ita contenderetur, periclitabantur complures ex ouibus Christi. Nec de simplicioribus tantum loquor, sed de robustioribus ipsis arietibus, qui præter lumen fi-

*Matth.20.*

*Lucæ.15.*

*Ioan.10.*

*Hæreses ex malo intellectu scripturæ nascuntur.*

*Eusebius Arrii dogmate corrupt⁹ fuit.*

doi, plurimam insuper in scripturis habuerũt eruditionem. Eusebius ille Cæsarienſis, quem Hieronymus in catalogo ad Desiderium, propter exercitationẽ ipsius in scripturis, clauem appellat scripturarum, custodémque noui testamenti: Is quũ esset talis ac tantus vir, audiens tamen interpretationem ab Arrio factam, credidit illi, secutus aliquandiu partes Arrij: & tamen quis dubitat illum ouẽ Christi fuisse, quum hinc in veram fidem Christi migrauerit? Quòd si periclitatus est Eusebius, & ita collapsus in iudicio, quam iudicij, quæso, certitudinem habet reliquus populus? At, inquies, audiuit Eusebius tãdem, & credidit filium patri consubstantialem esse. nõ reluctor, sed mihi sufficit, suopte eum iudicio (cum esset ouis Christi) falsum esse, & sic perinde secutus est vocem alienam à Christo. Quod si ius habuit iudicandi, iure suo tum id fecit, & bene sibi licuit hoc ipsum facere. At nemo non videt illum in hoc pessimè feciſse, sequendo iudicium proprium, quum non ignoraret maiores suos contrarium & sensisse & docuisse: id quod ipsemet resipiscens cõfitebatur, vt in historia liquet

ab eodem scripta.

XII. *Christiani assentire debent & Christi verbis & sanctorum patrum.*

Istud apertissimè conuincit quale ius in diiudicandis dogmatibus habeant Christiani, nimirum assentiendi duntaxat, atque id non solum Euangelio, verumetiam omni veritati catholicæ quæ per maiores nostros vnanimi consensu relicta est ecclesiæ vt credatur. Nam in eis non est dubium quin ipse Christus vnà cum Christi spiritu sit locutus.

Quamobrẽ & hanc vocem tandem audient omnes quicunque verè sunt oues Christi. Et qui finaliter hanc vocem non audierit, apertè monstrat se nequaquam ouem fuisse Christi. Sed neque ius vllum habet quiuis Christianus ab hac voce disidendi. Nam si tale ius habuerit, licebit item & verbo Christi dissentire: id quod planè falsissimum est. Nam vnde cognoscimus Christi vocem, nisi per maiores nostros, qui nobis eam indicauerunt? Vnde (precor) scimus quæ vera fuerint Euangelia, quod Matthæi fuerit, aut Lucæ, aut Iohannis, nisi per illos? Quamobrem vt fidem eis habuimus in Euangeliorum decernenda veritate, ita par est & in-

*Veritatem Euangelii per patres susceptam.*

terpretationi per eos traditæ, præsertim vbi omnes consentiunt, pariter adhibeamus. Nam si quisque nostrum suum iudicium & proprium spiritum sequatur, tot haud dubie sensus erunt, quot fuerint capita. Quocirca standum esse maiorum definitionibus quis non planè perspicit? Errare quidem potuit vnus aut alter patrum, non diffiteor. At quòd omnes erraverint etiam in re seria quæ ad fidem pertinet, & tum quum vnanimiter de illa cõsenserint, tantum abest vt credam, vt etiã in hac fide mori sim paratus. Neque enim credibile est sacrum illum spiritum, quem & veritatis spiritum Christus appellauit, atque ob id mittẽdum pollicitus est, quatenus ob docendam nos omnem veritatẽ in ecclesia resideret, fuisse passum, vt tot duces qui nos præcesserunt, errarint omnes, & tanto tractu temporum, & in tantam perniciem & stragem animarum.

*Patres simul cõsentientes in veritate fidei non erranerunt.*

Addã & istuc, quòd qui maiores istos, hoc est priores patres sequi cõtemnit, neque dignatur habere ceu duces ingressus sui, sed suopte iudicio fretus, spiritumque proprium secutus, irruit in ouile Christi, euidentissimum indicium est, ostiarium

illi non aperuisse, neque per verum ostiũ intrasse, sed tanquam furem & latronem aliunde quàm per ostium & ostiariũ conscendisse. Nam quis ambigit, priores patres in stabulum ouium legitimè fuisse ingressos, ostiariumque sibi perfamiliarẽ habuisse, rectáque tendisse ad ostium? Quamobrem quum Lutherus plusquam superbissimè contemnat illorum incedere vestigiis, quis vnquam credat aut ostiarium illi, quem suis familiaribus nouerit infensissimum aperire voluisse, aut hominem tam arrogantis animi per ostium tam humile potuisse intrare? Sed vereor ne mea prolixitate nimio lectoribus tædio sim futurus. Quamobrem & succinctius ad reliqua respondebo.

Quarta Lutheri ratio.

ET Paulus (inquit) quum. 1. ad Corint. XV. 14. dicit, Vnus dicat, cæteri iudicent. « quòd si sedenti reuelatum fuerit, prior taceat: nonne & hic iudicium penes auditorem esse vult? «

Respõdeo. Apud aliquot auditores iudicium esse vult, sed non apud omnes. Nam probè nouit Paulus inter eos fuisse complures qui iudicare nequiuerint: id

quod ex epistolæ principio cõpertissimũ
1.Cor.3. est, vbi & dicit: Ego fratres non potui vobis loqui vt spiritualibus, sed vt carnalibus, vt infantibus in Christo. lactis potu vos alui, & nõ cibo. Nõdũ enim poteratis, sed ne nũc q̃dẽ adhuc potestis. Nã adhuc carnales estis. Quisquis autẽ carnalis est, is (vt paulo superius ostẽdit) nõ percipit ea quæ sunt spiritus dei, nẽpe q̃ ea quæ sunt spiritus dei, spiritualiter diiudicentur. Falsum est igitur q̃ cæteris omnibus permiserit iudiciũ, sed tantum his qui verè prophetæ vereque spirituales essent. Nam & significauit inter ipsos aliquot fuisse qui videbantur eiusmodi, nec tamen erant, quum in eodem. 14. cap. subiunxerit inquiens: Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, agnoscat quæ scribo vobis, quòd domini sint præcepta. Liquet igitur ex his, haudquaquam cæteris omnibus de populo, sed tantum his qui verè prophetæ veréque spirituales essent, permissum esse iudicium. Nam id alioqui non mediocris cõfusionis & disidij foret occasio, si quisq; iudicium sequeretur suum, & de suo cerebro loqueretur. Propter quod &
1.Cor.14. Paulus idipsum prohibẽs dixit: Nõ est de-

*Paulus nõ reliquit cõmuniter omnibus iudicium.*

cõfusionis author, sed pacis, vt in omnibus cõgregationibus sanctorum. Perinde ac si dixerit: Ad hunc modum omnis ordo perturbaretur, & magna fieret in ecclesia cõfusio, quæ nõ potest à deo proficisci, à quo pax & ordinis integritas promanat. Quæ verba si Lutherus exactè perpẽderet, sciret planè dissensiones istas, quas in ecclesia iam excitauit aduersus priores patres, quum tãtam confusionem tantamq; iusti ordinis perturbationem pepererint, nequaquam ex deo esse, qui non est confusionis author, sed pacis.

*Doctrina Luther. non est à deo.*

Quinta Lutheri ratio. XVI.

SIc quicquid Christ⁹ Matth. 24. & vbique de falsis doctoribus, quicquid Petrus & Paul⁹ de falsis apostolis, magistris, & Iohannes de probandis spiritibus præcipiunt, eò pertinet, vt iudicandi, probãdi, dãnandi authoritas apud populũ sit. idq; iustissime. Respõdebim⁹ ad singula. Christus Matt. 24. dicit: Videte ne quis vos seducat. Multi enim veniẽt in nomine meo dicentes: Ego sum Christus. & seducent multos. Et mox eodem cap. subdit: Surgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia,

ita vt in errorem inducatur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. An non iam ingens prodigium est, magnam Germaniæ partem per vnum fraterculum seduci, ne tot proceribus ecclesiasticis qui nos præcesserunt, quicquam credant? Cæterum quid pro illis subiecerit Christus, palam est. Iussit enim ne quisquam eiusmodi pseudoprophetis crederet. Nolite (inquit) credere. perinde ac si dixisset, State in doctrina quam accepistis, nec relinquatis eam propter istorum noua dogmata. Paulus item. 2. ad Corint. 11. metuit, ne per astutiam huiusmodi pseudoapostolorum, quos & illic vocat operarios subdolos, & transfigurantes se in apostolos Christi: Metuit (inquam) ne per eorum astutiam Corinthij corrumperentur, quemadmodum & per astutiam serpentis Eua fuerat olim seducta. Et hic molitur Paulus, quòd ab his audiendis Corinthij potius in totum abstineant, quàm vt eorum dogmata patiantur audire. Et Petrus eiusmodi pseudoprophetas magistros vocat mendaces, qui clam inducunt sectas perniciosas. Et mox in eodem subdit, eos carnem sequi, in concupiscentia

2. Petr. 2.

pollutionis ambulare, dominationem cõtemnere, audaces præfractósque esse, nec vereri alios qui gloria præcellunt, conuiciis incessere. Quibus profectò verbis aut Lutherum expressit, aut neminem.

Porro discretio spirituum peculiare donum est, nec ad singulos pertinet, vti Paulus apertè testatur. 1. ad Corin. 12. Iohannes igitur in epistola. 1. cap. 4. quum de probatione spirituũ sic loquatur, Chariſsimi, ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus an ex deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. Hoc inquam loco Iohannes vel nõ à singulis examinari spiritus iubet, vel talem examinationem fieri mandat, quæ nõ multam aut subtilem exigit eruditionem. Nam hoc solo indicio pseudoprophetam dignosci vult, quòd ecclesiam scindat, & schismatum spinas, hæresumque tribulos introducat. Nam hi sunt fructus quos tales arbores pariunt. Sed Iohannem audiamus. Per hoc cognoscite spiritum dei. 1. Ioan. 4. Omnis spiritus qui cõfitetur Iesum Christum in carne venisse, ex deo est. Quid hic dicemus? An non Arrius confitebatur Christum Iesum in carne venisse? Et

Aetius, & Eunomius, & Macedonius, sed & alij hæretici complures? Confitebantur haud dubie, sed voce tantùm, factis verò negabant, cum tamen Christus in carnem venerit ob vnitatem & charitatem, quam illi scindunt, lacerant, discerpũt. Nõ enim colligunt cum Christo, sed dispergũt, imò soluunt Christum, hoc est mystici corporis eius dilaniant vnanimitatem. Propter quod in Iohanne sequitur: Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex deo non est. Sic enim habet translatio quæ communiter legitur, quam & hoc loco veriorem esse puto. Nam annotauit Beda, qui Theodorum audiuit natione Græcum, & in scripturis egregie doctum, quosdam ex hæreticis (qui prauo dogmate Christi diuinitatem ab hominis dispensatione separare conabantur) hunc versiculum ex epistola Iohannis erasisse. Certum est igitur omnem spiritum, qui quouis modo Iesum soluit, ex deo non esse. Quis ergo non apertissimè cernit Lutherũ, qui tanti schismatis author est, tamque misere scidit & dilacerauit ecclesiastici corporis vnitatẽ, priorésq; contẽpsit patres, vere schismaticum esse, & hac nota manifestarium esse

*Versus ex epistola Iohannis erasus fuit ab hæreticis.*

*Luth schismaticus est.*

pseudoprophetam? Hoc iudicandi ius licere cuique de populo non inficior, id est, vt quamprimum quempiam aliqua suspicione senserint esse schismaticum, eius dogmata communionémque prorsus vitent, donec legitime fuerit purgatus. Cæterum de subtilitate dogmatum iudicare, nec ad plebem pertinet, nec scripturis vllis, vt id à plebe fieri debeat, vsquam traditur. Iohannes verò paulo post in dicto capite manifestum subdit indicium, quo quisq; possit spiritum erroris à spiritu veritatis discernere, idque citra magnam eruditionem, aut subtilem dogmatũ diiudicationem. Sic enim ait: Qui nouit deum, audit nos. Qui non est ex deo, nõ audit nos. Per hoc cognoscimus spiritum veritatis & erroris. Hactenus ille. Neque enim quũ dixerit, Qui nouit deum, audit nos: hoc pro solis apostolis & discipulis qui tunc fuerant, intelligi voluit, sed & pro cæteris quicunque forent in ecclesia legitime succeſſuri, seruaturíque mystici corporis vnitatem. Quomodo igitur Lutheri spiritus ex deo poterit esse, qui cunctos apostolorum & discipulorum successores pro nihilo ducit, & contemnit penitus?

1. Iohan. 4. *Spiritus erroris facile deprehenditur.*

*Lutherus habet spiritum erroris.*

An non ex hoc manifestè constat spiritum eius spiritum erroris esse, non veritatis? Vix potuit igitur Lutherus aliis vti testimoniis quæ magis eum demonstrarent pseudoprophetam esse. Neque tamè assecutus est quod molitur, nempe quòd ob id sua dogmata credantur à nobis esse catholica, quòd talia censeantur à sectatoribus suis, & populari iudicio pro dogmatibus verè orthodoxis comprobentur.

XVII. Sexta Lutheri ratio.

» NAm vnusquisque suo periculo rectè
» aut falsè credit: ideóque cuique pro
» se curandum est, vt rectè credat; vt etiam
» communis sensus & salutis necessitas vr-
» geat necessariò iudicium doctrinæ penes
» auditorem esse.

Respondemus, quòd quemadmodum in emendis rebus, emptoris periculo sit si quid vel rectè vel secus ematur: tamen quia non omnes æquè periti sunt in discernenda bonitate rerum emendarum, ideo quicunque non planè stolidi sunt, consulunt peritiores, quibus in eiusmodi negocio credunt, neque suo ipsorum iudicio fidunt, nempe quòd intelligant se

per

per imperitiam facile falli posse: ad eum modum & simpliciores Christiani qui falli nolunt, facere tenentur, & eo certe magis, quòd ex errore fidei maius immineat periculum, quàm si quis errauerit in re quapiam emẽda. Nam hic solam pecuniã amittit, illic verò perdit & animã. Discriminosum est igitur cuiuis crassiori suum hic ingenium aut iudicium sequi velle, sed illorum sequetur tutius, quorum probitati confidit, & de quibus nullam vnquam audierit falsi dogmatis suspicionẽ. Quòd si viuos habere magistros nequeat, habere potest vel mortuos, de quorum fide, vita, eruditione nullus vnquam bonus dubitauit: veteres inquam illos quibus ipse sacer spiritus plenius & copiosius illabebatur. Hi profecto longe securius audiuntur, quàm plerique eorum qui iam viuunt, quum plus illi de spiritu credantur imbibisse. Porro quòd dicit Lutherus comunem sensum & salutis necessitatem vrgere, vt necessario penes auditorem sit iudicium, apertissimè falsum est, nisi plane spiritualis & in scripturis exercitatus auditor ipse fuerit: imò communis experientia salutísque necessitas nos

*Peritiores consulendi sunt Christianis.*

admonent, vt aliorum potius iudicium sequamur, de quorum eruditione probitateque confidimus magis quàm de nostra. Sed nunc ad id quod subdit Lutherus.

XVIII. Septima Lutheri ratio.

» ALioqui frustra dicitur, Omnia probate, quod bonum est tenete. Respõdemus, Id dictum fuisse toti corpori ecclesiæ, non singulis ipsius membris: quemadmodum si quis vni homini dixerit, Vide, audi, contrecta, curre: non pro singulis quibusque membris hæc dicuntur, sed aliud ad oculos pertinet, aliud ad aures, ad manus tertium, & quartum demum ad pedes. Sic quum toti ecclesiæ dicit Paulus, Omnia probate: non singulis hoc dicit, sed spiritualibus, quorum est pro toto corpore solicitos esse, rectumque super dogmatibus & examen & iudicium ferre. Quicquid autem ipsi sanum iudicauerint, idipsum à cæteris absque scrupulo debet approbari. Nam quemadmodum gustus in humano corpore pro cæteris membris diiudicat quid sapiat, quidve contra fuerit insipidum: sic & in corpore totius ecclesiæ spirituales viri gustum obtinent pro cæteris, quos & decet citra quamuis

1. Thess. 5.

hæsitationem illorum iudicio stare: neq; minus tutum id erit, vt ostendimus, imò longe tutius, quàm si suo quisque confidat ingenio, quod nec sine periculo, neque citra detestabilem arrogantiam fieri solet. Cæterum & hic optarim Lutherus attenderet quod ilico subiunxit Paulus: Ab omni specie mali abstinete vos. *1.Thess.5.* Hoc si vel ipse, vel sectatores eius diligẽtius expenderent, nunquam relictis patrum priorum dogmatibus ad alia noua prorsusque repugnantia sese conferrent, maximè quum Paulus ad Hebræos iusserit, Doctrinis variis & peregrinis ne circunferamini. Hæc si species mali non sit, non intelligo quid aliud species mali dici queat. *Hebr.13.*

## Octaua Lutheri ratio. XIX.

ET iterum: Spiritualis omnia iudicat, & ipse à nemine iudicatur. At quilibet Christianus est spiritualis à spiritu Christi.

Paulus eo ipso loco quo dicit spiritualem omnia iudicare, & ipsum à nemine iudicari, hoc & epistola priori ad Cor. testatur, complures Christianos carnales *1.Cor.2.*

fuisse, & non spirituales, vti superius ostendimus, ac proinde nec posse de spiritualibus iudicare. Neque enim omnis qui spiritum sanctum habet, protinus est Paulo spiritualis, sed qui dilucide mentem habet illuminatam à spiritu, & affectum ab eodem feruenter inflammatum. Variis enim gradibus secundum varia dona spiritus illabitur hominibus. Et multi spiritum habent, qui non tanta perspicacitate illustrantur, vt iudicare queant de omnibus. Istud nihil ambigo quin sit cũctis manifestum. Quamobrem & huiusmodi spiritualis, qui sic illustratur & afflatur, omnia diiudicare nouit, nec debet aut potest à crassiori & carnali populo diiudicari. Verum istud nequaquam in singulos de populo competit.

*Spiritualis homo non quilibet dicitur, qui spiritũ sanctũ habet.*

XX. Nona Lutheri ratio.

QVod postremo subdit ex eadem epistola, Omnia vestra, siue Apollo, siue Paulus, siue Cephas: nihil ad institutum Lutheri facit, quum Paulus hoc vbique agit, vt de se iudicare nihil ad ipsos pertineat: quandoquidem & ante sit testatus se tenere mentem Christi, ac proinde spiritualem esse,

1. Cor. 3.

nec debere à quoquam iudicari. Similiter & inferius cap. 4. dicit. Mihi pro minimo est vt à vobis diiudicer, aut ab humano die. Et paulo post. Qui me iudicat, dominus est. Nihil igitur ad rem attinent priora verba quæ Lutherus produxit. Sed & manifestè falsam attulit interpretationem, quum subiecit: Id est de omnium dictis & factis iudicandi ius habetis. Nam & subsequenter vetat Paulus eiusmodi iudicia, dicēs: Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat dominus. Quare falsum est, quòd de omnium dictis & factis haberent ius iudicandi. Quæ verò sequuntur in Luthero, conuicia iactantiæque sunt, quibus ego non respondeo, sed iudicio lectoris permitto: quem obnixius precor, vt cum illis conferre velit quæ supra diximus. Ipsa verò conuicia quisquis legerit, intelliget ea nequaquam à sancto spiritu, sed à dæmone quopiam impurissimo processisse potius. 1. Cor. 4.

## Ordinem & matrimonium esse sacramenta, conferréque gratiam efficaciter.

## Cap. XII.

I. TAm postremo loco quum prope calcem libelli quædam aduersus ordinis & matrimonij sacramẽta Lutherus obiecit, ad ea paucis respondebimus. Contendit hic Lutherus, ordinem haud quaquã sacramentũ esse, quòd sacramenti ratio quam ipse excogitauit, neutiquam, vt ait, conueniat ordini. Ego (inquit) ordinem negaui sacramentum esse, id est promissionem & signum gratiæ adiectũ, quale est baptismus & panis. Nullum itaque Luthero sacramentum est, nisi quod apertam in scripturis habeat gratiæ promissionem, cui signũ quoque sensibile sit adiectum. At quid opus fuit vt Lutherus hanc nobis nouam sacramenti rationem excogitaret? Intellige lector, ob id hunc nodum in scirpo studuit immittere, quò suum errorem (quem de fide concepit) securius tueatur. Nam perspexit homo vaferrimus, si per sacramenta quis gratiã assequi valeat, iam consequens esse, vt non sola fide iustificemur, sed per sacramẽtorum etiam opera. Quod si quis admiserit, iã corruit funditus vniuersa Lutheri structura. At quàm sit illud

*Definitio sacramenti à Luthero.*

*Opera ad iustitiã cõducunt.*

scripturis consentaneum, pluribus inter confutandum articulos per illum assertos ostendimus,ar. 1. Quibus iam hoc vnum adiiciemus.Si fides sola iustum efficiat, & opera nihil penitus adiiciant iustitiæ,tum Iohannes in epistola prima cap.3.non rectè iustũ diffiniuit quum dixit: Qui exercet iustitiam, iustus est.Quod si verum sit, vt & est omnino verisimum, oportet cũ qui velit iustus esse, iustitiã exercere, neque sufficit cuipiam vt credat solum. Nã quantumuis quis crediderit, si sua sponte peccet,iniustus euestigio redditur:quemadmodum è regione Iohannes subdit: Qui committit (inquit) peccatum,ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Ecce qui sua sponte peccat, ex diabolo est. Quomodo ergo non est ex diabolo, qui in omni opere quod facit peccat, id quod Lutherus vbique contendit? At his annectit Iohannes: Ad hoc apparuit filius dei, vt dissoluat opera diaboli. Venit ergo filius dei, non solum ob id vt crederemus, verumetiam vt in præceptis eius incederemus, neque sponte peccaremus nostra.Quisquis autem hæc facit, iustitiam exercet,

& iustus est, neque sola fides eum iustum reddit, sed opera quoque præter fidem. Hortatur etiam Timotheum Paulus. 1. ad Tim. 1. quatenus præter fidem, conscientiam insuper bonam habeat. Habens (inquit) fidem, & bonam conscientiam. Non sufficit ergo fides, sed oportet insuper & bona fulciri conscientia, quam & ille fortitus est solus, quem prius admissorum verè pœnitet, & voluntatem habet firmã deinceps rectè operãdi. Quisquis horum sibi conscius non fuerit, is profectò non habet conscientiam bonam, neque iustus dici poterit. Hæc diximus, vt intelligas optime lector, quàm insolidæ caducæque basi Lutherus innitatur, quum fidem sine operibus sufficere doceat, nec opera iustitiæ quicquam fidei superaddere. Super qua basi structuram hanc molitur, vt pro sacramentis nulla conferatur gratia, sed hanc (vt ait) sola fide consequimur. Nos verò vt non inficiamur quin prima iustificationis gratia per solam fidem acquiri possit, vbi fides valida fuerit: ita non dubitamus & in his in quibus fides admodum tenuis est, per sacramenta gratiam conferri, & per opera bona collatam au-

geri posse. Cæterum Lutherus vt suam hæresim facilius astruat, hanc nobis nouam sacramenti rationem excogitauit: quam si admiserimus, tum vix vllum è septem habebimus pro sacramento, tum alia plura (de quibus nemo quicquam tale cogitauit) sacramenta fore concedemus.

Sed age prius illud doceamus. Eucha- II.
ristia nullam apertam habet gratiæ promissionem, & maxime si quis negauerit sextum caput euangelij Iohannis ad Eucharistiam spectare, quemadmodum omnino contendit Lutherus. Nam de remissione peccatorum promissio quæ illic memoratur, haud dubie propter effusionem sanguinis in cruce fit, & non ob eius potationem è calice, quod multis ver bis ante perspicuum fecimus. Quamobrem nec erit iuxta hanc sacramenti rationem Eucharistia sacramentum. Et baptismus quoque, si quis velit contentiosior esse, & cum Luthero nihil admittere, nisi quod palam in sacris literis exprimatur, nusquam habet apertam gratiæ promissionem sub expresso nomine gratiæ. Atque ita nullum è septem habebitur sa-

cramentum.

Quòd si dixerit argumento colligi posse, gratiam pro susceptione vtriusque promissam esse: verum id quidem: sed non quicquid argumento colligi potest, id protinus conuincitur esse palam expressum. Nam pleraque sunt quæ possunt argumentis induci, quæ tamen primâ frõte plurimum obscura sunt. Sed & argumento colligi potest, gratiam fuisse promissam ob singulum quodque sacramentum. Nam si gratiam recipiat quisquis rite præparatus sacramentum aliquod accipit, cum id citra pactum à deo nobis factum fieri non possit, consequens est vt hoc ipsum ante promisisset deus futurum. Ecce iam argumẽto colligitur promissam fuisse gratiam pro quouis sacramento. Quòd si neget Lutherus ex scripturis ostẽdi posse gratiam ad alia sacramenta dari, præterquam ad baptismum & Eucharistiam: doceat ipse primùm hoc in Eucharistia baptismóque fieri, & nos eadem facilitate docebimus idipsum de reliquis. Atqui sat scio, nisi petierit suppetias è. 6. ca. Ioãnis, quod ipse palam recusauit, hoc de eucharistia nunquam est ostensurus.

Sed iam alterum quod polliciti sumus III.
ostendamus,nempe quòd iuxta rationem excogitatam à Luthero multa alia de quibus nihil tale existimatur, erunt sacramẽta. Nam eleemosyna sacramentum erit,& dimissio fraternæ iniuriæ,& precatio, atque id genus alia. Pro eleemosyna primũ est aperta Christi promissio dicẽtis: Date eleemosynam,& ecce omnia munda sunt vobis. At sine gratia nõ purgatur animus. Quamobrem & hic promittitur gratia, quæ quum absconsa sit & inuisibilis, neq; desit hic sensibile quoddam signum, res videlicet quæ donatur: iam consequitur vt eleemosyna verum sit Luthero sacramentum. Dimissio quoq; fraternæ iniuriç sacramẽtum erit. Nam promisit Christus, Dimittite, & dimittetur vobis. Dimissio verò peccatorum non fit nisi per gratiã. Ecce igitur promissionem gratiæ. Porro sensibile signum est, quando verbo vel nutu condonatur fratri. Sic in precatione promissio est. Petite,& accipietis. Sensibile signum est gestus, & orantis verba. Quamobrem quum sit in horum singulis promissio, & signum gratiæ adiectum, quis negabit quin iuxta Lutheri

*Ad Luthe. dicta consequitur diuersa esse sacramẽta.*

*Lucæ.11.*

*Lucæ.6.*

*Lucæ.11.*

traditionem hæc erunt verè ſacramenta? Neque hic affirmo quòd hæc ſacramenta ſint, aut vbiuis alibi prius affirmauerim, quẽadmodũ & captioſe Martin⁹ Bucerus, ſed parũ prudẽter mihi obiicit. Hoc tantũ dixi, & dico, quòd iuxta rationẽ à Luthero ſuperius traditã, neceſſe eſt hæc ſacramẽta dici debere. Nihil igitur oportuit huiuſmodi nouã ſacramẽti rationẽ excogitare, ſed potius oſtẽdiſſe, eã quæ apud omnes cõmuniter exiſtimatur ſacramẽti ratio, nequaquã his cõuenire quæ orthodoxi pro ſacramẽtis habẽt. Quod ſi nõ fecerit, nihil agit. Nã parũ dialecticè ſubinfertur: Nõ ſunt ſacramẽta iuxta rationẽ ſacramẽti quàm ſomnia, ait Lutherus, ideo nõ ſunt ſacramẽta. Sufficit enim orthodoxis, ſi iuxta rationẽ quã ſchola theologorũ hactẽn⁹ approbauit, ſacramẽta dici queãt, hoc eſt, quòd ſigna ſint rerũ ſacrarũ, & formæ quędã viſibiles inuiſibilis gratię. Quũ igitur ad iſtũ modũ hæc ſeptẽ (quæ pro ſacramẽtis eccleſia numerauit) habeãtur & ſint ſacramenta, incaſſum Lutherus nobis aliam ſacramenti rationem comminiſci molitus eſt. Et quanquam rex illuſtriſsimus pluribus & apertis ſcriptura-

*Definitio ſacramentorũ catholica.*

rũ testimoniis ostenderit, ordinẽ ad hunc modũ sacramẽtum esse, Lutherus tamen, tanta est hominis impudẽtia, nihil eorum agnoscere dignatur, præter vnũ quod ad Titum scripsit Paulus, de quo sic ait: Nihil proferunt dignũ responsione per tota sex sacramenta, nisi vnum illud, quod de sacramento ordinis adducit, Paulum scilicet ad Titum iubentẽ, vt per ecclesias ordinet presbyteros. Hoc enim loco vult institutum ordinis sacramentum. Hæc Lutherus. At Rex ipse nũquam asseruit his verbis, aut hoc loco sacramentum ordinis institutũ fuisse, sed & locos alios ex Paulo & multo sanè dilucidiores attulit, quibus luculenter ostendit manuum impositione dari gratiam in ordinatione presbyterorũ. An non hanc rẽ vel digito Paulus indicat, quum ad Timotheum ita scribat epistola priori: Noli negligere gratiã quæ est in te, quę data est tibi per prophetiã cum impositione manuũ presbyterij? Et rursum in epistola posteriori: Admoneo te vt resuscites gratiam dei quæ in te est per impositionẽ manuum mearum. Et iterum vbi vetat ne abutatur authoritate sibi data, dicens: Nemini citò manus im-

*Gratia deî cõfertur in ordinatiõe per manũ impositionẽ*

1. *Tim.* 4.

2. *Timot.* 1.

posueris. An non ex istis perspicuum est impositionem manuũ in ordinationibus presbyterorũ fieri, & eadẽ insuper donari gratiã? Impositio igitur manuum, quæ & in ipsis ordinatio est, sẽsibile signũ est inuisibilis gratię, & perinde verũ sacramẽtũ.

IIII Sed hanc gratiam alibi contendit Lutherus accepisse Timotheum quũ à Paulo baptizaretur, & nõ quum institueretur episcopus. At probet istud prius oportet, quàm ei credamus, nempe quòd Timotheus à Paulo fuisset baptizatus. Doceat istud ex scripturis, quod scio nũquam faciet. Et nisi scripturas attulerit, inanis erit eius probatio. Sed dicet: Paulus in vtraque epistola filiũ suũ vocat Timotheum. Estò. Sic & Corinthios vocat filios. Nam in epistola priori sic eos alloquitur: Non quò vos pudore suffundam, hæc scribo, sed vt filios meos dilectos admoneo. Nã etiam si innumeros pædagogos habeatis in Christo, non multos tamen habetis patres. Siquidem in Christo Iesu per euangelium ego vos genui. Ecce Paulus & apud ipsos Corinthios gloriatur se per euangelium eos genuisse, quos vt audisti, filios suos dilectos vocat, & eorum se

*Paulus nõ legitur baptizasse Timotheũ.*

*1. Cor. 4.*

dici patrem gloriatur: & tamen certum est eos à Paulo neutiquam fuisse baptizatos. Gratias (inquit) ago deo, quòd neminem vestrum baptizauerim, nisi Crispum & Gaium. Et mox subdit: Non enim misit me Christus vt baptizarẽ, sed vt euangelizarem. Nihil ergo probat Timotheum fuisse baptizatum à Paulo, quòd Paulus eum vocarit filium. At Lystris (inquit) erat Timotheus, quũ Lystrenses per Paulũ & Barnabã cõuertebãtur ad fidem. Et istud vt donemus tibi, nõ tamen ob id consequitur quòd Paulus illum baptizarit. Nam quum euangelio Corinthij primùm credidissent & baptizarentur, erant Corinthij alij cõplures præter Crispum & Gaium & Stephanæ familiam, nec tamen (vt iam diximus) à Paulo fuerant baptizati. Adempta est igitur Luthero facultas omnis penitus qua monstret ex sacris literis Timotheum à Paulo fuisse baptizatum. Quamobrem & hæc tergiuersatio nihil ei conducit. Sed habet tortuosus coluber diuerticulum aliud, nempe quòd hæc manuum impositio nihil ad ordinis pertineat sacramentum. sic enim paulò pòst ait: 1. Cor. 1.

V. Quæ verò de impositione manuum ad
» ordinis sacramentum trahit, vident pueri
» nihil ad ordinis sacramentum pertinere.
» Sed more suo papistico sic è scripturis fa-
» cit quodcunque visum fuerit. Impositio
» manuum tunc erat donatio visibilis spiri-
» tus sancti. hæc Lutherus. Nos verò cō-
*Spiritꝰ sanctus diuersimode collatus est.* cedimus impositione manuum visibiliter donatum fuisse spiritum, vt hi quibus ita donatus fuerat, eueſtigio linguarum donum acciperent, & etiam quibus vellent linguis loquerentur. At istud nihil prohibet quin ad alium effectum idem spiritus iterata manuum impositione donari possit inuisibiliter. Nam ad varios effectus conferebatur idem spiritus, & variis
*Actor. 2.* item modis. In ipso die quinquagesimo datus fuit absque vlla manuum impositione, nimirum quando sedit super singulos eorum, & repleti sunt omnes quitum aderant, spiritu sancto. Inter quos & Stephanum & Philippum pariter accepisse spiritum nemo dubitat. Verumtamen quum iidem postea Diaconi fuis-
*Actor. 6.* sent constituti, impositione manuum denuo spiritum acceperunt, sed ad alium effectum quàm vt linguis loquerētur, ni-

mirum

mirum vt munus diaconij quod illis per apostolos collatum fuerat, alacrius obirent, & adimplerent efficacius. Nam antea linguarum donum acceperant, nunc autem gratiam aliam inuisibilem. Sic Paulus quum ab Anania, iussu spiritus, manus illi imponebantur, linguarum donum accepit, verùm postea quum per eundem spiritum iussus fuerat in apostolatum segregari, tum à prophetis & doctoribus denuo spiritum, & ad alium quidem effectum iterata manuum impositione concepit. Nam prophetæ simul & doctores qui tùm Antiochiæ fuerant, vbi inter ieiunandum & sacrificandum, de segregandis Barnaba & Paulo mandatum spiritus accepissent, imposuerunt eis manus. Atque istud ieiunãtes pariter & precantes fecerunt: vt. xiij. actorum dilucidè cõstat. Neque tunc iterũ Paulus & Barnabas spiritũ visibiliter accepisse creduntur, sed gratiam eius inuisibilem, qua magis idonei redderẽtur ad officium apostolatus dignè exequendum. Similiter & presbyteros, qui postea per Paulum & Barnabam etiam impositione manuum creabantur, vt. 14. ca. palã est, bis accipesse.

*Actorũ. 9.*

*Presbyteri bis recepe-*

spiritum non est ambiguum. Semel quidem quum essent confirmati, quod & cõmune fuerat cunctis illius temporis Christianis: atque iterum, quum essent ordinati presbyteri. de qua quidem ordinatione sic tradit Lucas: χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους. Et quanquam hoc verbum χειροτονέω ad plebem alibi pertineat, quum hi manuum eleuatione deligerent magistratus, nunc tamen palam est non de plebe, sed de apostolis ipsis, nempe Paulo & Barnaba, fuisse dictum, vt hi videlicet manibus, hoc est manuum impositione, tum creassent & præfecissent plebi presbyteros, precatique essent cum ieiuniis. Ecce ieiunia, precationem, & manuum impositionem.

VI Nunc censuram adhibe lector, vter è duobus, Réxne an Lutherus scripturis verius & accommodatius vtatur. Iam vides, opinor, quàm perspicuum sit, impositione manuum creatos fuisse non diaconos modo, verumetiam apostolos atque presbyteros. Sed dicet Lutherus: Cur ergo Mathias non fuerat impositione manuum ordinatus? Ego rursum percontor Lutherum, vnde nouit Ma-

thiam non ita fuisse ordinatum? Si dixerit quòd in scripturis istud non traditur, At hæc argumentatio quum sit merè negatiua, nihil efficit. hæc vtique dialectica neque rarò Lutherum fefellit. Veruntamen & ex ipsis actis videri potest Mathias etiam impositione manuum fuisse constitutus apostolus. Nam illic scribitur: Et coopta- *Actorũ. 1.*
tus est in numerum vndecim apostolorum. At hanc cooptationem non nisi manibus impositis per apostolos fuisse factam credibile est. Sed estò, nulla fuerit hic manuum impositio. Potest tamẽ hoc in causa fuisse, quia nondum aduenerat spiritus, qui docuit apostolos hoc signo donandam esse gratiam. At postquam idipsum reuelatione spiritus habuissent compertum, iam deinceps passim & confirmandis & ordinandis imponebant manus. Nam certum esse cuiuis potest, quòd nisi spiritus hoc ipsum apostolis inspirasset, nec hi rem tam incredibilem tentassent vnquam, neque si tentassent, sperare tamen effectum & tam infallibiliter secuturũ quomodo potuissent? Hæc haud dubie spei certitudo, qua tum in

*Sanct. Mathias fuit impositiõe manuũ ordinatus.*

*Impositio manuũ fiebat spiritu sancti instinctu.*

hoc negotio freti sunt apostoli, palam indicat, spiritum cũ eis super ea re pactum iniisse, quòd scilicet ipse præsto foret gratiam exhibiturus his vel confirmandis vel ordinandis, quibus illi tantæ rei caussa manus essent imposituri. Ex quo loco, si non obstinatæ mentis esset Lutherus, scire facilè potest multa esse credenda, quæ sacris literis minime commendata sunt.

VII Ex his iam, opinor, manifestum est diaconos & presbyteros impositione manuum ordinari, simul & eadem illis conferri gratiam, atque id ex inspirationis diuinæ pacto. Quamobrem quum ad peculiarem sacramenti rationem nihil amplius exigatur, quàm sensibile signum & gratia ex pacto, quis deinceps hęsitare poterit, quin ordinatio, per quam ceu per sensibile signum confertur ex pacto gratia, sit verè sacramentum? Cæterum quòd populi suffragiis Lutherus electionẽ quãque fieri debere cõtendit, ad quẽ modum *Actor. 6.* & diaconi septem instituti fuerãt, nõ valde reluctarer, si populus posset sepositis affectibus citra cõtentiones & tumultus de quouis vno cõuenire. Verũ quũ istud pro-

pemodũ impossibile sit vt fiat, Ecclesię proceres ob crebra dissidia, pariter & seditiones, imò cædes quę nõ raro cõtigerunt in his electionib⁹, dũ vna pars vni, atq; altera pars alteri ptinaciter esset addicta, prorsus adacti sunt negotium istud autoritate sua icõsulto populo trãsigere. Cæterũ electio si p populũ celebraretur, ipsa nihilo magis aut presbyterũ aut episcopũ facit, sed posteaq; quis ita fuerit electus, oportet nihilominus eundẽ ab iis qui autoritate pollent, rite ordinari. Quod etiã in ipsis septẽ diaconis erat apertissimũ, de quorũ ordinatiõe sic in actis traditur: In diebus illis crescente numero discipulorũ, ortum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ ipsorum. Duodecim itaque quum iussissent adesse multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est placitum, vt nos derelicto sermone dei, ministrem⁹ mensis. Circũspicite ergo fratres, viros ex vobis spectatæ probitatis septem, plenos spiritu sancto & sapientia, quibus delegabimus hoc negocij. Ecce lector hic vides primùm necessitatem ob quam apostoli diaconorũ electionẽ toti

*Electio non fit suffragio populi.*

*Actor. 6.*

multitudini permiserunt, nimirum quòd subortũ murmur vix aliter sedare valuissent, nisi populus pro sui animi sententia ministros accepisset. Cernis insuper apostolos ita rem hanc illis permisisse, vt sibi nihilominus ipsius muneris delegationẽ reseruarint. Quibus (inquiunt) nos hoc negocij delegabimus. Porro qua cęremonia diaconos ipsos apostoli constituerint, palam est ex verbis quæ mox sequuntur. Et quum orassent (inquit) imposuerunt eis manus. De ieiunio quoque supra locutus est Lucas. Nam his tribus in ordinatione quauis vsi sunt apostoli, nempe ieiunio, precationibus, & manuum impositione. Nihil ergo cum actis apostolorum pugnat factum Titi, qui fretus authoritate sibi data per Paulum, presbyteros in Ecclesiis ordinauit, quum vbique per presbyterorum manus ordinabantur presbyteri. Sed neque Pauli verba quicquã dissident ab apostolorum exemplo, quum non populus, sed apostoli diaconis ipsum munus delegassent, & precatione facta manus ipsis imposuissent. At populus (inquies) nominauit eos septem, eosdemque statuit in apostolorum cõspectu. Non reluctor: sed

*Tribus vtebantur apostoli in ordinatione.*

*Ad Tit. 1.*

hæc nominatio non fecit eos diaconos. Nam postea diaconi constituti sunt, manibus (vt ostensum est) ipsis per apostolos impositis. Clarissimum est igitur apostolos impositione manuum suarum tam presbyteros q̄ diaconos ordinasse. Quamobrem quum in hac ordinatione conferatur infallibiliter gratia, nisi per ipsum qui ordinatur steterit, apertum est ordinationem esse verè sacramentum. Nam in eam verè competit ratio sacraméti peculiaris. Est enim inuisibilis gratiæ visibilis forma, sic vt imaginē teneat, & causa existat. Comitatur enim ordinationem illam velut signum indubitatum & efficax inuisibilis quędam gratia. Cæterum quum alibi de sacerdotio sacrificioque missæ copiosius dicturi simus, hic quantum ad ordinis attinet sacramentum, finis esto.

*Ordinatio est sacramentum.*

*Pollicetur alium librum.*

De matrimonio quoq;, quòd & ipsum identidem sacramentum sit, paucis ostendere conemur, quanquam idipsum fide quiuis multo facilius assequetur, quàm argumentis vllis. Mihi sanè magnopere probatur illud Augustini, quum dicit: Sacramentis diuinis fides plus quàm verborum argumentatio adhibenda est. Et profectò

VIII.

sufficere cuiuis bene Christiano deberet, quòd Ecclesia nobis illa septē pro sacramentis dedit, mandans vt his fidem adhiberemus. Nam si reperiri queat in terris vsquam veritas, nusquā infallibilius quàm in Ecclesia reperietur. Quæ res quum ob alia multa, tum ob tria potissimum scripturæ testimonia cuique potest esse perspicua. Et primū est, quòd Christus qui se veritatem appellat, pollicitus est se cū Ecclesia futurum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: Si Christus qui est ipsa veritas, Ecclesiam nullo tempore destituet, certum est nec eam esse veritate destituendam vnquam. Alterū est, quòd idem ipse Christus promiserit spiritū sanctum in Ecclesia perpetuò futurū, & eam ducturum in omnem veritatem. Ego (inquit) rogabo patrem, & alium consolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis Et haud multo post: Quum venerit ille qui est spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatē. Si spiritus veritatis Ecclesiæ nūquam nō aderit, & eādem in omnē ducet veritatē, quî fiet vt pro veris falsa nobis tradi patiatur sacramenta? Tertium est, quod primę ad

*Ecclesiæ veritas trib⁹ afferitur rationibus. Prima.*

*Ioan.14.*

*Matt.28.*

*Secunda.*

*Ioan.14.*

*Tertia.*

Timotheũ. 3. scribitur, Vt noris (inquit) quomodo te oporteat in domo dei versari, quæ est Ecclesia dei viui, colũna & basis veritatis. Si domus dei quæ est Ecclesia dei viui, sit columna basisq; veritatis, ruere is non potest, qui doctrinæ per eã traditæ constanter innititur. Ista profectò me vsque adeo mouent, vt non hæsitanter adhæream his quæ sciam per Ecclesiæ definitionem esse comprobata. Quamobrem quum in œcumenico concilio Florentiæ habito, quò Græci pariter & Latini conuenerunt, definitum sit, Ecclesiæ sacramẽta septem esse, quæ gratiam dignè suscipiẽtibus cõferant, in quibus & matrimonium pro septimo connumeratur, nemo deinceps orthodoxus de veritatis huius determinatione secum dubitare potest.

*In concilio decretũ est septem esse sacramẽta.*

IX.

Cæterum ne concilium illiud citra scripturas & efficaces rationes hoc decreuisse putetur, nos quædam in medium afferemus testimonia, quibus id iure fecisse credatur ab omnibus. Et primum me mouet, & magnopere sanè, Iohannis martyrium, qui pro cõiugij violati reprehẽsione mortem oppetiit. Fuerunt vtique scelera multa in speciem grauiora, pro quibus coar-

*Iohãnes Baptista occisus est propter adulterij correp-*

ptionem. guendis ille pateretur, sed nullum conue-
Matth. 14. nientius pro quo sponsi amicus funderet
Marc. 6. sanguinem, quàm adulterium, & coniugij
Lucæ. 9. violatio, quum ipsa potissimũ in non me-
diocrem Christi iniuriam, qui spõsus erat,
redundabat. Porro sponsum fuisse Chri-
Iohan. 3. stum Baptista testatur, inquiés: Qui habet
sponsam, sponsus est. Amicus autem spon
si qui stat & audit eũ, gaudio gaudet pro-
pter vocem spõsi. hoc ergo gaudium meũ
impletum est. Hæc Baptista. Ecce spon-
sus, Christus est. Ecclesia, Christi sponsa.
Iohannes, amicus sponsi. Sicut igitur ami-
cus sponsi Iohannes, impensè gauisus est
de vnione sponsi & sponsæ, hoc est Chri-
sti & Ecclesiæ, ita non potuit non habere
molestissimum, hanc iniuriam publicitus
irrogatam fuisse coniugio, quod cõper-
tum habuit vnionis ipsius fuisse sacramen
Cauilli di- tũ. Sed hic scio Lutherus dicet, nos prin
lutio. cipium petere, incumbereque nobis pri-
mum, vt probemus coniugiũ huius vnio-
nis sacramentũ esse. Istud, nisi fallor, post-
ea faciemus. At interea velim expendat le
ctor, quantum pertinuit ad amicum sponsi
Iohannem, iniuriam ipsam vindicare, quũ
non potuit in hoc non lædi sponsus, si

coniugium quod coniunctionis Christi cum Ecclesia signum erat, quouis modo violaretur. Nam ita quiuis facilius colliget,& violationem cõiugij in ipsius sacræ vnionis derogationem redundasse, & Iohannem appositè pro violato coniugio martyrium fuisse perpessum.

X. *Matrimonium est signũ vnionis Christi cũ ecclesia.*

Cæterum quòd coniugium siue matrimonium sit vnionis ipsius sacratissimæ signum,Rex illustrissi. ex ipsius Pauli verbis ad Ephe.5. hoc adeo copiosè docet,vt non videã quid facile queat addi, aut qua possit Lutherus tergiuersatione subterfugere, quin vel inuitus herbam porrigere debeat.Neque enim est quisquam,nisi pariter cũ Luthero insaniat,qui negare possit ea verba de primis illis coniugibus dicta fuisse,quum & Christus in Euangelio Matth. pariter & Marci testetur idipsum. Docet enim ex illis verbis, vinculũ quod est viri cum vxore,indissolubile esse. Ab initio (inquit) creaturæ masculum & fœminam fecit eos deus. propter hoc relinquet homo patrem & matrem,& adglutinabitur vxori suæ, & erũt duo in carnem vnam.Itaque iam nõ sunt duo,sed vna caro.quod ergo deus copulauit, homo non

*Matth.19. Marc.10.*

ſeparet. Perſpicuum eſt igitur ad viros & vxores hęc verba ſpectare. Quod ſi de cõiugibus ea dicta ſint, quæ vnionem illam quæ eſt Chriſti ad Eccleſiam ſignificent, quis non perſpicit primorũ coniugum copulam ei ſimilẽ fuiſſe, quam Chriſto cum Eccleſia eſſe fatemur? Nam in illis verbis omnino Paulus aſtruit magnum eſſe myſterium: quod ſanè quãquam aliò ſpectet, nimirum ad Chriſtum & Eccleſiam, tamẽ ex ipſo coniugio velut è ſigno baſiq; pullulat. Coniugium itaque mariti cum vxore, Chriſti & Eccleſię ſuæ coniunctionem inſinuat. Alioqui nec virum Chriſto, fœminamq; Eccleſiæ Paulus comparaſſet, dicens ita virum eſſe caput vxoris, quemadmodũ Chriſtus caput eſt Eccleſię: iubénſque, vt ita viri diligant vxores, ſicut Chriſtus Eccleſiam. Et ſubdens quoque, ſic ex carne & oſsibus Chriſti, Eccleſię membra formari, quemadmodum olim ex carne & oſsibus primi viri, prima vxor ſumpſit originem. Quamobrem & verba quę de primis ipſis coniugibus enunciabãtur, annectit, nimirum hæc: Propter hoc relinquet homo patrem & matrẽ, & adhęrebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnẽ vnam. Atque

*Epheſ. 5.*

ita Paulus demum infert, Hoc mysterium magnum esse, nimirum quòd vir relictis parentibus adhæreat vxori, & fiat vna caro. hoc vtique mysterium & sacramẽtum magnum est, quatenus Christi cum Ecclesia copulam repręsentat. Nec inficior tamen, si rem istam introspectes, pusillum quiddam esse, nempe quòd vir & fœmina coniungantur in carnem vnam: verùm si respicias ipsam Christi cum Ecclesia coniunctionem, quam & illud coniugium refert, certè non pusillum, sed magnum mysterium seu sacramentum esse cognosces.

XI. Et quanquam hæc sint apertissima, Lutherus adhuc obstinatè persistit, negás matrimonium sacramẽtum esse. Sic enim ait: Et quid dicam? Ne nomen quidem sacramenti voluit intelligere. Quod euidenter ostendit, quũ locum Pauli Ephe. 5. tractat de matrimonio, quem Paulus de Christo & Ecclesia ponit, dicens: Sacramentũ hoc magnum est. ego autem dico in Christo & Ecclesia. Neque enim scriptura patitur vt matrimonium sacramentum dicatur. "

Hæc Lutherus. Sed aduerte lector quã necessitate Lutherus adigitur, vt tãto studio sacramẽtum istud damnare moliatur.

Is enim & mordicus contendit in quouis opere bono peccatum esse: fomitem etiam in quantūuis sanctissimis hominibus esse peccatum: quamobrem & actum coniugalem omnino negat citra peccatum fieri. Quo fit vt consequenter matrimonij sacramentum auferat. Cuius præcipua necessitas hæc fuit, vt actus ipse coniugalis citra peccatum exerceri possit, & vt vir vxori, pariter & vxor viro siue quauis in deum offensa, debitam redderent mutuò beneuolentiam. Non enim adduci possum vt credam hunc actum esse de se malum, sic vt nequeat vllo pacto bene fieri. Nam alioqui nec ipsum deus primis ipsis mandasset parentibus: quod tamen fecisse cōstat, quemadmodū apertum est Gene. 1. Et ne quis dicat tunc fieri potuisse citra peccatum, eo quòd caro nostra nondum spiritui rebellis facta fuisset, hoc ipsum rursus Gen. 9. pro statu naturæ lapsæ præcipitur: Crescite (inquit) & multiplicamini. Id quod sine opere cōiugali fieri neutiquam potest. At quicquid deus iubet, eo ipso quòd iubeat, bonum sit oportet, quemadmodum de spoliatis Aegyptiis est manifestum. Neque enim Iudæis licuisset

*Actus coniugalis non est de se malus.*

istud facere, nisi deus idipsum eis ante præcepisset. Quando igitur hunc actum deus fieri iussit, certum est non esse de se malum, sed eiusmodi circunstantiis agi posse, vt bonus euadat, imò bene fiat, & citra quoduis peccatum: alioqui non dixisset Paulus: Si duxeris vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit. ecce palam testatur Paulus istos non peccare. Et iterum paulo post: Si quis indecorum virgini suæ putat si prætereat nubendi tẽpus, & sic oportet fieri, quod vult faciat, non peccat, iungantur matrimonio. & hic iterum affirmat Paulus non peccare eos qui matrimonio copulantur. Et mox in eodem capite subdit: Qui elocat nuptum, bene facit. Ecce non modo bonum hunc actum esse, verum etiam bene fieri Paulus docet. Bene inquit facit. Vt coniuges igitur hunc actum citra peccatum valerent exercere, matrimonij sacramentum institutũ fuit. Cæterum vt ea res luculentius appareat, nos quasdam veritates firmare moliemur ex scripturis, ex quibus colligemus, matrimonium esse verum sacramentum, atque id iuxta peculiarem sacramenti rationem.

1. Cor. 7.

*Hinc deinceps probat matrimoniũ esse verum sacramentum.*

Prima veritas est.

Matrimonium perfectum, est etiam indissolubile.

XII. HVius veritas patet Matth. 5. Ego dico vobis, quòd quisquis repudiauerit vxorem, nisi causa stupri, efficit vt illa sit adultera: & quicunque repudiatam duxerit, adulterium cõmittit. Et rursum. 19. eisdem prope verbis cõfirmat hoc ipsum: & Marci. 10. Christus ait: Quicunque repudiauerit vxorẽ suam, & duxerit aliam, adulterium committit aduersus illam. Et si mulier repudiauerit virum suum, & nupserit alteri, adulterium committit. & Lucæ. 16. Quisquis dimittit vxorem suam, & alteram ducit, adulterium cõmittit: & qui dimissam à viro ducit, adulterium committit. & Paul. 1. ad Cor. 7. Coniugatis præcipio, non ego, imò dominus, vxor à viro ne separetur. Quod si separata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur, & maritus vxorem ne dimittat. Ecce in his omnibus patet, matrimonium quod inter virum & fœminam consensu mutuo contrahitur, mutuo consensu dissolui non potest: sed quamdiu pars vtraque superstes fuerit, manet quantum ad hominem

hominem pertinet, indissolubile.

Is nodus indissolubiliter, non ab hominibus, sed à deo coniugum animis affigitur.

*Secunda veritas.* XIII

Et huius item veritas ex Mtthæo Marcóq; perspicua est. Nam vt traditur Mat. 19. Pharisæi Christū rogāt, licét ne homini diuortiū facere cū vxore sua qualibet ex causa? Christus autē respōdet: An non legistis, quòd is qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit illos, & dixit: Propterea deseret homo patrē & matrem, & adglutinabitur vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam? Quod igitur deus copulauit, homo ne separet. Ecce Christ⁹ apertè dicit hanc indissolubilē coniugū copulam à deo processisse. In qua re subscribit & Marcus ca. x. Quamobrem apertum est, coniuges authoritate dei mutuo copulari, nexúque quodā ab eodem alligari, qui, quantum ad hominem pertinet, indissolubilis est.

Non est hæc indissolubilitas plene absoluta nisi per fidem Christi, & tempore plenitudinis gratiæ.

XIIII *Tertia veritas.*

Non antea matrimoniũ plenam & absolutam perfectionẽ sortitur, quàm pars vtraq; Christianismum acceperit: quoniã si quũ alter coniugũ Christi fidẽ admiserit, factúsq; sit Christianus, pars altera nolit in Christũ credere, sed Christi fidẽ penitus aspernatur, & odio nominis Christiani repudiat siue maritus fœminã, siue maritũ fœmina, iã ea pars quæ ad Christũ conuertitur, sui iuris est, nec ita seruituti subditur, vt teneatur alterã sequi, sed quũ velit, alij cuilibet se coniugare poterit. Istud Pau. 1. Cor. 7. docet, inquiẽs: Quòd si incredulus discedit, discedat. Nõ enim est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi. Ecce tã fœminæ quàm marito si priusquam ad Christianismum venerit, copulã quãlibet inierit, & pars altera quæ fuerit incredula, discesserit odio Christi, liberũ facit Paulꝰ vt discedat, nec eã sequi teneatur. Quãobrẽ & palã est ipsum coniugiũ quod antea fuerat vel inter Iudæos contractũ, nequaquam plenã & absolutã indissolubilitatẽ habuisse: nec obstat qđ superius adductum est, nempe quod deus copulauit, homo non separet. Nam hoc diuortium fit non homine sed authore

*Matth. 19.*

deo, qui talem Christianis præstitit libertatem, ne si partẽ incredulã sequerentur, periclitaretur eorũ fides. Vnde potest & cuiuis esse perspicuũ, non prius accepisse matrimonium completã & absolutissimã perfectionem suam, quàm Christus ecclesiam sibi copulauerit, hoc est sub tempore plenitudinis gratiæ.

XV.
*Quarta veritas.*

Quoties deus ita coniuges alligat, gratiã item confert, qua seruare facilius queant indiuulsam vitæ consuetudinem.

Et istud intelligo, si non per ipsos cõiuges steterit quo minus ipsi gratiam accipiant. Neque enim ex baptismo, aut eucharistia, aut alio sacramento quouis gratia confertur his qui inter suscipiendum mortalis culpæ repagulũ obiiciunt. Nam quantum in his faerit qui copulãdi sunt, obstacula quæque prius amolienda sunt, & animi præparandi: quemadmodũ & Salomon in prouerbiis ait, Hominis est animũ prẹparare. Et apud Matt. Esaias dixisse traditur, Parate viam domini. Si coniuges ita suos animos prẹparẽt, nõ est dubiũ quin deus cõtrahentibus gratiã infundat. Et hic primũ videamus quàm sit istud ra-

*Matrimonium dignè suscipientibus confertur gratia. Prouer. 16. Matth. 3.*

tioni cõsentaneũ, mox verò per scripturas id ipsum ostendemus. Certũ est hunc nexum quo vir vxori suæ nectitur (si quis attentè consideret) esse perdifficilẽ, nimirum vt ab ea, si vel iracũda, siue iurgatrix aut maledica, si malis moribus, si temulenta, gulosa, vagá ve fuerit, separari non liceat. Propter quod & apostoli Christo dixerunt: Si ad istũ modũ habet causa hominis cũ vxore, nõ expedit cõtrahere matrimoniũ. Parum itaq; cõueniret immẽsæ largitati dei, qui tã opulẽtus est in misericordia, tã arcto vinculo cõiugatos astringere, nisi pariter & gratiam donaret qua possent in ipso nexu durare placidius, tribúsque bonis illis inseruire, nẽpe prolis, fidei q;, & sacramẽti. Nam difficile est, ne dicam impossibile, vt à cũctis coniugatis citra quoduis auxilium gratiæ, prolis bonũ studiosè curetur, fides vtrinque seruetur integrè, ac demũ vt summæ illi? cõiũctionis Christi videlicet & ecclesiæ signum haudquaquam violetur. Sed dicet quispiã: Neq; iã ista fiũt ab omnibus qui matrimoniũ alioqui legitimè suscipiũt. At huic respõdeo, non id euenire, q? sacramento matrimonij desit gratia, sed magis quòd illi

*Ratio.*

*Matt. 19.*

*Sinegratia non seruantur bona cõingij.*

*Obiectionis dilutio.*

qui sic copulantur, gratiæ desunt: quum sicut de Roboam scriptum est, corda sua neutiquam præparauerint vt quærerent dominum. Cæterum his qui se rite præpararũt, non est dubium quin gratia conferatur. Nunquam enim deus, præsertim hoc tẽpore plenitudinis gratiæ, quẽquam donat aliquo munere quicquam faciendi, cui nõ cõferat gratiã quæ valeat idipsum implere. Quamobrẽ & cũ in hoc munere fœderéque cõiugali deus marẽ ac fœminã indissolubiliter colligauerit, nemini debet ambiguũ esse, quin gratiã idẽtidem largitus sit, qua dignè queant actum illius muneris exercere. Sed age scripturis istud comprobemus. *2. Par. 12.*

XVI

*Authoritatibus probatur matrimonium cõferre gratiam.*

Occurrit hic primum præter ea quæ superius attulimus, istud, quod ab initio feciſſe legitur deus, nimirũ vbi coniunxisset primos parentes nostros, benedixit eis & dixit, Crescite & multiplicamini. Nec fuit ista benedictio beneficentia quædam corporalis duntaxat, verum etiam spiritualis. Nam operatur benedictio dei iuxta capacitatem eorum quibus benedicit. Quanquam enim creaturæ cæteræ, quibus illic benedixe- *Gene 1.*

rat, nullam inde gratiã ſpiritus reportaſſent, nimirum quòd non erãt huius gratię capaces: homines tamen ratione præditos nihil vetuit, quum ipſi benedicerẽtur, accipere gratiam. Nam cui poteſt ambiguũ eſſe, quin puelli quibus Marc. 10. Chriſtus benedixit, gratiã ex ea benedictione ſint aſſecuti? fuerunt enim gratiæ capaces. Sed & Gen. 9. quum deus Noe pariter & filiis eius benedixiſſet, iuſsiſſetque creſcere & multiplicari, non ſolis eorum corporibus virtus quædam ea roborans, verumetiam & mentibus gratia diuinitus imprimebatur. Quòd ſi tũc quum decurreret tempus naturæ vitiatæ, neque coniugij ſacramentum adhuc eſſet plene abſolutum, ita patriarchis illis deus negocij coniugalis cauſa benedixiſſet, nũc ſub tẽpore plenitudinis gratiæ, & cum pleniſsimè ſacramẽtum iſtud abſoluatur, nexuque penitus indiſſolubili coniugatos alligauerit, nulla reſperget eos benedictionis ſuæ gratia?

Deinde ſuccurrit & illud quod & in Tobia ſcribitur, nimirũ quòd in eos qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt deum à ſe & à ſua mente excutiãt, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, dæmonium ha- *Tobiæ. 6.*

bet potestatem: quum ediuerso fiat his qui filiorũ amore magis quàm libidine ducti copulãtur. Nam & à dęmoniis hi tuti sunt, & in semine pariter Abrahæ benedictionem in filiis consequuntur. Sic deus coniugiis piè contractis aspirauit, vt talem cõiugibus impartiret gratiam, quum nondũ illud magnum de Christo & ecclesia mysterium esset reseratum, neque prorsus indissolubile coniugiũ factum esset: & nunc quando Christus verè sponsus ecclesiam sibi in sponsam copulauerit, tantisque matrimonium decorauerit præconiis, nullã his qui sanctè coniugantur, donabit gratiam? Sed iam veniamus ad nouam legem.

XVII. Paulus priori ad Thessa. 4. sic ait: Hæc est voluntas dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis à scortatione, & sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ, quemadmodum & gentes quæ ignorant deum. Certũ est his verbis non id molitũ fuisse Paulum, vt Thessalonicenses cuncti viuerent cœlibes, aut qui coniugati fuissent inter eos, sese prorsus continerent ab vxoribus. nam 1. ad Corint. 7. quid in aliis omnibus ecclesijs hac

de re ſtatuerit teſtatur, nimirum vt ob ſtupra vitãda ſuam quiſque vxorem, & ſuum quęque virum habeat, vtque vir vxori debitam beneuolentiam reddat, ſimiliter & vxor viro. Addit quoque quòd vxor proprij corporis ius non habet, ſed maritus: ſimiliter & maritus proprij corporis ius non habet, ſed vxor. Nequaquam igitur illis verbis Paulus Theſſalonicẽſibus vſum operis coniugalis interdixit. Quamobrem nec actus coniugalis obſiſtit aut honori aut ſanctificationi vaſorum, ſiue corpora virorum ſiue ſuarum coniugum per vaſa mauis intelligere. Quum Paulus itaque dicat voluntatem dei eſſe, vt ſanctificẽtur, & vt ſciat vnuſquiſque ſuum vas poſsidere in ſanctificatione & honore, quis iam dubitare poteſt an coniugatis qui nullo affectu concupiſcentiæ ducti, ſed procreandæ prolis & vitandæ ſcortationis cauſa coniugium inierũt, gratiam donauerit deus, qua tam mente quàm corpore ſanctos in opere coniugali ſeruare ſeſe valeant?

Atque ad hoc ſpectat & illud Pauli ad Heb. 12. Honorabile inter oẽs cõiugium, & cubile impollutũ: Ecce coniugiũ vocat honorabile Paulus, & eorũ cubile teſtatur

impollutũ esse. Quamobrẽ & potest adeo sancte mutua cõiugibus reddi beneuolentia, vt nec actᵘ cõiugalis eos peccato quouis prophanet aut polluat. Nã si labe quauis peccati vel animos polluat, vel dedecore quolibet afficiat corpora, iam nõ erit honorabile cõiugium, nec impollutũ cubile reputabitur. At istud quis nõ intelligit, præstari nequaquã posse citra quoduis donũ gratiæ? His item suffragatur & illud Pauli 1.ad Cor.7. Sanctificatus est maritus incredulus per vxorẽ quę credit, & sanctificata est vxor incredula per maritum qui credit. Quę verba sic opinor accipi debẽt, quòd id opus maritale quod cũ vxore orthodoxa maritus incredulus exercet, non imputabitur illi ad mortalem culpam, sed is actus à mortali culpa protegitur per vxoris fidem, & per gratiam nexus quo interim viro colligatur quàm diu nolit is ab illa discedere. Quod si viro prorsus infideli contingat istud propter fidem & gratiam nexus, quo iam nec prorsus indissolubiliter ei copulatur vxor, quid sperabimus vbi vinculũ prorsus indissolubile fuerit, & integra de Christo fides in vtroque?

Adde quòd.1.ad Tim.2. Paulus tantum

ſancto coniugio tribuat, vt dicat etiã promereri coniuges per filiorum generationem. Saluabitur (inquit) mulier per filiorum generationem, ſi permãſerint in fide. hoc eſt, ſi eo animo genuerit eos mulier, vt Chriſto inſererẽt. Atqui generare quis dubitat opus coniugij eſſe? Quocirca & per ipſum opus mulier quæ ſanctã & ſynceram in Chriſto prolis educationem ſibi proponit, ſalutem æternam ſibi valet promereri: id quod ſine gratia fieri nequaquã poteſt. Poſtremò quemadmodum ſuprà diximus, 1. ad Cor. 7. Paulus affirmat non peccare eos qui ſanctè coniugantur: Si duxeris (inquit) vxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccat. & paulo poſt: Qui virginem ſuã nuptum elocat, bene facit. Verum ſi cõiugalis actus nequeat abſque peccato fieri, quomodo non peccabit qui cõſentit in illum? aut quî poteſt bene facere, qui ſibi conſcius eſt eo ipſo quod agit, peccare, ſimul & actũ perpetrare malum? Quòd ſi bonus actus fuerit, & bene faciat is qui illum operatur, quum id ſine gratia fieri nequeat, quis non perſpicit cõſequẽs eſſe, vt deus quum nexum indiſſolubilem affigat, infundat pariter & gratiã

Sed hæc pro quarta sufficiunt.

Nec ista fiunt absque sensibili signo, quo certò cõstet iam huius indissolubilis vinculi gratiam coniugibus ipsis esse donatã. *Quinta veritas.*

Et huius item veritas est dilucida. Nam & si vir quispiã non coniugatus rem habuerit cum fœmina similiter incõiugata, nisi pariter manifestis verbis, aut aliis euidentibus indiciis mutuũ inter sese cõtractum fecerint, mutuoq; spoponderit alter alteri, nullũ adhuc matrimoniũ agitur, neque vinculo inter se vinciuntur quod nõ facilè diuelli queat, sed omnino liberũ est vtrique quàm primũ voluerint ab inuicẽ discedere. Veruntamen si fuerit vterq; sui iuris, & ab alieno cõtractu penitus liber, neque legitimum aliquod impedimẽtum intercesserit, si iam verbis aut indiciis id palam testantibus sua corpora mutuo cõmunicauerint, sancte se præparantes ad sacramentum istud peragendũ, haud dubiè nodus indissecabilis, & gratia pariter eorum animis diuinitus infundũtur. Signum ergo sensibile tam nexus huius indiuisibilis, quàm gratię qua perfundũtur coniugũ animi, verba ipsa sunt, aliaq; indicia quib⁹ contractus vtrinque fit. Nam si cõtractus

XVIII.

*Signa sensibilia veri matrimonij.*

claudicet ex alterutra parte, nihil agitur, nullũ obfirmatur matrimoniũ. Cæterum quantum ad hæc visibilia signa pertinet, Lutherus nõ admodũ reluctatur. Sic enim haud procul ab eo loco quẽ iam oppugnamus, de matrimonio loquitur: Matrimonium (inquit) adeo nõ est res abscondita, aut fide percepta, vt nisi palã ob oculos fiat, matrimoniũ esse non possit, cũ sit copula maris & fœminæ externa & publica professione & cõuersatione firmata. Hactenus ille. Quæ verba sanè quantũ ad posteriorem partẽ attinet, planè docent non esse matrimoniũ, nisi manifestis indiciis & signis apertissimis, quæ palã ob oculos facta sint, firmatũ fuerit. Cæterum quantum ad priorẽ spectat partem, quis nõ videt ex illis quæ supra collegimus, apertissimã in se continere falsitatẽ, nempe q̃ non sit matrimonium res quædam abscondita, fideq; percepta? Nam si nihil aliud in penetralibus animorũ geratur, q̃ quod palã ob oculos fiat, nulla coniugibus gratia cõfertur, nulloq; diuinitus indissolubili vinciũtur nodo. At nodus iste si defuerit, quis vllũ affirmabit adhuc pactũ esse matrimonium? Quãobrẽ cũ nodus iste, res quędã absco-

*Matrimoniũ est res quædã fide percepta.*

dita sit,& nõ aliter quàm fide percipiatur, & quũ gratia similiter, quæ cum hoc nodo,nisi per cõiuges steterit,pariter infunditur,inuisibilis fuerit, & sola fide cognita,quum deniq; contractũ ipsum, qui ceu sensibile quoddã signũ forinsecus agitur, tam indiuulsibilis ille nodus q̃ gratia comitantur,quis non dilucidè cernit matrimonium quod tribus istis conficitur, rem quandam absconditã esse,fideq; perceptã, & optimo iure vocatũ esse sacramentum? Est enim & iuxta peculiarẽ sacramenti rationem,matrimoniũ inuisibilis gratię visibilis forma, sic vt imaginẽ gerat, & causa existat.Nam palã ex prædictis est,cõtractũ ipsum exterius initũ,interioris nexus, qui ex deo est,pariter & gratiæ signum & causam esse:quando protinus hoc exhibito signo,si nihil aliud obstiterit,& nexus indissolubilis,& gratia pariter inuisibilis à deo conferantur.Quòd si quis obiecerit posse contractum hunc fieri sine gratia, supra rẽspondimus baptismi pariter & eucharistiæ sacramenta conferri posse citra gratiã. Atqui nihilominus gratiæ signa sunt, & quidẽ infallibiliter efficacia, si tamẽ illi qui susceperint,nullũ præstiterint obicẽ,

*Matrimonij definitio.*

*Obiectionis dilutio.*

*Sacramenta sunt gratiæ signa infallibi-*

*tia, licet nõ semper sequatur.*

sed ad eadem suscipienda se rite præparauerint. Atque ita de matrimonij sacramento pariter est dicendũ. Nihil enim dubitamus quin cõtrahentibus, modò sua corda dignè præpararint, gratiã largiatur deus. Et si contractũ gratia nulla comitetur, nõ id dei, sed contrahẽtium culpa certissimũ est prouenire. Et quoniã istud ex scripturis adeo dilucidum est, quis ambigere poterit, quin eiusmodi pollicitationem deus emiserit aliquãdo, tametsi nusquã in scripturis ipsa legatur apertè facta, sicut nec pro Eucharistiæ susceptione gratia legitur vsquam apertis promissa verbis?

*Epilogus.*

Cernis ergo lector, conciliũ Florentinum haudquaquã temere decreuisse, matrimonium vnũ è septẽ sacramentis esse, quæ conferunt gratiã. Et huic sane concilio, quod vniuersalẽ ecclesiã tam ex Græcis q̃. ex Latinis congregatã repræsentabat, etiam citra scripturas meritò credendum est, tum propter veritatẽ Christi, qui nec illis defuit, tum propter veritatem spiritus, qui perpetuò nobiscum residet, tum denique propter ipsam ecclesiã repræsentatam, quam columnã & basim veritatis nihil veritus est Paulus appellare. Cæterum

cum res ipsa tot scripturis insuper diluci-
da sit, quis nisi prorsus insanus, & omnino
mentis obstinatissimæ fuerit, hæsitare de-
inceps hac de re poterit, & eam in dubiũ
vllo pacto reuocare?

*Conclusio authoris.*

IAm, quantum opinor, nihil in maledi-
cẽtissimo Lutheri libello, quod alicuius
momẽti fuerit, à nobis prætermissum est,
cui nõ abunde respondimus, preterq̃ con
uiciis ipsis: quæ quũ omnẽ modũ & mali-
tiã item excesserint omnẽ, iustissimè in ca-
put authoris sui sua spõte recidere passi su
mus. Neque enim quicquã ambigo, quin
æquus lector, qui susceptã ab illustrissimo
rege veritatis catholicæ defensionem, &
eiusdem veritatis per hũc impiissimũ hæ-
resiarcham virulentissimã oppugnationẽ
dignè librabit, hunc omnibus illis conui-
ciis, & longe pluribus, fuisse dignissimum
arbitrabitur. Sed & tantum abfore certus
sum, vt bonus quisquã ob vllam Lutheri
maledicentiam aut cõuicia Regem opti-
mum vel tantillũ lædi censeat, vt cõtrà ma
gis ob hęc, & multo quidẽ clariorẽ, splen-
didiorem, illustriorem euasisse diiudicet.
Iam optime lector vale.

FINIS.

# DEFENSIONIS ASSERTIONUM Regis Angliæ de fide Catholica aduersus Lutheri captiuitatem Babylonicam, Index Alphabeticus.

## A


A Posse ad esse, consequentia nullius roboris est. 99.b

Ab ecclesia approbata non oportet rursum rationibus fulcire. 120.a

Absolutio relinquit reatum pœnę in peccatore. 20.b in fi. & 21.a.b

Accidentia manent in Eucharistia, non substantiæ. 97.a

Accidentia panis non permiscentur corpori Christi. 100.b

Actus coniugalis non est de se malus. 215.b

Ambigua & difficilia in dogmatibus, ad quos referenda sint. 179.b & dein.

Ambrosium Lutherus falso sophismate infectatur. 97.a

Amplior dignitas & honor iis debetur, qui gratiis præstant. 3.a. in fi.


Andreæ

Andreæ apostoli respõsum ad Egeam tyrannum. 124.a
Antiqui pugnabãt aduersus hæreticos ex patrum assertionibus. 188.b
Apologia inanis Lutheri, qua vitia quædam insignia tegere laborat. 12.a
Apostoli, fundamẽta ecclesię. 37.b. & 49.a
Apostoli multa tradiderunt ecclesiæ, quæ nusquam in scripturis inueniuntur. 72.a
Apostoli non omnia scripturis probant. 38.b
Apostolorum acta multa, temporũ iniuria deperdita. 124.a
Aqua in vinum in nuptiis versa. 77.a
Aquæ admistio in calice consecrationis vnde manarit. 66.a. 67.b. 68.a
Aquæ admixtio quam significationem habeat. 69.a. 70.b
Argumentum à sola consuetudine. 120.a.b
Articuli quanti sint momenti in scripturis. 75.a.b. 83.b. 77.b. 85.a
Aspersiones aquæ in veteri testamento. 63.b
Asserta aduersus fidem, nihil efficiunt sine demonstratione. 98.b

Augustinus ea retractauit, quæ male docuerat. 19.a
Augustinus non excusauit sua dogmata contrarietatis. 19.a
Augustini sentẽtia de auctoritate scripturarum. 53.b

B

BEluis feris comparatus Luth. pag. 13. literæ A. in prologo.
Bibite ex eo omnes, quibus sit dictum. 40.b. 56.a
Bohemi non tam hæretici quàm Lutherus. 89.b
Bohemorum schisma vnde natum est. 61.b
Bonum opus fieri potest non bene. 142.a

C

CAeremoniæ paschatis antiqui. 134.a
Calix aqua & vino mixtus à Christo apostolis traditus. 69.b
Calix nõ est testamentum nouum. 108.b. 114.a
Calix quemadmodum non est sanguis, ita nec panis est corpus Christi. 93.a
Canis cur dictus Lutherus. pag. 13. literæ A. in prologo.
Canonem missæ Lutherus impium & fal-

ſum appellat.153.b.& 160.a
Cardinalis Cameracenſis opinio de Eucharistia.78.a. non vſquequaque tuta.81.a
Carnales quare dicantur plebeij.53.a
Catholicos contrarietatis inſimulat Lutherus.35.b
Celebrandi modum tradidit Iacobus apoſtolus.124.b
Cephas cur dictus Petrus.36.b
Chriſtus conuertit panẽ in carnem.74.b. 75.a. 77.a
Chriſtus dehortatur audire falſos prophetas.185.b
Chriſtus Ioannis.6.fecit mẽtionem de ſacramento.95.a
Chriſtus multifariam dat ſemetipſum. 94.b
Chriſtus nõ dedit paſsim omnibus ligandi facultatem.20.a
Chriſtus an infuderit aquam dum conſecraret ſacramentum in vltima cœna. 66.a.68.a
Chriſtus non meminit teſtamenti, cum de corpore ſuo loqueretur.115.a
Chriſtus quãdo tandẽ de diabolo triumpharit.10.b.

Christus quare dictus sacerdos secundum ordinem Melchisedech. 129.a
Christus quibus rationibus noluit panem remanere post consecrationem. 87.a
Christi acerbitas aduersus phariseos. 27.b 29.a.b. 30.b
Christi doctrina non est quicquid Christus dixerit, nisi &c. 32.b
Christi instituta ab ecclesia mutata. 60.b. supplenda. 114.a
Christi verba sensu hæreticorum hæreses sunt. 30.a
Christianus vocatur lapis in script. 36.b
Christiani assentire debēt & Christi verbis, & sanctorum patrum. 196.a
Concilium Lateranense determinauit super non remanentia panis. 82.b
Concilium Nicænum. 125.b
Concilio fidendum est. 82.b
Concilia generalia asserūt missam esse sacrificium. 125.b
Concilia in ecclesia, à spiritu sancto diriguntur. 43.b
Commemoratio Christi facienda quæ sit. 139.a
Communicabātur olim sub vtraque specie. 58.b

digne Communicanti delentur peccata. 106.a
Communicandi modus rationabiliter mutatus est.58.b
Communicatio laica sub vna specie, approbata.44.a
Communicatio plebis qualis esse debeat. 38.a
Communicatio sub vna specie, introducta est communi consensu. 42.a. idque à spiritu sancto. ibidem.ab ecclesia approbata.ibid.b
Communicatio sub vna specie,non repugnat legi diuinæ. 40.a
Comparatio pulchra.113.a
Coniugij bona non seruantur sine gratia. 218.b
Consecratio in missa necessaria est. 141.a
Consecratio mali sacerdotis est bonum opus.142.b
Consecrationis fides ex priscorum pẽdet eruditione.168.a
de Consecratione certum nihil ex verbis euangelij colligi potest.171.a
post Consecrationem non remanet panis. 79.a
Cõsentanea scripturis doceri oportet.51.a

Consuetudo bona pro lege habetur. 38.b
Consuetudo firmum est argumentationis medium. 120. a
Consuetudo non aduersatur euangelio. 44.b
Consuetudini probatæ magis fidendum, quàm nudis euangelij verbis. 168.b
Consuetudinum discrimen. 39. a
Contrarietas dogmatum quæ censeatur. 18. a
Controuersię de fide, quomodo dirimendæ. 43. a
Conuicia in Lutherum regerenda. 59. a
Conuicia Lutheri diabolica. 49. b
Corpus Christi à ieiunis sumendũ. 64. b
Corpus Christi & sanguis vocatur sacrificium à nobis sumendum. 165. b
Corpus Christi fieri per consecrationem non probatur ex nudis euãgelij verbis sine pia interpretatione. 157. b
Corpus Christi vocatur panis in antiquo testamento. 91. b
Creatrix substãtia quæ intelligatur. 100. b
Credenda quæ sunt, facilius impugnari queant, quàm comprobari. 96. b. 98. b
Credere, quàm facile sit iuxta Lutheri sententiam. 24. b

non Credit recte, qui non obseruat mandata.189.b
Crimina non excusantur cõsuetudine longa.45.b

D

DEsperatio quibus potissimum contingat. 11.a
Desperatione sępe grauiter impetitus Lutherus.11.a
Deus non est causa peccati. 4.a
Diabolus haud facilè triumphatur. 10.b
Dignitas & honor amplior quib⁹ debeatur.3.a.in fi.
Discipuli in Emaus euntes sub vna duntaxat specie communicati. 41.a
Discrimen inter Eucharistiæ sacramẽtum & alia.57.a
Discrimen inter mortem & testamẽtum. 111.a
Dispositio Eucharistiæ relinquitur sacerdotibus.66.a
Distinctio eorũ de quibus Lutherus scribit.16.a
Diuturnitas consuetudinis bonitatem nõ arguit.45.b
Doctrina ecclesiastica quomodo probata & confirmata.48.a

Doctrina Lutheri longè diuersa est à doctrina euangelica. 29. b
Doctrina Lutheri non est à deo. 198. a
Doctrina Lutheri perniciosa. 116. a
Dogmata diiudicare, difficile est. 190. b
Dogmata Lutheri, peruersę scripturarum interpretationes. 30. b
Dogmatum diiudicationem ad plebẽ non pertinere. 173. b

E

Ecclesia, quæ dicatur. 54. b
Ecclesia mutat ordinationes euangelicas. 65. b
Ecclesia mutauit instituta Christi. 60. b
Ecclesia non errat circa fidem. 172. b
Ecclesia Rom. ex Petro dimanauit. 54. a
Ecclesiæ dogmata, quàm certa ac sancta sint. 30. b
Ecclesiæ fundamentum, quod. 48. b
Ecclesiæ veritas tribus asseritur rationibus. 212. b
Electio non fit sine suffragio populi. 211. a
Epistola Iacobi à Luthero damnata. 1. b
Epistolam Iacobi cur reiiciat Lutherus. 15. a b
Errorum Lutheri capita. 5. b
Euãgelia quædã apocrypha reiecta. 181. b

Euãgelia nudas esse fabulas quidam blasphemant.171.b
Euangelia spiritus sancti instinctu & recepta sunt,& interpretata.172.b
in Euangelij elucidatione non statur iudicio vulgi.182.a
Euangelij obscura vnde potius intelligi debeant.172.a
Euãgelij sensus ex patrum interpretatione petendus est.166.b.196.a
Euangelistæ græce scripserunt.86.a.b
Euangelistæ non disident de cœna vltima.115.b
Euangelicas ordinationes ecclesia mutat. 65.b
Eucharistia quare dicta panis. 91.b. 92.a 93.b
Eucharistia non est sacramentũ remissionis peccatorũ,sed vnionis.104.a.105.a.
Eucharistiæ sacramentum & alia quomodo inter se differant.57.a
Eucharistiæ sacramẽtum pro suo arbitrio ministrabant apostoli.56.b
Eucharistiæ sacramentum quibusdam iure subtrahitur.58.a
Eucharistiæ sacramentum non sumant nisi pœnitentes.156.b

ad Eucharistiam non licet nisi pura conscientia accedere. 105. b
ad Eucharistiam quomodo accedendum sit ex Lutheri sententia. 25. a
Eusebius Cæsarienſis aliquandiu errauit. 182. a. 195. b
Excommunicatio Pontificia ab Hieronymo Florentino contempta. 8. a
Exemplum pulchrum. 146. a

F

FAcere hoc, quid sit. 155. a
Facere, verbum, opus aliquod exprimit. 127. a
Falsos prophetas audiri Christus dehortatur. 185. b
Falsi prophetæ variis deprehenduntur indiciis. 187. b
Ferri cãdentis exemplum in materia Eucharistiæ. 80. a. 100. a
Fides circunstantium licet desit, non impedit missam. 145. a
Fides ecclesiæ Romanæ, à Christo & apostolis est. 51. b
Fides deesse tripharíam intelligi posse. 170. a. in fi.
Fides formata non exigitur ad consecrationem. 145. a

Fides non par in omnibus. 3.b
Fides sola non sufficit cuilibet adulto. 161.b.204.b
Fidei descriptio secundum Luth.22.b
Fidei ratio duplex secundum Lutherum. 25.b.& dein.
Fidem habere qui dicãtur ex Lutheri sententia.22.b.23.a.b.& dein.
Fideles quique rectè iudicant, sententia Lutheri.5.a
Filius patri offerendus.161.b
Fœminæ quando foras prodire possint. 122.b
Fundamenta Lutheri corrupta.59.b
Fundamentum Christanorum.43.b.

G

GEntium idololatria, tẽporis præscriptione non defenditur.46.a.
Germanorum exhortatio ad profligãdam Lutheranam hæresim.116.a.
Gratia dei confertur in ordinatione per manuum impositionem.207.a.

H

HAereses ex malo intellectu scripturę nascuntur.195.a.
Hæretici multitudinem modò commendant, modò damnant.177.a.

Hæretici omnes criminantur papã. 18.a.b
Hæretici quibus armis vincantur hodie, Lutheri iudicio. 50.a
Hæreticos facit omnes Romanos Lutherus, hæreticissimus ipse. 89.b
Hæreticorum omnium pestilentissimus Lutherus. 32.b
Hæreticorum inter se pugnæ. 40.b
Hebræa lingua caret neutro genere. 85.a
Hieronymi testimonium de Romana ecclesia. 55.b
Hieronymus Florentinus propheta falsus. 8.a
Hoc facere, quid sit. 146.b
Hominum mandatis obediendum. 44.b. & dein.
Hostia vna est omnium Christianorum. 121.b

I

IAcobi epistolam catholicam non esse male negat Lutherus. 182.b. & dein.
Iacobi epistolam Lutherus damnat. 2.b
Iactantia Lutheri, inanis. 51.a
Ignis substantia non mutatur in ferrum. 80.b
Impœnitentes non poterunt digne communicare. 106.b

Impositio manuum fiebat spiritus sancti instinctu. 210. a
Inconstantia & repugnantia Lutheri. 26. b. 27. a
Inconuenientia quæ sequantur si solum credere verbis, sit missa. 143. b
Indulgentiæ nituntur diuinis literis. 19. b
de Indulgentiis contradictoria asseruit Lutherus. 16. b. 17. a
Indulgentias quærere, cõsultissimum est. 21. a. b
Interpretationi scripturarum per patres factæ fidem adhibendam esse. 166. a. per totum.
Instituta Christi possunt immutari. 56. b
Ioannes Baptista occisus est propter adulterij correptionem. 213. a
Iudices in controuersiis de fide, qui deligendi. 43. a
Iudicium de dogmatibus non est plebi deferendum. 175. a
Iudicium fidelium, verum: Lutheri, falsum. 5. a
Iudæorum infidelitas diuturnitate temporis non excusatur. 46. a
Iulia Octauiani Cæsaris filia ouum fouit. 77. a

L

Lac paruulis dandum. 91. a. 93. a
Laici communicantur sub vna specie tantum. 67. b
Laicis non inuitis subtracta est altera species in eucharistia. 64. a
Lapis dictus Christus, Petrus, & Christianus quisque. 36. b. 37. a
Lateranensis concilij patres 1315 erãt incorrupti. 87. b
Latini doctores, vt & Græci, asserũt missam esse sacrificium. 122. a
Lenitas & mansuetudo Christianos decet. 35. a
Leuiathan suscitare qui dicantur. 33. b
Lex nulla vnquam fuit absque sacerdotibus, nec sacerdotes sine sacrificio. 130. a
Libamen soli sacerdotes recipiebant. 41. b
Ligandi ac soluendi potestas quibus sit data. 20. a
Liquidum in sacrificiis sacerdotes soli recipiebant. 41. b
Liturgia Græcorum, missa nobis est. 136. b
Lupus cur dictus Luther. pag. 13. literæ A.

in prologo.
Lutherus malitia & astutia vento falsæ doctrinæ seducit vulgus. pag. 15. literæ A. in prologo.
Lutherus contorquet scripturas sacras. pag. 16. literæ A. in prologo.
Lutherus tripharian corrupit scripturas. 1. b
Lutherus asserit fideles quosque rectè iudicare. 5. a
Lutherus sui ipsius compos non est. 6. b
Lutherus animo fallēdi fingit dogma suū è cœlo esse. 7. b
Lutherus regum ac principum contemptor. 9. b. 10. a
Lutherus inconstantiæ timet argui. 12. a
Lutherus male defensatur à principibus in perniciem ecclesiæ. pag. 14. literæ A. in prologo.
Lutherus frustra molitur se purgare de vitiis sibi obiectis. 12. b
Lutherus proprio ense iugulatur. 13. a
Lutherus in eodem bis mendax. 14. b. 16. a

Lutherus absque controuersia secum pugnat. 15. a
Lutherus ab hominibus didicit, & de cœlo tamen se sua dogmata habere dicit. 17. a
Lutherus rectè vulpes vocetur. 17. b
Lutherus secum pugnat de indulgentiis. 21. a
Lutherus decipit vulgus. 26. a
Lutherus nemini parcit. 28. b
Lutherus pseudapostolus. 31. a. Satanæ mancipium. ibidem.
Lutherus suscitat Leuiathan. 33. b. & 34. a
Lutherus non intelligit se mentiri. 34. b
Lutherus amisit patientiam. 35. a
Lutherus nihil sibi obiici patitur à quoquam, quem non reum faciat diuinæ maiestatis. 35. b
Lutherus dicta sua articulos fidei haberi vellet. 47. a
Lutherus quiduis potius quàm homo. 47. a
Lutherus scripturam adulterat. 50. b. & dein.
Lutherus totus carnalis est. 53. b

Lutherus

Lutherus patribus catholicis non conferendus.63.a
Lutherus palam sibi ipsi contrarius.60.a. 63.b
Lutherus aduersariorum suorum argumenta truncata refert.64.b
Lutherus corrumpit regis argumenta. 66.b
Lutherus orthodoxis reluctatur.71.b
Lutherus ignorantia deceptus.78.a
Lutherus suis ipsius exemplis confunditur.79.b.80.a
Lutherus falsò interpretatur verba euangelij.88.a
Lutherus mendacij conuincitur.99.a
Lutherus secum pugnat, & mendax est. 103.a
Lutherus excommunicat seipsum.103.b
Lutherus distortè interpretatur scripturas.114.b
Lutherus falsò imponit regi contradictionem.158.b
Lutherus Christum crucifigit.160.a.b
Lutherus iam multò antè ab antiquo populo damnatus.184.a.b
Lutherus pseudopropheta.188.a
Lutherus omne malum persuadet.189.a

Lutherus ex fructibus suis agnitus. 190.a
Lutherus maligno spiritu afflatus, contemnit omnes. 193.b
Lutherus habet spiritum erroris. 200.b
Lutheri appropriata metaphora. pag. 14. literæ A. in prologo.
Lutheri comminationes, ac veluti deuotio. 50.a
Lutheri deliramenta responso indigna. 45.a
Lutheri errores. pag. 15. literæ A. in prologo. item 6.a.b
Lutheri furiosa conuicia in Thomistas. 50.b
Lutheri geminum mendacium. 161.a
Lutheri iactantia. pag. 15. literæ A. in prologo. & 1.b
Lutheri inconstantia de corpore Christi. 100.a
Lutheri inconstantia de indulgentiis. 13.b. 14.b. de papatu. 14.a. de excommunicatione. 14.a
Lutheri maledicentia. 32.a
Lutheri nomenclaturæ variæ. pag. 13. li-

teræ A in prologo.
Lutheri ſimilitudines de ferro ignito, & deo incarnato. 98. a
Lutherum mentiri non pudet. 38. b
Lux mundi Chriſtus, item & apoſtoli. 37. a

M

MAledicant ei qui maledicunt diei, Iob. 3. ventilatum. 33. a. b
Malitia Lutheri depingitur. pag. 12. literæ A. in prologo.
Malitia miniſtri non officit ſacramento. 142. a
Malorum multitudo, diuturnitas & potentia pios ſemper ſuperauit. 46. b
Mandatis hominum obediendum. 44. b. & dein.
Maria virgo ante baptiſmum fuit plena gratia. 3. b
S. Mathias fuit impoſitione manuum ordinatus. 210. a
Matrimonium digne ſuſcipientibus confertur gratia. 218. a. & 219. a
Matrimonium eſt res quædam fide percepta. 223. b
Matrimonium eſt ſignum vnionis Chriſti cum eccleſia. 214. a

Matrimonium perfectum, est etiam indissolubile. 216. b
Matrimonij definitio. 224. a
Matrimonij veri signa sensibilia. 223. a
Memoriale quid significet. 162. b
Mendacia Lutheri conuincuntur ex propriis eius verbis 6. a. 7. a
Mensæ domini participare quid sit. 128. b. quid item mensæ dæmoniorum. ibidem.
Mentitos non fuisse apostolos in iis quæ tradiderunt ecclesiæ. 49. b
Meritum passionis applicatur hominibus. 161. b
Miracula Christus fecit, quæ & apostolis facienda commisit cum certitudine effectus. 169. a
Miraculorũ operationi fides formata necessaria non est. 171. a
Miraculis non semper opus est. 170. a
Miraculis tempora nostra non carent ob fidei defectum. 170. a
Miraculorum promissio oportune impleta est. 169. b. in fi.
Missa, dictio hebræa est. 136. b
Missa est opus bonum. 141. b
Missa integra non est nisi sacerdos idi-

psum Christi verbis fecerit, quod Christus iussit faciendum. 144.b
pro Missa licet recipere temporalia. 139.b
Missa non est promissio. 117. b. 118. b. 143.a
Missa non est testamentum. 118.a
Missa qua de causa maximè dicatur sacrificium. 130.a. 139.b
Missa remissionem peccatorum recenset. 135.a
Missa rectè dicatur opus & sacrificium. 126.a
Missa res complectitur multas. 132.a.b
Missa vnde deriuatur. 133. a. & 134. b. & 136.b
Missæ virtus non consistit in remissionis peccatorum promissione. 152.b
Missæ vocabulum omnes antiqui pro sacrificio vsurpant. 132.a
Missæ vsus ab eius fructu distat. 145.b
Missæ interesse, quàm magni referat. 146.b
Missæ prima institutio. 124.b
ad Missam multa requiruntur. 155.b
Missam primam Antiochiæ celebrauit Petrus. 124.b

Missam rectè sacrificium & opus ab orthodoxis vocari. 119. a. & dein.
Missam haudquaquam testamentum esse. 103. b. & dein.
Mixtio calicis duo significat. 71. a
Mixtionis aquæ cum vino in calice, quæ sit significatio. 70. a
Mordacitas Lutheri. 27. a. b
Mordacitas prohibetur in scriptura. 34. a. b
Mors Christi repręsentatur in sacramento altaris. 126. b
Multitudinis iudicium quatenus recipiendum. 176. b
Mysteria consecrationis vnde ortum habuerint. 69. a. b

N

NOn licet dissentire à rectè docentibus. 178. a
Noua doctrina non sine miraculis suscipitur. 29. b
Noua veteribus conferuntur. 156. a

O

OBiecta Regi per Lutherum, diluũtur. 157. a. & dein.
non omnia Oblata fuisse incensa. 161. a

Offerre deo nihil nos posse cõtendit Lutherus. 130. b
Opus duplex. 142. b
Opus nostrum ad missæ substantiam requiritur. 127. a. b
Opera ad iustitiam conducunt. 203. b
Operum nostrorum examen deus faciet. 4. b
Ordinatio est sacramentum. 212. a
Orthodoxi vtuntur vocabulis quæ ab antiquis olim reperta sunt. 179. a

P

PAnis corruptibilis indignus qui cum incorruptibili Christo misceatur. 100. b
de Panis mutatione non est noua opinio. 102. a
Panis nomine omnis cibus designatur. 91. b
Panis non restat cum carne, sicut humanitas cum diuinitate. 101. a
Panis non suppositatur in Christo. 101. b
Panis ponitur pro specie panis. 90. a. b. 91. a
Panis quem frangimus, nonne part. &c. exponitur. 96. a

Panis si remaneret in eucharistia, id à Christo fuisset reuelatum. 87.b
Panis spiritualis, & panis triticeus. 94.a.b. & 95.a
Panis substantia cedit corpori Christi venienti. 97.b
Panis substantiam non manere cum sacro sancto Christi corpore. 72. b. & dein. 78.b. 80.a
Panis transsubstantiatio vt probetur. 102.a
Papatui maledicit Lutherus. 32.b. 33.a
Parabolarum verba non habent omnia mysticam veritatem. 194.b
Participem redemptionis fieri quid sit. 131.b
Participem mensæ domini fieri, quid sit. 123.a
Passionis Christi per sacramenta efficimur participes. 131.a
Pascha quando edamus. 133.b
Paschata duo nõ sunt, sed vnũ &c. 127.b. & 128.a
Patres simul consentientes in veritate fidei non errauerunt. 196.b
Patribus & senioribus in ecclesia priores partes semper delatæ. 44.a

Paul' corp° Christi appellauit panẽ. 89.b
Paulus non contrariatur sibi.18.b
Paulus nõ legitur baptizasse Timotheũ. 207.b
Paulus non reliquit communiter omnibus iudicium.197.b
Paulus quomodo dogmata sua probarit. 47.b
Pauli acerbitas aduersus impios. 27.b.28. b.29.a.30.b
Pericula sub specie vini communicandi sunt diuersa.40.a
Peritiores consulendi sunt Christianis. 201.a
Personarũ respectus apud deũ nonest.4.b
Petere principium,argumentantis est vitium,non soluentis.96.b
Petr° rectè appellat' petra.36.b.37.a.49.a 54.b
Phase transitus est.133.a
Plebs de dogmatibus ecclesię iudicare nõ debet.173.b
Pontificia dignitas quanti semper habita. 8.b
Põtificibus potius quàm Luthero fidendum.31.b
Populi iudicio standum non esse.177.b

Populi recentioris cum vetere consensus in dogmatibus euangelicis. 184.b
Potestatem ligandi & soluendi contulit Christus successoribus Petri. 20.a.b
Potestates & principes nō cōtēnēdi. 9.a.b
Prædestinati tandem conuertentur. 194.a
Præpositis & Præsidibus parēdū esse. 53.a
Principibus deferendum esse. 9.b
Probet seipsū homo, hoc est mūdet. 121.b
Prolatio verborum cōsecrationis necessaria est. 141.a
Propheta dupliciter dicitur. 191.b
Prophetæ & apostoli, fundamenta. 37.b
Psal. 71. locus, Suscipiant montes pacem populo &c. explicatur. 181.b
Punitio falsorum prophetarum quadrat in Lutherum. 193.a

R

RAtiones Lutheri quibus probare nititur vix vnū reperiri qui fidē habeat. 22.b. Cōtrarium docet idem. 24.b
Rationes sex episcopi Roffensis pro assertis per regem. 85.a
Rectè docētib⁹ dissentire nō licet. 178.a.b
Regenerationis verbo quæ mysteria comprehendantur. 2.b in fi. &. 3.a
Regis Angliæ commendatio. pag. 14. lite-

rę A. in prologo. & 55. b. & 73. a
Regis Angliæ doctrina, sacræ scripturæ authoritatibus fulcitur. 38. a
Regis Angliæ viuacitas ingenij. 84. a
Remissio peccatorum non est regnum cœlorum. 117. a
Remissiones indulgentiarum, variæ. 31. b.
Resurrectionis non passim meminit Paulus. 2. a
Resurrectiõis tacitè meminit b. Iacob. 2. b
Reuelationibus quidam seducuntur. 8. a
Roborum septem Lutheri confutatio. 56. a. b. & dein.
Romana ecclesia, orbis mater. 55. a. b
Romanos potius quàm Bohemos aut Græcos cauillatur Lutherus. 64. a

S

Sacerdos facit missam, sed plebs accipit eam. 155. b
Sacerdos missam celebrans, pharmacopolæ comparatus. 149. b
Sacerdotes à plebe distant. 131. a
Sacerdotes laicis inuisos facere cur molitus sit Lutherus. 61. a. b
Sacerdotes non culpantur de alterius speciei in eucharistia subtractione. 63. b
Sacerdotũ munus præcipuũ in veteri le-

ge. 165. a
Sacerdotium Aaronis antiquatum. 129. b.
Sacramenti definitio à Luthero. 203. b
Sacramẽtũ altaris nõ est promissio. 117. b
Sacramentum eucharistiæ apostoli pro suo arbitrio ministrabant. 56. b
Sacramentum eucharistiæ quare panis vocetur. 94. a
Sacramenti eucharistiæ vsus in quo consistat. 127. a
Sacramenta septẽ esse, in concilio decretum est. 213. a
Sacramenta sunt gratiæ signa infallibilia. 224. b
Sacramenta sunt plura, ex dictis Lutheri. 206. a
Sacramẽtorum definitio catholica. 206. b
Sacrificare quid sit. 131. b
Sacrificium fuit in omni lege. 130. a
Sacrificium non semper comburebatur. 163. b
Sacrificium nullum apud Christianos est præter missæ sacrificium. 121. b. 122. b
Sacrificia Hebræorum & figuræ erant, & promissiones. 150. a. b
Sacrificiorum veterum offerendorũ mos. 163. a. b. & dein.

Sanguis Christi non est testamentũ.113.b
Sapientia Lutheri non est è cœlo.12.a
Sapientia vnde diiudicetur diabolica, aut cœlestis.11.b
Sapientiæ Salomonis locus explicatus. 68.b
de Satana se triumphasse gloriatur Lutherus.7.a.9.a
a Satana deceptus est Lutherus.17.a
Scriptura deficiente recurritur ad consuetudinem.39.a
Scripturæ cuiuslibet non omnis locus cuilibet quadrat.90.b
Scripturas cõtorquet Lutherus.33.a
Sensu suo nititur Lutherus.123.b
Sententiam suam mutasse Paulum cauillatur Lutherus.18.a.b
Septuaginta seniorum authoritas in Hebręorum populo.179.b
Serpens virga vocatus, ex qua erat conuersus.90.a
Signa dei vocantur sacrificia.160.b
Similitudo pauperis a diuite beneficium accipiẽtis, & sacerdotis missam consecrantis.154.b.in fine
Similitudo pulcherrima de pane in Christi corpus mutato.75.a

Species panis & vini vocantur sacrificia. 160.b
Species panis in sacramẽto corrumpitur. 82.a
Speciei alterius remotio à laicis in eucharistia, non temere introducta. 62.b
Specie sub vna tantũ continetur quãtum sub vtraque. 41.b
Spiritus erroris facilè deprehenditur. 200.a
Spiritus sanctus diuersimode collatus est. 208.b
Spiritus sanctus ecclesiam Christi nõ deserit. 43.a. & 52.a
Spiritus sanctus non tam multo tempore ecclesiam Christi deseruit, quàm cauillantur hæretici. 183.b
Spiritu satanico agitatur Lutherus. 7.a.b
Spirituales aliter iudicant, quàm carnales. 176.a
Spiritualis homo nõ quilibet dicitur, qui spiritum sanctum habet. 202.b
Strophæ quædam & mendacia cauilliq; Lutherani deteguntur. 138.a. & dein.
Substantia panis non manet cum corpore Christi in eucharistia. 72. b. & dein.
Substantia panis transeunte remanent ac-

cidentia.97.b
Succesſio Petri in eccleſia vſq; ad finem duratura.55.a
Suggerere quid ſit.42.b
Supplenda verba Chriſti.114.a
Syluester indulgentiarum propugnator. 17.b

T

TEmporis circunſtantia variata.65.b.
Teſtamentū quid ſit ſecundum Lutherum.109.a
Teſtamētum citra mortem teſtatoris inualidum eſt.111.a
Teſtamentum nouum eſt lex noua. 112.a
Teſtamentum nouum eſt ſanguine Chriſti confirmatum.112.b
Teſtamentum nouum, vnicum eſt. 109.a
Teſtamenti noui definitio.111.b
Teſtamētum vetus, & teſtamentū nouū. 110.b
Thomæ Aquinatis commendatio.63.a
Thomiſtas inſectatur malitioſe Lutherus. 36.a
Tranſſubſtantiationis materia tractatur. 96.b.& dein.
Trecentis annis ante Chriſtum non defuerunt prophetæ.192.a

Tribus vtebantur apostoli in ordinatione.211.b
Triũphare aduers⁹ diabolũ, difficile.10.b.
Turca nec Luthero crederet.47.a
Turcarum fidei diuturnitas præiudicium non facit quòd recta sit.45.a.b

V

VErba Christi sensu hæreticorum hęreses sunt.30.a
Veri prophetæ dehortabãtur à malorum auditu.192.b
Versus ex epistola Ioannis erasus ab hæreticis.199.b
Veteres certius iudicabant.5.a
Vinum solum sine aqua in calice domini non offertur.70.b
Virgæ Aaronis exemplũ de pane in corpus Christi mutato.76.a
Vrsam & lœnam se Lutherus ipse vocat. pag.13. literæ A in prologo. & fo.47.a
Vvicl.fus negat Christum consecrasse in cœna.166.b
Vulpes cur dictus Luth.pag. 13.literæ A. in prolego.
Vulpes rectè dicatur Lutherus.17.b

FINIS.

Deo optimo maximo laus & gloria.

Societ⁹ Jesu Paderborna

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN